Bibliothecae Vaticanae cum eos perlustrarem codices, in quibus aut Iulii Pollucis Onomasticon aut Rufi Ephesii compereram descriptas extare 'Ονομαcίαc, nihil sane indagavi quod aliquo esset numero, sed id duntaxat lucratus sum, ut nihil his quidem duobus auctoribus ex magnificae illius bibliothecae opibus salutis sperandum esse certo intellegerem. Omnia igitur dum perrepto, inter alios haud paucos eum etiam codicem mihi afferri iussi qui inter *Vaticanos* numeratur *duodecimus.* Et Pollucis quidem Rufique quae praebet ille inde a fol. 231 a usque ad fol. 237 b tenuissima excerpta, ea ne flocci quidem facienda esse mox intellexi; sed dum, his defunctus, supine satis reliqua libri folia verso, en incidit oculus in miras quasdam de animalibus fluviis hominibus gentibus fabellas, quarum nonnullas alibi me legisse non memineram. Mox, cum non omnes quidem, at partem certe harum narratiuncularum haud exiguam hucusque latuisse comperissem, coepi eas describere. Iam vero quid est, cur his nugis eam lucem invideamus, qua tot his diebus vidimus 'apinas tricasque et siquid vilius istis' post diuturnas bibliothecarum tenebras beari? Continet autem codex ille, *Vaticanus 12*, chartaceus, formae quadratae, saeculo quinto decimo a diversis manibus scriptus, excerptarum ex diversissimis scriptoribus laciniarum variam profecto et multiplicem colluvionem: omnigenus doctrinae minutal possis dicere, in quo sine ordine, sine consilio ullo delibata ex philosophis, grammaticis, lexicographis, metricis, rhetoribus, historicis, medicis, ecclesiasticis adeo scriptoribus frusta confusa magis extant quam composita. Singillatim si omnia enumerare susciperem, verendum esset ne et chartis male abuti viderer, et lectoribus summum moverem in re parum gravi taedium: ipse dum singulis tessellis suum unde delectae essent locum circumspexi, omnia fere praeter illum de quo nunc ipsum loquimur παραδοξογράφον ex

eiusmodi libris sumpta esse vidi, quibus nobis quoque integris uti licet[1]).

Illa vero quam dixi rerum mirabilium collectio a folio inde 211a usque ad folium 215b legitur. Cui si praefixum foret auctoris nomen, salva res esset; nunc cum haec, ut alia pleraque, unde decerpserit tacere maluerit codicis librarius, cuinam auctori vindicanda sint exploremus oportet.

Et multa quidem apparet ex *Antigoni* Historiis mirabilibus sumpta esse, multa ex *Nicolai Damasceni* παραδόξων ἐθῶν συναγωγῇ: quorum illi inter LXVII capita debentur XIV, huic XVI. Quae restant XXXVII capita unde fluxerint non possumus, ut sunt res nostrae, indicare: sed cum eiusdem plane sint atque

---

1) Nisi hoc tamen aliquid est, quod fol. 206b 207a legitur *Splenii* cuiusdam de fetus formatione deque mortui corporis dissolutione commentatiuncula. Quae quoniam inedita esse videtur, quid impedit quominus in hoc adnotationis angulo in lucem edatur? Sic igitur currit: Σπληνίου φιλοσόφου περὶ γενέσεως ⟨γενήσεως codex⟩ ἀνθρώπου ὅθεν τά τε ἔνατα καὶ τὰ τεσσαρακοστά.

τὸ σπέρμα ἐν τῇ μήτρᾳ καταβαλλόμενον ἐν μὲν τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ ἀλλοιοῦται εἰς αἷμα καὶ ὑποζωγραφεῖται ἡ καρδία· ἐν δὲ τῇ θʹ ἡμέρᾳ πήγνυται καὶ συμπληροῦται ⟨συμπλειοῦται cod.⟩ εἰς σάρκα καὶ μυελούς. ἐν δὲ τῇ τετρακοστῇ (sic) ἡμέρᾳ εἰς ὄψιν τελείαν ἀνατυποῦται. ὁμοίως κατ' ἀναλογίαν τῶν ἡμερῶν γίνεται καὶ ἐπὶ μηνῶν· τῷ μὲν τρίτῳ μηνὶ ἑνοῦται ἐν τῇ νηδύϊ τὸ παιδίον, τῷ δὲ ἐνάτῳ ἀπαρτίζεται καὶ πρὸς ἔξοδον ⟨ἔξωδον cod.⟩ σπεύδει. θῆλυ δὲ (om. cod.) καὶ ἄρρεν γίνεται κατὰ τὴν ἐπικράτειαν τῶν θερμῶν τῶν ⟨τοῦ cod.⟩ κατὰ τὸ σπέρμα· τῆς γὰρ πήξεως ταχείας γινομένης ἀρρενοῦται τὸ βρέφος, ἐλαττουμένης δὲ κατισχύεται τῆς ἐπιρροῆς καὶ θῆλυ γίνεται, καὶ βράδιον πηγνύμενον ⟨βρ. καὶ παιγν. cod.⟩ βράδιον καὶ διαμορφοῦται. ὅθεν τὰ μὲν ἄρρενα ἐντὸς τῶν μʹ ἡμερῶν ἐκτιτρωσκόμενα μεμορφωμένα ἐκπίπτει· τὰ δὲ θήλεα ⟨θήλεια cod.⟩ καὶ μετὰ τὰς μʹ ἡμέρας σαρκώδη καὶ ἀδιατύπωτα εὑρίσκεται. εἴπωμεν οὖν καὶ περὶ ἀναστοιχειώσεως ⟨ἀνηστ. cod.⟩· τελευτῶν γὰρ ὁ ἄνθρωπος τῇ γʹ ἡμέρᾳ ἀλλοιοῦται καὶ τὴν διάγνωσιν τῆς ὄψεως ἀπόλλυσιν, τῷ δὲ θʹ διαρρεῖ τὸ σύμπαν σωζομένης τῆς καρδίας, (fol. 207a) τῇ δὲ τεσσαρακοστῇ καὶ αὕτη ⟨αὐτὴ cod.⟩ συναπόλλυται τῷ παντί. διὰ τοῦτο τρίτα καὶ ἔνατα καὶ τεσσαρακοστὰ ἐπιτελειοῦται τοῖς τεθνεῶσιν. De τρίτοις et ἐνάτοις mortuis oblatis dudum constabat, de τεσσαρακοστοῖς non item: sed quominus 'Splenio' nostro fidem habeamus, Pollucis certe, qui deinceps enumerat τρίτα ἔνατα τριακάδας (VIII 146), non impedit testimonium. Nam qui τριακάδας tricesimum *post defuncti obitum* diem occupasse credunt (ut multis cum aliis Beckerus fecit Charicl. III 117), eos vel Harpocrationis glossa erroris convincit: τριακάς· ἡ τριακοστὴ τοῦ μηνός.

reliqua indolis, haec quoque ad *Antigonum Nicolaumque* auctores referenda esse facile sibi persuaserit, qui truncatum hodie legi Antigonum, excerpta tantummodo ex Nicolai collectione fragmina extare reputaverit. Cui opinioni illud mire favet, quod unicus ille, quo in fragmentis nostris *Antigono* testimonium adsignatur locus (cap. XII), inter eas quas nos hodie tractamus Antigoni reliquias desideratur. Atque ego quidem eiusmodi opinioni calculum addere non dubitem, ita tamen, ut praeter Nicolaum et Antigonum tertium aliquem auctorem quaedam contribuisse suspicer. Iam vero ea in re dubius haereo, utrum ipsum illum qui codicem conscribillavit librarium ex integris Antigoni Nicolaique exemplaribus hos qui nunc luci reddentur παραδόξου ἱστορίας flores selegisse dicam, an ex uno quem commodum nactus fuerit libro Antigoni, Nicolai tertiique cuiusdam auctoris doctrinam iam coniunctam exhibente sua transscripsisse credam. Et obiter quidem ponderanti pares fere lances videbuntur: nam quod parum sane credibile sit, saeculo quinto decimo integrum librario praesto fuisse Antigoni exemplar, ubi mutilum eum exhibeat quo nobis unice utendum est codex Palatinus, decimo ut fertur saeculo scriptus, id nimis premere nolim. Sed in re per se admodum dubia eo tamen propendet animus, ut ex uno potius illum omnia lacu hausisse, quam ex tribus vel pluribus adeo aquarum venis singula corrivasse credam: quippe qui persuasum habeam eo quemque propius a rei veritate abesse, quo pigriores sibi fingat quoque neglegentiores huiusmodi compilationum auctores. Curiosius autem causam rimantibus aliae quaedam subcrescent ratiunculae, quae tali potius librarium nostrum libro usum esse persuadeant, in quo coniunctae extarent selectae ex Antigoni Nicolaique et aliorum quorundam operibus particulae.

Nempe ut ipse Antigonus pleraque sua ex Aristotelis (germani personatique) et Callimachi libris descripsit, sic ipse ab aliis paullo post non minus impudenter depilatus est: hinc enim fit ut, qui eadem multis locis narrant atque Antigonus, *Plinius* (nat. hist. II 103. VII 2. XXXI 2 cet.) *Vitruviusque* (VIII 3. 4) et cui *Sotionis* nomen satis arbitrario H. Stephanus indidit incertus τῶν σποράδην περὶ ποταμῶν καὶ κρηνῶν καὶ λιμνῶν παραδοξολογουμένων compilator (Westerm. παραδοξογρ. p. 183 sqq.) alios multos laudent auctores, ipsius ad quem pleraque omnia redeunt Antigoni tanquam pacti inter se nomen reticeant. Ipsum nimirum Antigonum nunquam isti in manu habuerunt, sed derivatis ex illo

rivulis contenti erant. Plinium enim et Vitruvium[1]) *Varronis* usum esse Admirandis, Varronem autem, item ut Sotionem illum personatum, *Isigoni Nicaeensis* περὶ ἀπίστων operi pleraque debere nuper intellexit vir in his rebus perspicacissimus *Valentinus Rose* Anecdot. gr. et graecolat. I p. 10 11, Aristot. pseudepigr. p. 487. Iam vero qui Isigoni illa excerpta, quae sub Sotionis nomine circumferuntur, cum Antigono comparaverit, is non unicum quidem, at praecipuum tamen Isigoni fontem fuisse Antigonum facile intelleget. Unde igitur tot Antigoni locos in nostram collectionem fluxisse dicant, eos quoque habere apparet, qui non Antigoni sed *Isigoni* libros a librario usurpatos credituri sint. Hoc vero ut ego revera existimem, complura sunt quae faciant argumenta.

Primum inter XVI illa capita, quibus de fluminibus fontibusve mira narrat auctor noster, cum septem sint quae neque apud Antigonum neque apud alium ullum παραδοξογράφον legantur (cap. 17 18 19 20 21 22 38), quae restant *novem* (cap. 11 12 13 14 23 24 35 36 39) eorum nullum est quin ab *Isigoni* compilatoribus, Pseudosotione, Plinio, Vitruvio, Seneca, Tzetza[2]) aut singulis aut universis repetatur. Quorum locorum duo prae ceteris sunt memorabiles. Ceterae enim fabellae cum etiam apud Antigonum redeant omnes, ea tamen, quae de fonte quodam bibentes torpore afficiente narrantur cap. 34, apud Antigonum frustra quaeras, cum eadem plane legantur apud Sotionem cap. 25, Plinium XXXI 2, § 15, Vitruvium VIII 3 p. 241 Bipont. Nisi quod ἐν τῇ Κιλικίᾳ illum fontem extitisse affirmat noster, in insula Cea reliqui. Sed hoc quoque differentiae habeo quomodo explicem. Plinii legas verba: 'In *Cilicia* apud oppidum Cescum rivos fluit Nus, ex quo bibentium subtiliores sensus fieri Varro tradit, at in *Cea* insula fontem esse, quo hebetes fiant.' apparet librarium nostrum, dum plane *eundem* atque Varro librum usurparet, media festinantius omisisse, finem cum capite prave coniunxisse. — Porro cap. XXXIX Theopompum refertur de fonte quodam Thracio

1) Senecam addit Rosius, quem in tertio naturalium quaestionum libro apparet ex eisdem fontibus quaedam hausisse ac Plinium Vitruviumque. Varroni haud pauca debere censeo etiam *Vibium Sequestrem* in libello de fluminibus cet.

2) Tzetzam usum esse Isigono, sed intercedente *Rhegino*, ipsius scimus testimonio Chiliad. I 469.

narrasse, ἐξ ἧς οἱ λουσάμενοι μεταλλάττουσι τὸν βίον. At Theopompum potius τὸν ἀπογευσάμενον τελευτᾶν εὐθύς narravisse Callimachus testatur apud Antigon. c. 141: idem refert Pseudoaristoteles mir. ausc. 121. Noster igitur homo aut aliud legerat apud Theopompum — quamquam post Callimachum non credo ab ullo παραδόξων compilatore ipsum adhibitum esse Theopompum — aut paullo neglegentius Antigonum suum inspexerat: nam de librarii errore quominus quis cogitet, Pseudosotion prohibet, apud quem eadem plane atque apud nostrum leguntur: ἐξ ἧς τοὺς λουσαμένους παραχρῆμα μεταλλάσσειν. Plinius ab utra stet parte incertum est; dicit enim XXXI 2, 26: 'necare aquas Theopompus et in Thracia apud Cychros (*Cicros* cod. Riccard.) dicit.' Contra audi mihi tertium *Isigoni* compilatorem, Vitruvium VIII 3 p. 238: 'apud Cychros in Thracia lacus, ex quo non solum qui biberint moriuntur, sed etiam qui *laverint*.' Dubium non est: *Isigono* debetur miraculi haec superlatio, *Isigonum* nostra item ut Pseudosotion, item ut Vitruvius Pliniusque secuta est collectio. Parva haec sunt et minuta, sed aptissime rem declarant.

De aquis igitur mirabilibus quae noster refert quin ex *Isigono* excerpta sint nequit dubitari. Reliquarum autem fabularum duo distinguenda sunt genera, quorum alterum in enarrandis animalium quorundam, arborum, singulorum hominum admirandis naturis versatur, in *gentium* miris moribus describendis alterum. In neutro desunt quae ex Isigoni libris haec quoque provenisse significent: exigua cur sint vestigia, is non mirabitur qui Pseudosotionem, Vitruvium, Senecam nihil omnino, Plinium paucissima praeter ea quae ad fontes flumina lacus spectent miracula ex Isigono elegisse reputaverit. Iam vero inter *prioris generis* narrationes duae sunt quae redeunt apud Plinium, quem, intercedente quidem Varrone, Isigoni collectaneis usum esse constat: capita dico X et XXXI[1]). Pluris etiam illud faciendum duco, quod in his paucis capitibus duo laudantur auctores, quorum prorsus oblitterata foret memoria, nisi idem ille Plinius aut unicus aut cum perpaucis aliis ab oblivione vindicasset: Dalion nimirum et Polycletus: quorum hic laudatur apud Plin. XXXI 2, 17[2]), ille VI 30, 194: neque dubito quin idem lateat sub *Damone* illo,

1) Quibus nescio an addi liceat cap. II et XXIV.

2) De Polycleto cf. C. Muelleri script. hist. Alex. p. 129, Passovii opusc. p. 223.

quem nobis VII 2, § 17 libri exhibent. Tam obsoletae enim memoriae testes ubi duo scriptores evocant, eidem utrumque auctori illorum notitiam debere iusta est suspicio. Ne hoc quidem plane neglegendum, quod Agatharchidis, quem una cum Polycleto in cap. X laudatum videmus, semel tantum apud Plinium mentio fit, eoque loco quo ab *Isigono* illum plurima mutuatum esse constat: VII 2, 29.

Restant de gentium miris moribus narratiunculae. Quae tam sunt 'inter se consimiles argumento ac stilo' uniusque plane specie et indolis, ut unius eas auctoris esse in oculos incurrat. Unam igitur vel duas si ad *Isigonum* referendas esse demonstravero, de ceteris ut idem concedatur iure mihi videor expectaturus. Iam vero cum capitibus XLIX et L confer mihi quae n. hist. VII 2, 12 refert Plinius: (Scythas) 'Anthropophagos — ossibus humanorum capitum bibere cutibusque cum capillo pro mantelibus ante pectora uti *Isigonus Nicaeensis* (prodidit)': — '*Idem* — Sauromatas tertio die cibum capere semper.' En duae fabellae ex Isigono a nostro excerptae: de reliquis iam concedendum erit. Neque video cur quis contra niti velit: nisi quod una restat difficultas. Haud paucas enim ex his de gentium moribus fabellis eisdem aut simillimis verbis a *Nicolao Damasceno* repeti videmus: ut aut Nicolaum ex Isigono aut Isigonum ex Nicolao ad verbum eas transscripsisse putandum sit. Isigonus quando vixerit ignoramus: nisi quod *Antigono* cum *Carystio* inferiorem aetate fuisse constat, *Varrone* aut superiorem aut, ubi plurimum, parem; quippe quem Antigoni librum compilasse, a Varrone in Admirandis conscribendis compilatum esse sciamus. Varronis igitur ut aequalis fuerit, maxime tamen dissimile veri est Nicolai περὶ ἠθῶν libro uti eum potuisse et in eo quidem opere quod postmodum Varro adhibuerit; quamquam captiosis quibusdam ratiocinandi argutiis hoc quoque effici posse non praefracte equidem negaverim[1]). Sed reputandum insuper, nihil prorsus esse quod aequalem potius Varronis quam longe illo aetate priorem fuisse Isigonum nobis persuadeat. Quid igitur? Nicolaumne multis locis, quae Isigonus narravisset, totidem verbis expressisse dicemus? Erunt quibus hoc valde arduum videatur: ego quin ita res se habeat non dubito. Hoc certe quivis concedat necesse est, non nimis hanc demi-

1) Varro enim natus est anno a. Chr. 116, Nicolaus circa annum a. Chr. 64 (v. *Muelleri* hist. III 343 sq.)

randam esse ignaviam eo in homine, qui septimo Ἱστοριῶν libro haud sane parvam laciniam intexuerit ex aequalis sui Dionysii Halicarnassensis Antiquitatibus suppilatam (v. Nicol. frg. 69 et 70. Muelleri hist. III 409—413.) Ἠθῶν autem illam συναγωγὴν — sicuti mos ferebat subitariorum illorum quibus scatet marcens Graecorum eruditio scriptorum — ita fere conflasse videtur, ut ex priorum παραδοξογράφων collectionibus quae e re esse crederet αὐτολεξεὶ transscriberet, pauca admodum ex Herodoto, Ephoro, Xenophonte excerpta ipse adspergeret[1]. Multae autem cum extarent Νομίμων collectiones, ea potissimum usum esse Nicolaum consentaneum puto est, in quam priorum copiae tanquam fontes in lacum confluxerant. Ut sane, *Isigonum* qui praecipuum fuisse Nicolai fontem asserat, nihil dicturus sit quod per se credi nequeat: quem ut longe ditissimum eiusmodi polyhistoriae condidisse horreum credamus, vel id suadet quod *Varronem* tam curiose eius libros perscrutatum esse scimus. Iam vero vide mihi quam egregie omnia eo faciant, ut revera Isigono multa Nicolaum debere credamus. Primum enim ipsa illa, de qua modo

1) Quanquam interdum ita potius rem instituit, ut fundamento uteretur excerptis ex historico aliquo locis, intermisceret quae ex alia aliqua νομίμων collectione enotaverat. Veluti in Lacedaemoniorum republica describenda, c. 13, e Xenophonte tantum non omnia descripsit, et ita quidem ut ordinem rerum a Xenophonte institutum servaret: est tamen ubi alio fonte neque eo nimia fide digno usus miras quasdam fabellas interspergat, quas qui cum Cobeto nov. lect. p. 713 et 732 ab ipso Nicolao inventas credat, prorsus a vero sit aberraturus, neque habeat unde factum dicat, ut illa quae maxime offendit Cobetum Nicolai fabella de moneta ex corio facta redeat apud Senecam de benef. V, 14. Iam vero illud dignum est quod animadvertatur, quod in nostro fragmento de Lacedaemoniorum moribus quattuor leguntur narrationes (cap. LXII) quas ex altero illo fonte Nicolaum hausisse (p. 168, 18—169, 2) qui rem accuratius consideraverit facile intelleget. — *Ephoro* multa debet Nicolaus: cf. Nic. I (v. Eph. ap. Strabon. IV p. 199 Cas.); XIV (v. Eph. ap. Strab. X p. 400 sqq.); XXII (v. Eph. ap. Strab. VII 3 p. 302/3.): quibus ei addendi sunt loci quibus eadem ac *Strabo* narrat Nicolaus: haec enim unanimitas si non ubique, at paene ubique hinc orta esse videtur quod *Ephoro* sua uterque debent. Veluti quae de Telchinibus ex Creta oriundis, Rhodum emigrantibus uni sed unanimi narrant Strabo XIV p. 653 et Nicolaus c. 15 (cf. Lobecki Aglaoph. II 1189.), ea gravissimo illos auctore narrare apparet: Ephoro utrumque usum esse fere spoponderim. [De furtis quae putantur Nicolai conferenda quae Opusc. phil. I p. 532 ego, in Fleckeiseni Ann. phil. t. 99 p. 111 sqq. rectius fortasse L. Dindorfius disputavimus. F.R.]

dixi, *Isigoni* de Sauromatis fabella a Plinio servata legitur etiam apud Nicolaum cap. 21. Deinde de Colchorum sepulturis deque Mosynorum regibus turribus inclusis et, si frugi fuerint, publico sumptu saginatis, sin prave reipublicae consuluerint fame enecatis — de his quae narrat Nicolaus c. 23 et 25 ex *Nymphodori* νομίμοις βαρβαρικοῖς hausta esse edocemur a Scholiasta Apollonii Rhodii III 202 et II 1029. Rursus Nymphodorum expilatum esse ab *Isigono* Plinius indicat, qui VII 2, 12 'in eadem Africa' inquit 'familias quasdam effascinantium' extare '*Isigonus et Nymphodorus* (narrant)'. Quae verba ex altero alterum sua descripsisse significant (cf. Prellerum Polemon. p. 148, Naberum proleg. ad Phot. p. 10): Isigonum esse qui Nymphodorum expilaverit ea demonstrant quae statim subicit Plinius: 'esse eiusdem generis in Triballis et Illyriis *adicit Isigonus*'. Quid igitur? Nymphodorum expilavit Isigonus, Isigonum Nicolaus, qui Nymphodorum nunquam inspexit [1]).

Haec omnia ubi singillatim pensitaveris, si nihil aliud, non nimis certe inepte de Isigoni libris hic illic in fragmento nostro adhibitis cogitari fateberis. At singula ubi conexueris, et quocumque te vertas eiusdem ubique Isigoni non obscura animadverteris vestigia, eo, spero, et singula et universa valere concedes, ut quicquid hic legatur ineptiarum ex *Isigoni* Admirandis excerptum esse tibi persuadeas.

Et haec quidem hactenus. Iam ipse prodeat libellus: in quo expoliendo non nimis, fateor, allaboravi. Apertos librarii errores sustuli; sed omnes sermonis salebras si levigare suscepissem, vereor ne facundiorem reddidissem Isigonum, quam ipse unquam aut potuit existere aut voluit. Αἰθίοπα σμήχειν quis facile sustinuerit, invitum insuper et nigra cute superbientem! A codicis scriptura ubicunque recessi, quid in illo legatur in margine inferiore indicavi. Ceterum moneo librarium usum esse manu parum stabili, subinde intremescente, sed lectu non difficili, atramento subflavo; iota raro admodum subscripsit, nunquam adscripsit; radendo quae scripserat, si a duobus tribusve locis recedas, non vexavit; correcturis plane abstinuit. Singulis fabellis eos adscripsi aliorum scriptorum locos, quibus eadem narrari sciebam: quaedam si praetervidi, veniam mihi dabunt qui experti fuerint cum quanta bonorum librorum penuria in claris Italorum urbibus, omnium quondam artium splendidis sedibus, hodie colluctandum sit.

Scr. Venetiis m. Maio a. CIↃIↃCCCLXX.

---

1) De Colchis eandem ac Nicolaus Nymphodorusque fabulam prodit Aelianus var. hist. IV 1, quo in capite plura deprehenduntur *Isigoni* vestigia.

I Ἀγησίας ὁ Μεγαρεὺς τὰς γεράνους φησίν, ὅταν ἐκ τῆς Θρᾴκης ἀπαίρειν μέλλωσιν, ὑπὸ μιᾶς περιρραίνεσθαι κύκλῳ πάσας· εἶθ' ὅταν βοήσῃ ἐκείνη, τὰς μὲν ἐξαίρειν καθαπερεὶ κελευστοῦ παραγγείλαντος, τὴν δ' ἁγνίσασαν καταμένειν αὐτοῦ. ὅταν δὲ τὸ πέλαγος διαπεραιῶνται, δύο μὲν ἐκτείνειν τὰς πτέρυγας, τὴν δὲ γενομένην ὑπόκοπον ἐπὶ τούτων ἐφίζουσαν ἀναπαύεσθαι.

II Δαλίων φησὶν ἐν τῇ πρώτῃ τῶν Αἰθιοπικῶν ἐν τῇ Αἰθιοπίᾳ θηρίον γίνεσθαι κοροκότταν καλούμενον· τοῦτο ἐρχόμενον πρὸς τὰς ἐπαύλεις κατακούειν τῶν λαλουμένων καὶ μάλιστα τὰ ὀνόματα τῶν παιδίων * νυκτὸς δὲ ἐρχόμενον λαλεῖ τὰ ὀνόματα καὶ ἐξερχόμενα τὰ παιδία καταβιβρώσκονται ὑπ' αὐτοῦ.

III Πολίτης τὴν πηλαμύδα ἐν τῷ Πόντῳ ἐκ πηλοῦ γίνεσθαί φησι· διὸ καὶ ταύτης τυχεῖν τῆς προσηγορίας λέγει.

IV Ἀριστοτέλης φησὶν ἐν τοῖς περί ζώων τὰ χερσαῖα πάντα ἀναπνεῖν ὅσα πνεύμονα ἔχει, σφῆκα δὲ καὶ μέλισσαν οὐκ ἀναπνεῖν.

V Ὅσα τε κύστιν ἔχει, πάντα καὶ κοιλίαν, οὐχ ὅσα δὲ κοιλίαν, καὶ κύστιν.

VI Ἄναιμα πολλὰ τῶν ζώων, ὅσα πλείω πόδας ἔχουσι τῶν τεσσάρων.

VII Οἱ ἰχθύες οὐκ ἔχουσι στόμαχον· διὸ καὶ ὅταν διώκηται ἐλάττων ὑπὸ μείζονος, ἄγει τὴν κοιλίαν ὑπὸ τὸ στόμα.

I 4 ἁγνήσασαν 5 διαπαιρηῶνται

II Cf. Aelian. h. an. VII 22, Plin. n. h. VIII 30, 107 8 κρόττα̣ν 10 Lacunam significavi: intercidit τηρεῖν vel ἐκμανθάνειν vel eiusmodi quid ἐρχόμενος

III 12 πηλαμίδα

IV Capita IV. V. VI. VII. VIII. IX ex *Antigono* sumpta sunt. | Aristot. h. an. I 1 p. 487a, 30 sqq. Bekk., Antigon. 61 15 σφῆκαν: quod nescio an tolerare debuerim. Sic αἶγαν, γυναῖκαν, θυγατέραν, multa similia noverat recentiorum Graecorum sermo: cf. Valcken. adn. ad Ammon. p. 230. Steinthal. Gesch. d. Sprachw. p. 424.

V Aristot. hist. an. I 2 p. 489a, 5. 6, Antig. 62.

VI Antig. 63.

VII Aristot. h. an. II 17 p. 507a, 26—30. Antig. 71 21 δι' ὃν διάκηται

VIII Οἱ ὄφεις πλευρὰς ἔχουσι τριάκοντα· καὶ τὰ ὄμματα αὐτῶν εἴ τις ἐκκεντήσῃ, πάλιν γίνεται, καθὰ καὶ τὰ τῶν χελιδόνων.

IX Τοῦ λέοντος τὰ ὀστᾶ οὕτως εἰσὶ στερεά, ὥστε πολλάκις κοπτομένων πῦρ ἐκλάμπειν.

X Πολύκλειτος χελώνας γίνεσθαί φησιν ἐν τῷ Γάγγῃ, ὧν τὸ χελώνιον μεδίμνους χωρεῖν πέντε· ὁ Ἀγαθαρχίδης δὲ τοῖς χελωνίοις χρῆσθαι πλείοις ὡς ὀροφώμασι τῶν καλυβῶν.

XI Ὁ Σκάμανδρος ξανθὰς ποιεῖ τὰς τρίχας· ὅθεν καὶ Ξάνθος παρ' Ὁμήρῳ προσηγορεύθη.

XII Ἀντίγονος τὸ ἓν ἐν Ἱεραπόλει θερμὸν ὕδωρ πάντα ἀπολιθοῦν φησι, καὶ αὐτὸ δὴ πήσσεσθαι καὶ λίθον γίνεσθαι.

XIII Θεόπομπος ἐν Λυγκησταῖς φησιν εἶναι ὕδωρ ὀξύ, ὃ τοὺς πίνοντας μεθύσκει.

XIV Ἡρακλείδης φησὶ τὴν ἐν Σαυρομάταις λίμνην οὐδὲν τῶν ὀρνέων ὑπεραίρειν, τὸ δὲ προσελθὸν ὑπὸ τῆς ὀσμῆς τελευτᾶν· ὃ δὴ καὶ περὶ τὴν Ἄορνιν κατὰ τὴν Ἰταλίαν δοκεῖ γίνεσθαι.

XV Κατὰ μέρος τι τοῦ κατὰ Προῦσαν Ὀλύμπου ἱστοροῦσι τὴν Δάφνην καταπεπόσθαι διωκομένην ὑπὸ Ἀπόλλωνος ἐρῶντος, καὶ ἕως τοῦ νῦν πέταλα δάφνης ἐν τοῖς λίθοις ἀναμεμιγμένα εὑρίσκεται.

XVI Ἔν τινι τῶν κατὰ τὸν Ὄλυμπον * δένδρα ἐστὶν ἰτέᾳ

VIII Aristot. h. an. II, 1, 17 p. 508b, 3—7. Antig. 72.

IX Aristot. h. an III 7 p. 516b, 9—11.

X Cf. Plin. n. h. IX 10, 35. 6 σάγγει 7 μέδιμνα 8 πλείοις] gentis alicuius Indicae nomen expectandum esse apparet: veluti Πρασίους: ΠΡΑΣΙΟΥΣ enim quam proclivem habeat in ΠΛΕΙΟΙΣ transitum, in oculos incurrit | δρωφώμασι

XI Cf. Plin. II 103, 230. Vitruv. VIII 3 p. 238 Bip. Antig. 78. Schol. L. V. Il. Z 4. Schol. A. B. Il. Φ 2. Vibius Seq. p. 20 ed. Oberlin. cet.

XII cf. Vitruv. VIII 3. 11 ἓν fort. delendum 12 αὐτὸ et λίθον scripsi: αὐτὸς et λίθος codex.

XIII Theopomp. frg. 229 (I 317) Muell. Cf. Athen. II 43 D. Antigon. h. mir. 164. Sotion c. 19. Senec. quaest. nat. III 20, 6. Plin. II 230. Vitruv. VIII 3 p. 239 Bip. Vib. Seq. de flum. p. 13 ed. Oberlin. 13 λυγγισταῖς (cf. *Meinek*. ad Scymn. p. 36.)

XIV Cf. Callimach. ap. Antig. 152. Sotion. 22. Plin. XXXI 2, 21. Tzetzes ad. Lycophr. 704. (II p. 200 Muell.) 16 Pone ὑπεραίρειν alterum φησί add. cod.

XV De Daphne Bithynica cf. Eustath. ad Dion. per. 916.

XVI 22 lacunam indicavi.

λεπτοφύλλῳ ἐοικότα, ἃ παρθένους γεγενῆcθαι ἱcτοροῦcι καὶ εἰc δένδρα ταύταc ἀμειφθῆναι τὸν Βορρᾶν φευγούcαc ἐρῶντα. καὶ νῦν ἔτι εἴ τις θίγοι τῶν φύλλων τούτων, χολοῦcθαι ‖ τὸν ἄνεμον fol. 213a λέγουcι καὶ cφόδρα αὐτίκα πνεῖν, καὶ μόλιc διὰ τρίτηc παύεcθαι.

XVII Νέcτοc ποταμὸc ἐν Θρᾴκῃ τὰc μοιχευομέναc ἐλέγχει, τῶν ἀνδρῶν ποτιζόντων ἀπὸ τοῦ ὕδατοc τούτου καὶ λεγόντων· εἰ μὲν οὐκ ἐμοιχεύθηc, ἄρρεν τέκοιc, εἰ δ' οὖν, θῆλυ.

XVIII Καὶ παρὰ Γερμανοῖc ὁ Ῥῆνοc ἐλέγχει· ἐμβληθὲν γὰρ τὸ παιδίον εἰ μὲν μοιχευθείcηc ἐcτὶ, θνήcκει, εἰ δ' οὔ, ζῇ.

XIX Πέρινθοc ποταμὸc ἐν Θρᾴκῃ, ὅθεν καὶ Πέρινθοc ἡ πόλιc· ἐκ τούτου εἰ πίοι τιc, τὰ cπλάγχνα ἐξογκοῦται. ἡ δ' αἰτία, ὅτι cταγόνεc ἐκ τῆc κεφαλῆc Γοργόνοc ἐν τούτῳ ἐρρύηcαν βαcταζομένηc ὑπὸ Περcέωc.

XX Ἐν Κελαιναῖc τῆc Φρυγίαc ποταμόc ἐcτι Μαρcύαc· οὗτοc εἰ μὲν αὐλοῦ ἀκούcῃ, βομβεῖ μέγα, ἢν δὲ κιθάραc, μετὰ cιγῆc ῥεῖ, ἀποπνιγέντοc ἐν αὐτῷ Μαρcύου τοῦ αὐλητοῦ.

XXI Ταυρομένιοc ποταμόc ἐcτιν ἐν Cικελίᾳ παρὰ τὴν ὁμώνυμον πόλιν· οὗτοc βροντῆc ἀκούων φοβεῖται καὶ καταδύεται εἰc τὴν γῆν, εἰ δὲ παύcηται ἡ βροντὴ, πάλιν ἄνειcιν ἐκ τῆc γῆc καθάπερ πηγή.

XXII Ποταμὸc Ψύχροc ὄνομα διὰ τῆc Cικελίαc ῥεῖ· οὗτοc τοῦ μὲν θέρουc ἑλῶδεc ἔχει ὕδωρ, τοῦ δὲ χειμῶνοc καλόν τε καὶ διαυγέc.

XXIII Ἐν Λυγκηcταῖc κρήνη ἐcτὶν, ἀφ' ἧc ἐάν τιc πίῃ, μεθύcκεται.

XXIV Κατὰ τὴν Αἴγυπτον ἀνδριὰc ἵcταται Μέμνονοc, ὃc ἀνατέλλοντοc τοῦ ἡλίου ᾄδει οἱονεὶ προcαγορεύων αὐτόν.

---

1 λεπτο////λλω codex, erasis inter ο et λ duabus litteris | in codice post ἱcτοροῦcι una littera erasa est: scripsi καὶ

XVII 5 μέcτοc 7 τέκοιc scripsi: τέκοι cod.

XVIII cf. Libanius διηγημ. vol. IV p. 1110 Rsk. 9 εἰ δ' οὖν

XIX 10 πείρινθοc | πείρινθοc 13 πέρcεωc

XX Cf. Aelian. v. h. XIII 21. 14 μαρcίαc 16 μαρcίου

XXI Tauromenium flumen unus, quantum scio, Vibius Sequester p. 18 Oberl. novit. 17 ταυρομένειοc

XXII Ψύχροc scripsi (cf. Eustath. 1967, 35.): ψυχρὸc cod. 22 ἑλῶδεc scripsi: ἡλιῶδεc cod.

XXIII Cf. c. XIII 24 λυκιcταῖc (ἐν λυγκήcτῳ cod. Laurent. LVI 1 fol. 11b in Pseudosotionis loco, c. 20 p. 185, 22 West.)

XXIV Cf. Plin. XXXVI § 58.

XXV Οἱ Κελτοὶ, ὅταν ᾖ ἀφορία ἢ λιμὸc γίνηται, τὰc γυναῖκαc τὰc ἑαυτῶν κολάζουcιν ὡc αἰτίαc τῶν κακῶν.

XXVI Παρὰ τοῖc Ἴβηρcιν ἔθοc ἐcτὶν ἐν ἑορτῇ τινι τὰc γυναῖκαc τιμᾶν δώροιc, ὅcαι ἂν πλεῖcτα καὶ μάλιcτα ἱμάτια ὑφήναcαι τότε ἐπιδείξωcιν.

fol. 213 b XXVII Παρὰ Κροβύζοιc ἔθοc ἐcτὶ τὸ μὲν ‖ γεννώμενον βρέφοc θρηνεῖν, τὸν δὲ θανόντα εὐδαιμονίζειν.

XXVIII Παρὰ Νacaμῶcι τοῖc ἐν Λιβύῃ νόμοc ἐcτὶ τὴν γαμουμένην τῇ πρώτῃ ἡμέρᾳ cυγγίνεcθαι πᾶcι τοῖc παροῦcι καὶ παρ' αὐτῶν δῶρα λαμβάνειν καὶ μετὰ τούτων γήμαντι μόνῳ μίγνυcθαι.

XXIX Αἱ τῶν Cαυροματῶν γυναῖκεc οὐ πρότερον γαμοῦνται, ἂν μὴ ἄνδρα κτείνωcι πολέμιον.

XXX Πέρcαι τοῖc οἰκείοιc κυcὶ βορὰν * τοῖc πληcίοιc καὶ ἐνδόξοιc τιθέαcιν.

XXXI Φερεκύδηc ὁ Ἀccύριοc ἀπό τινοc ἐν Cκύρῳ τῇ νήcῳ * ὕδωρ πιὼν μαντικώτατοc γέγονε καί τινα προεμήνυcε, cειcμοὺc καὶ ἄλλα.

XXXII Τειρεcίαc ὁ Εὐήρουc δύο δράκονταc μιγνυμένουc θεαcάμενοc κτείνει αὐτοὺc καὶ αὐτίκα γυνὴ γίνεται, μετ' οὐ πολὺ δὲ ἀνήρ, καὶ δικαcτὴc ἡδονῆc γυναικὸc καὶ ἀνδρὸc τῆc ἐν τῇ μίξει παραλαμβάνεται πρὸc Διὸc καὶ Ἥραc· καὶ πλείονα λέγει τὴν τῆc γυναικόc.

XXV 1 τὰc γυναῖκαc τὰc ἑαυτῶν scripsi: τὰc γυναῖκαc αὐτῶν cod.

XXVI Cf. Nicol. Damasc. 1. Westerm. 3 ἴβερcιν 4 τι///μῶν ὅc ἐαν (ca supra) | ὑφ'////να

XXVII De Trausis idem narrat Herodotus V 4, de Causianis Nicolaus Damasc. 18. (cf. Lobeck. Aglaoph. II 802, f. 804, l.)

XXVIII De Lydis idem narrat Aelian. v. h. IV p. 61, 3 Hch. (nisi potius illi quoque restituetur παρὰ Λίβυcι.) Cf. Pomp. Mel. I 8. Sext. Empir. hypot. III 21 p. 168, 30 Bk.

XXIX Cf. Nic. Damasc. 21.

XXX 14 lacunam significavi: intercidisse puto οὐδὲν ἧττον ἢ vel simile aliquid. Leges enim Persarum sacrae vetabant, ne quis unquam canis conviventibus interesset quin is item ut homines cibo iuvaretur: cf. Duncker. Gesch. d. Alterth. II 366 ed. II.

XXXI Cf. Theopomp. fr. 66. (I 287) Muell. Apollon. h. mirab. 5. Plin. II 79, 191 16 Cκύρῳ] cύρω cod. (item ut codex Apollonii) 17 lacunam significavi; intercidit φρέατοc (cf. Plin.)

XXXII Cf. Phlegon mir. 4 p. 130 (ex Callimacho). (cf. etiam Pseudocallisth. I 46, vs. 61 sqq.) 19 ὁ addidi; om. cod. | εὐήρου

XXXIII Παρ' Ὁμήρῳ Πρωτεὺς εἰς πάντα μετεμορφοῦτο, καθά τις παρὰ Πινδάρῳ καὶ Νηρεὺς παρὰ Cτησιχόρῳ καὶ μίςτρα.

XXXIV Ἀρίςτων ὁ Περιπατητικὸς ἐν τῇ Κιλικίᾳ πηγήν φηςιν ὕδατος εἶναι, ἀφ' ἧς τοὺς πιόντας ἀναιςθήτους γίνεςθαι.

XXXV Περὶ Ἰνδικήν ἐςτι λίμνη, ἥτις πάντα δέχεται πλὴν χρυςοῦ καὶ ἀργύρου.

XXXVI Ἑλλάνικος ἐν Ἰνδοῖς εἶναί φηςι κρήνην Cίλλην καλουμένην, ἐφ' ἧς καὶ τὰ ἐλαφρότατα καταποντίζεται.

XXXVII Ἐν Ἱεραπόλει τόπος ἐςτὶ Χαρώνιος λεγόμενος, ἐν ᾧ οὐδὲν ζῶον παραβαίνει· πίπτει γὰρ παραυτίκα.

XXXVIII Cελέμνιος ποταμὸς ῥεῖ διὰ τῆς Ἀρκαδίας, καὶ ἐςτὶ τὸ ὕδωρ αὐτοῦ ἔρωτος φάρμακον.

XXXIX Θεόπομπος κρήνην ἐν Θρᾴκῃ λέγει εἶναι, ἐξ ἧς οἱ λουςάμενοι μεταλλάττουςι τὸν βίον.

XL Ἀκύλιος ὁ Ῥωμαῖος ἱςτορικός φηςι τὴν Cικελίαν πρὸ τοῦ κατακλυςμοῦ μὴ νῆςον εἶναι ὡς ςήμερον, ἀλλ' ἤπειρον γενέςθαι ςυνημμένην τῇ ὕςτερον Ἰταλίᾳ. ἐκ δὲ τῆς ἐπικλύςεως τῶν ῥευμάτων τῶν ῥιζῶν ἀποςπαςθεῖςαν τοῦ Ἀπεννίνου, κατὰ τὸ Cκύλλαιον ῥαγείςης || τῆς ἠπείρου, νῆςον ἀποκαταςτῆναι καὶ διὰ τοῦτο Ῥήγιον κληθῆναι τὸ πλευρὸν τῆς Ἰταλίας ἐκεῖνο. fol. 214a

XLI Πέρςαι τοὺς προςφέροντας τῷ πυρὶ βλάβος ἢ ποταμῷ ἐνουροῦντας ἢ ἐναπονιζομένους θανάτῳ ζημιοῦςιν.

XXXIII Codicis scripturam accurate exhibui. Pro illo καθά τις scripserim καθὰ Θέτις, de cuius formae mutationibus cf. Pindar. Nem. IV 101 sqq. et III 60 cum scholiis p. 444 sq. Boeckh. — Stesichorus Nerei meminerit in Γηρυονηίδι (cf. Panyasis ap. Athen. XI 469 D.) — Sub illo μίςτρα utrum alius dei marini nomen lateat, an alterius qui Nerei mentionem fecerit poetae scriptorisve, prorsus incertum est. Varia cum in mentem venerint, nolui tamen in re dubia hariolationibus indulgere.

XXXIV Cf. Sotion. 25. Plin. XXXI 2 § 15. Vitruv. VII 3 p. 241 Bip. 4 ἐπιόντας cod.; scripsi πιόντας: πίνοντας Sotion.

XXXV Cf. Ctesiam ap. Callimachum, Antig. 150.

XXXVI Cf. Antig. 146 (ex Callimacho). Plin. XXXI 2 § 21. Diodor. II 38.

XXXVIII Cf. Pausan. VII 23, 3 11 ῥέει

XXXIX Cf. Theopomp. fr. 288 (I 327) Muell. Sotion. 15. Aristot. mir. ausc. 121. Antig. 141. Vitruv. VIII 3 p. 238 Bip. Plin. XXXI, 2, 26.

XL. Cf. Sallust. histor. fr. IV 35. p. 335 Kritz. 18 ἀποςπαςθεῖςα 20 κληθῆναι scripsi: ἀποκαταςτῆναι aperto errore codex | ἐκείνου

XLI 22 ποταμῷ ἐνουροῦντας: cf. Strab. XV 3, 16 p. 733. Herodot. I 138 extr.

XLII Γέτας φαcὶ ταῖc τοῦ Διὸc βρονταῖc ἀποτυμπανίζειν καὶ τοξεύοντας εἰc τὸν ἀέρα ἀπειλεῖν τῷ θεῷ.

XLIII Ἐν Παδαίοις, Ἰνδικῷ ἔθνει, ὁ cυνετώτατος τῶν παρόντων κατάρχεται τῶν ἱερῶν· αἰτεῖται δὲ παρὰ τῶν θεῶν οὐδὲν ἄλλο πλὴν δικαιοcύνηc.

XLIV Ἀλέξανδρος ὁ Φιλίππου τὴν τῶν Μακεδόνων ἀρχὴν τεccαρεcκαιδέκατος. ἐνίκηcε δὲ Πέρcας ἐπὶ Γρανικῷ κδ· διὸ καὶ τὴν ἡμέραν cφόδρα ἐτίμα καὶ θεοῖc ἔθυεν, ὅτι ἐν ταύτῃ τῇ τετάρτῃ δηλονότι τὰ μέγιcτα κατεπράχθη, καὶ εἴ ποτέ τι δρᾶν ἐβούλετο, περιέμενε τὴν τετράδα.

XLV Παρὰ Γαλάταις ἐάν τις τὰ μέγιcτα ἀδικήcας κατέφυγεν ἐπὶ ἵππον ἢ cάλπιγγα, ἀπελύετο.

XLVI Οὗτοι περὶ πολέμου βουλευόμενοι ταῖc γυναιξὶν ἀνακοινοῦνται, καί ὅ,τι ἂν γνῶcιν αἱ γυναῖκες, τοῦτο κρατεῖ· ἐὰν δὲ ἡττηθῶcι πολεμοῦντες, τῶν γυναικῶν, αἳ cυνεβουλεύcαντο πόλεμον ἄραcθαι, τὰc κεφαλὰc ἀποτεμόντες ἔξω ῥίπτουcι τῆc γῆc.

XLVII Λιβύρνιοι κοινὰc τὰc γυναῖκας ἔχουcι καὶ τὰ τέκνα ἐν κοινῷ τρέφουcι μέχρι ἐτῶν πέντε· εἶτα τῷ ἕκτῳ cυνενεγκόντες ἅπαντα τὰ παιδία τὰc ὁμοιότητας πρὸc τοὺc ἄνδρας εἰκάζουcι καὶ ἑκάcτῳ τὸν ὅμοιον ἀποδιδόαcι καὶ λοιπὸν ἐκεῖνος ὡc υἱὸν ἔχει.

XLVIII Δαρδανεῖc Ἰλλυρικὸν ἔθνος τρὶc ἐν τῷ βίῳ λούονται, ὅταν γεννῶνται καὶ ὅταν γαμῶcι καὶ ὅταν τελευτῶcιν. ὅταν δὲ ἐπικηρυκεύωνται τοῖc πολεμίοις, ἄρνα κομίζουcι καὶ κλάδον δένδρου, καὶ ἐὰν μὲν δέχωνται οἱ πολέμιοι τὰc cπονδάc, καταλείπουcιν ἃ ἐκόμιcαν, εἰ δὲ μή, πάλιν αὐτὰ ἀποφέρουcιν.

fol. 214b XLIX Cκυθῶν οἱ ἀνδρο||φάγοι λεγόμενοι ἐκ κρανίων πίνουcιν ἀνθρωπίνων, τὸ δὲ δέρμα τῆc κεφαλῆc τῶν πολεμίων ἐργαζόμενοι ποιοῦcι χειρόμακτρον. τὸ δὲ λοιπὸν cῶμα ἐκδείραντες cὺν τοῖc ὄνυξιν ἐπιβάλλουcιν ἐπὶ τοὺc ἵππουc.

XLII 1 γαίτας | ἀποτυμπανίζειν] ita codex; scribendum censeo ἀντιτυμπανίζειν, novo vocabulo, sed analogiae congruo.

XLIII Cf. Nicol. Dam. 46 3 πεδανοῖc

XLIV Codicis scripturam exhibui.

XLV 11 ἐὰν — κατέφυγεν] ita codex; qui barbarismus et apud medii aevi Graeculos frequens est (v. Mullach. Gramm. d. gr. Vulgarspr. p. 55) nec prioribus plane inauditus: cf. Bekker. anecd. 144, 31.

XLVII Cf. Nic. Damasc. 10 17 λιμύρνιοι 19 ἰcάζουcι

XLVIII 21—23 Cf. Nic. Dam. 9. Aelian. V. H. IV, 1.

LIX Cf. Isigonum ap. Plin. VII 2, 12 29 ὄνειξιν

L Cαυρομάται διὰ τριῶν ἡμερῶν cιτοῦνται εἰc πλήρωcιν· ταῖc γυναιξὶ δὲ πάντα πείθονται καὶ αὐτοὶ δὲ φοροῦcι γυναικείαν ἐcθῆτα. ἐὰν δέ τιc τῶν πολεμίων καταφύγῃ πρὸc τῷ ἐπὶ τῆc ἑcτίαc πυρὶ καὶ τοῖc ἄνθραξι τὸ πρόcωπον μολύνῃ, οὐκέτι αὐτόν, ὡc οἰκέτην, ἀδικοῦcιν. παρθένον δὲ οὐ πρότερον cυνοικίζουcιν εἰc ἄνδρα, πρὶν ἂν πολέμιον κτάνῃ.

LI Παρὰ Φρυξὶν ἐάν τιc γεωργὸν βοῦν ἀποκτείνῃ ἢ cκεῦοc τῶν περὶ τὴν γεωργίαν κλέψῃ, θανάτῳ ζημιοῦται.

LII Λύκιοι τὰc γυναῖκαc μᾶλλον ἢ τοὺc ἄνδραc τιμῶcι καὶ καλοῦνται μητρόθεν, οὐ πατρόθεν, τὰc δὲ κληρονομίαc ταῖc θυγατράcιν ἀπολείπουcιν, οὐ τοῖc υἱοῖc. ὃc δ' ἂν ἐλεύθεροc ἁλῷ κλέπτων, δοῦλοc γίνεται. τὰc δὲ μαρτυρίαc ἐν ταῖc δίκαιc οὐκ εὐθὺc παρέχονται, ἀλλὰ μετὰ μῆνα.

LIII Ἀccύριοι τὰc παρθένουc ἐν ἀγορᾷ πωλοῦcι τοῖc θέλουcι cυνοικεῖν, πρῶτον μὲν τὰc εὐγενεcτάταc καὶ καλλίcταc, εἶτα τὰc λοιπὰc ἐφεξῆc. ὅταν δὲ ἔλθωcι ἐπὶ τὰc φαυλοτάταc, κηρύττουcι, πόcον τιc θέλει προcλαβὼν ταύταιc cυνοικεῖν, καὶ τὸ cυναχθὲν ἐκ τῆc τῶν εὐπρεπῶν τιμῆc ταῖc παρθένοιc ταύταιc προcτίθενται.

LIV Πέρcαι, ὃ μὴ ποιεῖν ἔξεcτιν, οὐδὲ λέγουcιν.

LV Παρὰ Πέρcαιc ὃc ἂν ἡδονὴν καινὴν ἐπινοήcῃ, δῶρα λαμβάνει.

LVI Παρὰ Πέρcαιc ὃc ἂν καταγνωcθῇ ὑπὸ βαcιλέωc, πενθεῖ διὰ βίου καὶ ποτηρίῳ πίνει πετρίνῳ. ὅταν δὲ ὁ βαcιλεὺc ἀποθάνῃ, ἀφίενται τῶν ἐγκλημάτων πάντεc καὶ ἁρ||πάζουcιν ἃ (fol. 215 a) θέλουcι καὶ παρανομοῦcιν ἐπὶ τρεῖc ἡμέραc, ἕωc ἂν ἐπὶ τὰc βαcιλείουc θύραc ἐλθόντεc αἰτήcωνται βαcιλέα, ὅcτιc αὐτοὺc ἀπαλλάξῃ τῆc ἀνομίαc.

LVII Παρὰ Πέρcαιc ἐάν τινα προcτάξῃ ὁ βαcιλεὺc μαcτιγῶcαι, εὐχαριcτεῖ ὡc ἀγαθοῦ τυχών.

LVIII Παρὰ τοῖc Ἰνδοῖc ὁ τεχνίτου πηρώcαc χεῖρα ἢ ὀφθαλμόν, θανάτῳ ζημιοῦται.

LIX Παρ' Αἰγυπτίοιc μαρτυρεῖν ἀγραμμάτῳ οὐκ ἔξεcτιν.

L 1—3 Cf. Isigonum ap. Plin. VII 2, 12. Nic. Damasc. 21   2 πίθονται   5. 6 Cf. cap. 29.   LI Cf. Nicol. Dam. 27.   LII Cf. Nicol. Dam. 29.   LIII Cf. Nicol. 31. Herodot. I 196. Aelian. v. h. IV, 1   17 ποῖον   LIV Cf. Nic. Dam. 32   20 πέρcαιc

LV Theophrast. περὶ βαcιλείαc ap. Athen. IV 144 E/F., Clearch. βίων l. IV. ap. Ath. XII 514 E et 529 D et 539 B., Aristox. vit. Aeschyl. ap. Ath. XII 545 D.   LVI 27 ἀπαλλάξει

LVII Cf. Nic. Dam. 32 p. 174, 16 sq.   28 προcτάξει

LVIII Cf. Nic. Dam. 44 p. 177, 3   31 πορώcαc χείρᾳ | ὀφθαλμῶ

LX Ἀτάραντες Λίβυες τῶν θυγατέρων ἀρίστας κρίνουσι τὰς πλεῖστον χρόνον μεμενηκυίας παρθένους.

LXI Παρὰ Καρχηδονίοις οὐκ ἔξεστι τοῖς ἀστράτοις φορεῖν ἐνώτιον χρυσοῦν· ὅσας δ' ἂν στρατεύσωνται στρατείας, τοσαῦτα ἀεὶ φοροῦσιν ἐνώτια.

LXII 1. Λακεδαιμόνιοι τοὺς γέροντας αἰσχύνονται οὐδὲν ἧττον ἢ πατέρας.

2. γυμνάσια δ' ὥσπερ ἀνδρῶν ἐστιν, οὕτω καὶ παρθένων.

3. ξένοις δ' ἐμβιοῦν οὐκ ἔξεστιν ἐν Σπάρτῃ οὔτε Σπαρτιάταις ξενιτεύειν.

4. οὗτοι ταῖς γυναιξὶν παρακελεύονται ἐκ τῶν εὐειδεστάτων κύειν καὶ ἀστῶν καὶ ξένων.

LXIII Κρῆτες πρῶτοι Ἑλλήνων νόμους ἔσχον Μίνωος θεμένου· προσεποιεῖτο δὲ Μίνως παρὰ τοῦ Διὸς αὐτοὺς μεμαθηκέναι, ἐννέα ἔτη εἴς τι ὄρος φοιτήσας, ὃ Διὸς ἄντρον ἐλέγετο.

LXIV Οἱ Κρητῶν παῖδες ἀγελάζονται μετ' ἀλλήλων σκληραγωγούμενοι καὶ τὰ πολέμια διδασκόμενοι καὶ θήρας δρόμους τε ἀνάντεις ἀνυπόδετοι ἀνυόντες, καὶ τὴν ἐνόπλιον πυρρίχην ἐκπονοῦνται, ἥντινα πρῶτος εὗρε Πύρριχος.

LXV 1. Λίγυες τοὺς γονεῖς, ὅταν μηκέτι ὦσι διὰ γῆρας χρήσιμοι, κατακρημνίζουσιν. 2. ὁ δὲ βασιλεὺς ἀποθανόντος φίλου
fol. 215 b μικρόν τι τοῦ ὠτίου ἀποτέμνει, ‖ ἀναγκαιοτέρου δὲ τελευτήσαντος πλεῖον ἀφαιρεῖ. ὅταν δὲ ὁ πάντων εὐνούστατος ἀποθάνῃ *

LXVI Σκυθῶν τινες τὸν τελευτήσαντα κρεονομήσαντες καὶ ἁλίσαντες ξηραίνουσιν ἐν ἡλίῳ, μετὰ ταῦτα δὲ ἐνείραντες ἁρπεδόνι τὰ κρέα ἐξάπτουσι τῷ ἑαυτῶν τραχήλῳ, καὶ μαχαίριον λαβόντες ᾧ ἂν ἐντύχωσι τῶν φίλων, τεμόντες κρέα διδόασι, καὶ τοῦτο ποιοῦσι μέχρις ἂν πάντα δαπανήσωσιν.

LXVII Ἀθηναῖοι τοὺς τελευτήσαντας ἐπὶ τὸν τάφον ἄγοντες καὶ πᾶν ὄσπριον ἐπέφερον, σύμβολον τῆς παρ' αὐτῶν εὑρέσεως τῶν καρπῶν τῶν ἁπάντων.

LX Cf. Nic. Dam. 40   1 ἀφαράτες

LXII § 1. Nic. Dam. 13 p. 168, 18 19. § 2. Nic. p. 168, 19 20. § 3. Nic. p. 168, 20 21. § 4. Nic. p. 169, 20—169, 1.

LXIII Cf. Nic. Dam. 14   13 κτῆτες

LXIV Cf. Nic. Dam. 14   17 θύρας   18 ἀνάντοις

LXV § 1 22 κατακρυμνίζουσιν § 2 De Tauris, *Scythica* gente, simile quid narrat Nicolaus Dam. 19, atque ego non dubito quin nostrum quoque auctorem, quae de *Scythis* narraverat, de Liguribus narrantem fecerit librarius, temere quae praecedebant omittens   23 lacunam significavi; intercidit ὅλον τὸ ὠτίον   LXVI 24 σαυθῶν

QUAESTIONES FULGENTIANAE

SCRIPSIT

AEMILIUS IUNGMANN

THURINGUS

Caput I.

De Fabii Planciadis Fulgentii aetate et scriptis.

Cum praeter ea quae ex ipsius Fulgentii verbis, eisque sat ambiguis atque obscuris, de aetate ac patria eius colligi possunt, nullum omnino testimonium exstet quo de scriptore certiores fiamus, mirum non est quod nondum inter viros doctos convenit, quo ille tempore quave in terra scripserit. Admodum enim inter se discrepant, ut de prioribus taceam, qui nuperrime in hanc rem inquisiverunt: Zinkius[1]), Luc. Muellerus[2]), Reifferscheidus[3]). Quae cum ita sint, haud inutilem operam suscipere mihi visus sum, si denuo hanc rem in quaestionem vocarem.

Et tota quidem haec quaestio nitatur necesse est nonnullis 'Mythologiarum' librorum verbis, quibus scriptoris aetate patriam primum bellis vexatam, postea 'felicitate regis adventantis' servatam esse docemur. Quae res quo spectent ut dilucide appareat, primum diiudicandum erit, quaenam omnino Fulgentii patria fuerit[4]): nam etiam nunc, utrum Hispanus an Afer fuerit, res controversa est, cum Hispaniae eum Lerschius[5]) et Muellerus, reliqui Africae attribuant. Omne autem Lerschii atque Muelleri sententiae fundamentum subtrahitur, si libellum 'de aetatibus

---

1) in dissertatione doctissima quae inscribitur 'Der Mytholog Fulgentius', ed. Virceburgi a. 1867.

2) in Fleckeiseni annalium vol. XCV p. 791 sq.

3) in Musei Rhenani novi vol. XXIII p. 133 sq.

4) Zinkius enim quod p. 4 § 3 scribit: 'in den handschriftlichen titeln wird Fulgentius übereinstimmend Carthaginiensis genannt', graviter errat; equidem saltem eiusmodi titulos non novi ac ne unum quidem exstare contenderim. Immo vero amicus, cui libros suos dedicavit scriptor, aliquoties Carthaginiensis appellatur.

5) in libro qui inscribitur 'Fabius Planciades Fulgentius de abstrusis sermonibus', ed. Bonnae a. 1844.

mundi'[1]), quem oblivione prorsus obrutum nuper in lucem protulit Reifferscheidus, ab eo de quo agimus Fulgentio profectum esse probatur: huius enim libri scriptor compluribus locis semet esse Afrum profitetur. Reifferscheidus autem cum breviter tantum significarit potius quam demonstrarit Planciadi Fulgentio eum librum tribuendum esse, iam meum est, ne temere viri illius docti sententiam sequi videar, comparatione cum reliquis Fulgentii scriptis instituta probare, adeo totius libri tenorem cum illorum indole congruere ut 'vix pilus sit discriminis inter scribendi rationem, quam ostentat auctor hic noster, et eam qua usus ille est voluminibus sub eius nomine divulgatis.'[2]).

Antea autem monuerim, nihili esse argumentum quod ultimo loco ponit Reifferscheidus dicens: 'endlich verräth er sich (scriptorem 'de aet. mundi' dicit) als denselben ebenso eitlen wie unwissenden betrüger, den uns die andern schriften, namentlich

1) 'Liber absque litteris de aetatibus mundi et hominis, absque A. absque B. etc. auctore Fabio Claudio Gordiano Fulgentio V. Cl. Eruit a manuscriptis codicibus P. Jacobus Hommey Augustianus, et notis illustravit. Ed. altera auctior. Prostat Parisiis. MDCXCVI.' Exempla huius libri rarissima esse videntur; equidem unum tantum alterius editionis novi, quod cum in bibliotheca Georgia Augusta Gottingensi exstare Reifferscheidus, qua est liberalitate, me docuisset, praeceptore Ritschelio intercedente inspicere mihi licuit.

2) Verba sunt Iac. Hommei 'Notarum' p. 52: nam is quidem ante Reifferscheidum vidit librum a Fulgentio episcopo abiudicandum et Planciadi tribuendum esse, cum p. 51 sq. haec scribat: 'At certe vix ea [h. e. Sigeberti Gemblacensis testimonium] movent, cum artificii fucus, opinionum singularitas, studiosus spumosae qui affectatur facundiae ambitus, ab indole Fulgentii [i. e. episcopi] experiar [?] penitus aliena, vixque in mentem cadere possit, monachum, abbatem, episcopum, qua morum castigatione vixit, ingentibus praeterea, dignis necessariisque negotiis pressum, vel ad amici preces eo se inflexisse, ut operi indulgeret quod, si utile, et profecto pium ac serium, magis tamen prima fronte ludicrum saperet, ut otiosum'. — 'Excidit itaque, cui placuerit, Fulgentius Ruspensis a iure suo transibitque ad Placiadem; qui litem dirimeret nostram, si exploratum esset oriundum ex Africa, quandoquidem et denominationes, quas prae se fert huiusce tractatus frontispicium, Fabii, etc. ab iis, quas ab historicis obtinet non plurimum absint, vixque pilus sit discriminis' e. q. s. — In transcursu commemoro hos libelli huius exstare codices mss.: Sorbonicum 268 saec. XIII; Reginensem 173 saec. XII; Taurinensem D. IV. 39 saec. XIII; Palatinum 886 (cf. Wilmannsii dissertationem in Mus. Rhen. vol. XXIII p. 395); Belgicum quendam, de quo cf. Act. Sanctor. Ianuarii tomi I p. 972.

die *expositio* zeigen. In der vorrede erwähnt er als vorbild seines *mirificum opus* einen dichter Xenophon .... der sicher mit den übrigen citaten des Fulgentius auf eine linie zu stellen ist.' Nam ex Fulgentii verbis apparet ab ipso poetae illius nomen effictum esse non posse, cum amico, cui librum dicatum esse vult, p. 3 haec scribat: 'dixisti enim legisse te librorum bisduodenum volumen Xenophontis poetae in singulis libris singulis litteris imminutis, quod quidem opus mirificum cuncti qui interfuimus iuste praetulimus' e. q. s. Utcunque igitur de Xenophonte illo statueris, ipsius Fulgentii commentum hac in re minime agnosces.

Iam vero, ut primo statim obtutu in oculos incurrat, quanta similitudo inter hunc libellum et reliqua Fulgentii scripta intercedat, adscribemus nonnulla enuntiata (sumpta ea ex prooemio: nam ut reliqua non congruant, ipsa libri natura fert, quippe qui 'absque litteris' compositus sit) cum reliquorum librorum locis collata:

Praef. p. 1 sq.:

'*Oportuit quidem, virorum excellentior hoc nostro quo nuper regimur temporis excursu, perenni potius studere silentio et non dicendi studio, praesertim ubi nihil plus nisi de nummi quaestu res vertitur et conquirendi lucri perennis sollicitudo quotidie mentibus supputetur.*'

'*in silentii cinerem migrent necesse est tot lucernae pervigiles et sine effectu honoris productae usque in crepusculum noctis.*'

Virgil. Contin. init. ·

'*Expetebat quidem, Levitarum sanctissime, nostri temporis qualitas grande silentium.*' — In prologo Mytholog. libr. haec sunt: — — — '*quia nostri temporis aerumnosa miseria non dicendi petat studium, sed vivendi fleat ergastulum.*'

Myth. libr. prol. p. 3 Munck.:

'*quam ... nocturna praesule lucerna commentus sum, ita somniali figmento delusam*' e. q. s.

Hic quoque liber reliquorum instar amici alicuius iussu paratur:

'*et crede, teste deo nostro confiteor, voluissem tuum in his opusculis praeceptum spernere nisi hoc meo indixissem ingenio, tuo nullo modo inobediens inveniri imperio*' — — — '*ergo decuit mihi, domine, propter quem hunc nostrum ordiri libellum videor, vel quo impellente onus durissimum subire cognoscor*' e. q. s.

Expos. serm. ant. prol. p. 167:

'*ne de tuorum praeceptorum serie, domine, nostra quidquam decurtasse inobedientia putaretur, libellum etiam*' e. q. s.

Virgil. Contin. prol. p. 137:

'*in amoris praecepto contemtus nunquam admittitur; ob hanc rem*' *e. q. s.*

Praeterea verbis Virgilianae continentiae his p. 142: 'serva istaec, quaeso, Romanis tuis' respondent huius libelli complures loci,

e quibus hunc quoque scriptorem non fuisse Romanum apparet: nam quovis modo Romanis obtrectare studet, velut cum scribit in libro XI: 'Roma turpi admodum et criminoso mancipata principio', vel alio loco: 'Romanum ergo imperium suo exteroque sanguine enutritum est . . . crevitque semper aut alieno damno aut suo potius detrimento' e. q. s.

Quanta denique locutionum similitudo in utrisque libris appareat, uno manifesto exemplo demonstrasse satis habeo. Exstant enim in Virg. cont. p. 139 haec verba: 'esto ergo contentus, mi domine, leviori fasciculo, quem tibi Hesperidum florulentis decerpsimus hortulis; aurea enim mala si expetis, esto Eurystheus alio fortiori' e. q. s.: quibuscum conferas huius libelli p. 2 verba: 'esto ergo contentus huic oneri quod tibi florulentis excerpsimus hortulis Pieridum et sicut Euristheus mihi imponendo sudore herculeo praefuisti.'

Ab hac igitur parte non dubium videtur, quin Planciades Fulgentius hunc quoque librum conscripserit[1]); illud autem nunc quaeritur, nomina quae sunt 'Fabius Claudius Gordianus Fulgentius' quomodo ad illum cui anteposita sunt librum pertinere possint. Et Reifferscheidus quidem nominum diversitate nisus acutius quam probabilius persuadere studet haec ipsa nomina ansam praebere ad Fulgentii aetatem accuratius definiendam, qua in causa sic ratiocinatur: 'jene alte vita (Fulgentii Ruspensis episcopi) berichtet ferner, dass Gordianus zwei söhne gehabt habe, Claudius und einen andern, dessen namen wir nicht erfahren. vielleicht hiess er Plancus und war der vater unseres Fabius, der sich ihm zu ehren Planciades nannte, während Fabius sein eigentlicher name war; in dem titel des mirificum opus führt er noch die namen seines grossvaters und oheims, nach einer sitte dieser zeit der πολυώνυμοι.' Primum autem non perspicitur, qui factum sit ut huic uni libro scriptor alia nomina atque reliquis praefigeret; tum vero iam Hommeius monet 'potius ad episcopum

1) Non mediocriter haec confirmatur sententia Reifferscheidi p. 143 hac adnotatione: 'dass die Metennia in der Expositio p. 399 (im Nonius v. Gerlach u. Roth) in dem angeblichen Rabiriusfragmente: *abstemium merulenta fugit metenia nomen* erwähnt wird, bei welcher stelle, wie die verschiedenen coniecturen zeigen, niemand an die anekdote von Metennius gedacht zu haben scheint, ist ein neuer schlagender beweis für die identität des Fabius Planciades Fulgentius mit unserm Fabius Claudius Gordianus Fulgentius.'

iure haereditario pertinere omnes significationes: Claudii a patre, Gordiani ab avo, Fabii a proavo aut atavo seniore, ut forte familiae commune nomen sit.' Deinde prorsus apertum est, unde haec nomina in libri inscriptionem irrepserint. Exstat enim Sigeberti Gemblacensis testimonium (de script. eccles. cap. 28), qui 'Fulgentius' inquit 'Ruspensis (episcopus) scripsit libros, quos praetitulavit "sine litteris, librum scilicet de Adam sine A" e. q. s. Cum igitur iste libellus pariter atque alia Planciadis Fulgentii scripta[1]) episcopi esse putaretur, fieri facillime potuit ut aut a librario aliquo non indocto inscriptis nominibus Fabii[2]) Fulgentii adderentur episcopi nomina Claudius Gordianus, aut, id quod etiam magis commendari videtur, soli 'Fulgentii' nomini reliqua tria adicerentur. Nominum igitur diversitati vides adeo nihil tribuendum esse, ut non possis quidquam inde concludere. Hoc unum ex eis quae disputavimus collegisse satis habemus: Afrum fuisse Fulgentium, id quod vel ea, quae de Libyum tamquam suae ipsius linguae litteratura profert, confirmant[3]).

Quodsi de scriptoris aetate quaerimus, dolendum est ea, quae de temporum rationibus in ipsius scriptis exhibentur, non tam

1) Sic Expositio serm. ant. in Vindobonensi 188, Vossiano, Leidensi codd. tribuitur episcopo; nec huc non referendus titulus ille mutilus, quem ex catalogo quodam medii aevi affert L. Muellerus: 'Sinonima Ciceronis et Fulgentius episcopus simul ad Chalcidium' (vide Fleckeiseni annal. vol. XCVI p. 67); nam procul dubio haec quoque inscriptio pertinet ad Expositionem serm. ant.

2) Non prorsus constat de Fabio nomine; codex enim Palat. 886 (cf. Wilmannsii dissertationem 'Der Katalog der Lorscher Klosterbibliothek' in Mus. Rhen. vol. XXIII p. 395) exhibet 'Fauii', sed A. Sanderus Biblioth. Belgicae manuscr. II p. 23 in catalogo veterum mscr. monasterii S. Lamberti Laetiensis tradit 'Flavii'. Contra monet Fabricius in bibliothecae med. et infim. latinitatis tomo II p. 656 Bollandum, qui eodem codice usus est atque Sanderus, eum appellare Fabium (cf. Acta Sanct. Ian. tom. I p. 972).

3) Verba haec sunt p. 3: 'Viginti igitur et duobus elementis penes Hebraeos ordo loquendi disponitur, uno itidem interiecto nostrae linguae profusio: sed et Romae colligitur. Si vero tertiae sequens litterae superieceris signum, graecae linguae necesse est integrum ut monstret effectum. Ergo ex quo in his operibus graecum praecessit ingenium, oportet deinceps nostrae linguae medium ordinem consequi, quo, non bis duodeno, vel bis undeno, sed graecis uno elemento subducto, et Hebraeis uno superposito unicus ordo libyco monstretur in numero' e. q. s.

plana esse, ut inde profectus statim certi aliquid colligere possis. Quod cum ita sit, primum temporis spatium, cuius intra fines Fulgentius necessario vixerit, definire studeamus; hac enim quaestione expedita facilius intellegetur, quo spectent res ab eo commemoratae. Et quod ad terminum quidem 'a quo' quem dicunt attinet, apertum est Fulgentium post annum 439 vel potius 427 scripsisse: nam in Expositione serm. ant. sub voce 'coelibatus' Martiani Capellae de nuptiis Mercurii et philologiae libros commemorat, quem ante annum 427 scripsisse Luc. Muellerus in Fleckeiseni annal. vol. XCIII p. 705 sq. nuper evicit. Terminus vero 'ante quem' scripserit necesse est, non tam facili opera definiri poterit. Circumspicientibus enim nobis scriptores, qui eum expilaverint, mythographi tantum Vaticani alter et tertius ab Angelo Maio in lucem protracti praesto sunt, de quorum aetate non constat. Nam quod etiam primum ex illis mythographum Fulgentii mythologiarum libros novisse Zinkius sibi persuasit, id vereor ut certis argumentis probari possit; plerisque enim locis, ubi summa inter utrumque scriptorem similitudo intercedit, res ita comparata est ut diiudicari nequeat, utrum sua Vaticanus mythographus e Fulgentio excerpserit, an potius hic, id quod mihi veri videtur similius esse, eodem quo ille fonte usus mysticas suas explicationes atque scriptorum testimonia addiderit[1]). Sed

1) Cum longum sit in omnes locos inquirere, unum exemplum, quo statim quae rei condicio sit apparebit, attulisse sufficiat. Exstant apud Servium ad Georg. lib. III v. 391 haec: 'nam non Pan, sed Endymion amasse dicitur Lunam, qui spretus pavit pecora candidissima et sic eam in suos illexit amplexus: cuius rei mysticae (al. Burm. *Mystici*) volunt quandam secretam rationem'. Quibus conferas verba Vatic. myth. I fabulae 229: 'Endymion pastor amasse dicitur Lunam seu Dianam, qui spretus pavit pecora candidissima et sic eam in suum illexit amorem: cuius rei mysticam quandam volunt rationem. duplo quippe modo amasse dicitur Lunam, seu quod primus hominum cursum lunae invenerit, unde et XXX annis dormisse dicitur, quia nihil aliud in vita sua nisi huic repertioni studuit, sive quod nocturni roris humor, quem tam siderum quam ipsius lunae vapores animandis herbarum sucis consudarunt, pastoralibus prosit successibus': haec autem Fulgentii Myth. lib. II fab. 19: 'Endymionem vero pastorem amasse dicitur, duplo scilicet modo: seu quod primus hominum Endymion cursum lunae invenerit, unde et XXX annos dormisse dicitur, qui nihil aliud in vita sua nisi huic repertioni studuit, sicut Mnaseas in primo libro de Europa scribens tradidit: sive pastorem Endymionem amasse fertur quod nocturni roris humor, quem aporria siderum atque ipsius Lunae animandis

etiamsi Zinkio largiamur intercedere inter utrumque scriptorem illam quam statuit rationem, nihil tamen inde proficitur propterea quod, cui tempori mythographus ille tribuendus sit, item non constat; nam quae in paragraphi sextae initio de eius aetate Zinkius profert, bene quidem excogitata sunt, sed argumentis nituntur admodum infirmis vel potius nullis. Externa igitur testimonia, e quibus certus annus ante quem scriptor floruerit colligatur, cum non exstent, in eo acquiescimus ut illum e virorum doctorum consensu cum propter linguae colorem tum propter codicum condicionem[1]) non potuisse non ante septimi saeculi initium scribere statuamus.

Iam vero ipsius Fulgentii verba, quae ansam praebeant ad aetatem eius accuratius definiendam, repetentibus nobis explorandum erit, quibusnam rebus intra descriptos annorum fines in Africa gestis respondeant ea quae ipse narrat. Duo imprimis in Mythol. librorum praefatione loci sunt, quorum hac in quaestione ratio erit habenda: prior p. 6, ubi haec refert: 'sopitisque in favilla silentii raucisonis iurgiorum classicis, quibus me Galagetici quassaverunt impetus, defaecatam silentio vitam agere creditabam', alter p. 7, ubi haec sunt: 'nec hoc tantum miseriarum ergastulum sat erat: addebatur his, quod etiam bellici frequenter incursus pedum domo radicem infigere iusserant .... sed quia nunquam est malum immortale mortalibus, tandem Domini regis felicitas adventantis velut solis crepusculum mundo tenebris dehiscentibus pavores extersit.' Quodsi, qui dicantur hoc loco Galagetici impetus et bellici incursus, quos novus rex feliciter depellat, exploratum habuerimus, Mythologiarum saltem libri quo anno conscripti sint apparebit. Et 'Galageticos' quidem impetus, qui in libris omnibus produntur, recte sese non habere apertum est; nulla enim gens exstat, quae hoc nomine appellari possit. Altera autem corruptae vocis parte quin Goti significentur, dubium non est; pro priore autem (*Gala*) Salmasius

herbarum sucis insudat, pastoralibus prosit successibus.' — Aut fallor, aut exstitit, id quod postrema eius verba docent, iam in Servii fonte mystica illa explicatio, quam hic ut supervacaneam suoque consilio minus aptam praetermisit, Vaticanus mythographus et Fulgentius receperunt, hic autem, qua est scriptorum commemorandorum cupiditate, Mnaseae inseruit testimonium. Videntur igitur hoc loco Servius, Vaticanus mythographus, Fulgentius ex uno eodemque fonte hausisse.

1) Cf. Bernhardii latinar. litt. historiam p. 350 adn. 247 ed. 4: 'aus diplomatischen gründen gehört er mindestens ins 6. jahrhundert.'

leni mutatione suasit 'Gallo', quo fit ut 'Gallogetici' prodeant incursus. Iam quaeritur, cui genti Gallogetarum nomen recte dari potuerit. Zinkius quidem id non dubitat ad ipsos Vandalos referre; verum in hos quidem dici fere nequit quam ista appellatio non quadret, id quod iam Munckerus (quem sequitur Lerschius) intellexit, cuius de sententia iniquius quam par erat Zinkius videtur existimavisse. Primum quidem multo exquisitius ideoque in Fulgentii dicendi genus congruentius impetus dici Gallogeticos quam Vandalicos contendit. Sed num, quaeso, credibile est adeo circumscriptiones in deliciis habuisse scriptorem, ut ipsos cives suos Gallogetas appellaret? Praeterea Fulgentium Zinkius putat iccirco obscuriore illo nomine usum esse, ne offenderet Vandalos. Ita autem num fugere potuit Vandalos, in quorum finibus ipsi illi impetus fiebant, quasnam res significaret, praesertim cum de tempore, si non praesenti, tamen vix peracto ageret? Verum illa explicatio quominus fidem inveniat, etiam aliae caussae obstant gravissimae. Nam ut Zinkio demus 'Gallogetarum' nomine Vandalos appellari potuisse, quamquam quid hi cum Gallis et Gotis commune habeant, me non intellegere fateor, at remanent illi 'impetus', de quibus nihil traditum est: ad privatas enim res Fulgentii hanc notionem referri posse quis est qui Zinkio credat? Accedit quod ne dominus quidem rex reperitur illo quo Zinkius vult tempore, qui commode cum solis crepusculo comparari possit propter hostium incursus feliciter repulsos; Hunericum enim regem contra Mauros, qui in Vandalorum fines irrumpere solebant, male rem gessisse prorsus constat[1]). His de caussis vereor ne sibi soli Zinkius persuaserit potuisse Gallogetarum nomine Vandalos significari[2]).

At fuit tempus, quo in Africa impetus fiebant per milites, qui haud inepte Gallogetae dici poterant, de quo iam breviter exponam.

---

1) Cf. Papencordtii historiam Vandal. regni p. 111: 'der enderfolg war jedoch, dass die Mauren auf dem berge Aurasius in Numidien sich unabhängig machten und wegen der festigkeit und unzugänglichen lage ihrer neuen wohnsitze auch fernerhin von den Vandalen nicht unterworfen wurden.'

2) Videtur idem sensisse Comparettius, qui, alioqui Zinkianae dissertationi debitam laudem non detrahens, de ea in qua versamur parte sic iudicat: 'Les conjectures au moyen desquelles M. Zink cherche à établir par un chemin nouveau l'âge de Fulgence quoique fort ingénieuses et habilement construites, laissent beaucoup de doutes chez le lecteur' (Revue critique a. 1869 n. 35 p. 135).

Theodericus enim magnus rex Gotorum Amalafridam sororem teste Iornande (de rebus Geticis cap. 58: 'Amalafredam germanam suam, matrem Theodoti, qui postea rex fuit, Africae regi Vandalorumque coniugem dirigit Thrasamundo') in matrimonium dedit Thrasamundo Vandalorum regi, simulque magnum nobilium Gotorum numerum, qui leviri imperium firmarent, in Africam misit[1]; hos autem equites potuisse a Fulgentio Gallogetas appellari, non est quod pluribus explicem[2]. Neque longius repetendi videntur impetus illi. Proditur enim memoriae Thrasamundo mortuo ab Amalafrida Gotis adiuvantibus seditionem factam esse; conicere igitur licet duas fuisse illo tempore Carthagine partes, alteram Vandalorum, alteram Gotorum, quae post regis mortem rem publicam turbaverint: atque huc urbana tempestas a Fulgentio commemorata et impetus illi, quos ut effugeret in villam se recepit, certo referendi sunt. Bellici autem incursus non est dubium quin Maurorum fuerint, quibus cum fere semper Vandalis bellum erat. Atque ipso illo tempore, ad quod mea quidem opinione Fulgentii verba spectant, Vandalos Maurorum impetibus vexatos esse affirmat Procopius de bello Vandal. I, 8 p. 198 ed. Dind., ubi narrat sub vitae finem Thrasamundi Mauros Vandalis ingentem cladem intulisse. Nec mortuo rege in Vandalorum fines illos irrumpere destitisse Fulgentius Ferrandus testis est, qui Fulgentii episcopi Ruspensis vitam conscripsit[3]). Quae cum ita essent, mirum non est quod ad Mauros confugit Amalafrida, quibus facile persuasit ut una cum Gotis bellum

1) Non satis constat de equitum illorum numero, sed haud ita parvum fuisse testantur Procopius atque Theophanes: ille de bello Vandal. I, 8 p. 346: ὁ δέ (i. e. Theodericus) οἱ (Thrasamundo) τὴν ἀδελφὴν ἔπεμψε καὶ Γότθων δοκίμων χιλίους ἐν δορυφόρων λόχῳ, οἷς δὴ ὅμιλος θεραπείας εἵπετο εἰς πέντε μάλιστα χιλιάδας ἀνδρῶν μαχίμων' — Theophanes autem chronogr. p. 288: ὁ δὲ τὴν ἀδελφὴν δέδωκεν αὐτῷ εἰς γυναῖκα καὶ Γότθων δοκίμων δισχιλίους ἐν τάξει δορυφόρων σὺν ἄλλαις πέντε χιλιάσιν ἀνδρῶν μαχίμων πρὸς ὑπουργίαν τούτων.

2) Ne in orbem circumagi in concludendo videar, si appellatione, quae Salmasii demum coniecturae debetur, nisus tempus definire studeam, moneo me priori vocis parti (*Gallo*) haud ita multum tribuere; rei cardo in eo vertitur, ut *Gotos* aliquando in Africa fuisse demonstretur.

3) Sic enim scribit: 'Quando non post plurimos dies accersitionis eius (i. e. episcopi, qui Thrasamundo regnante exul, statim ubi primum Hildericus rerum potitur, restitutus est) inimica gens Maurorum Ruspense territorium repente vexavit, rapinis, caedibus, incendiis devastans' (v. Acta Sanct. Ianuarii tom. I p. 972 sq.).

Vandalis inferrent. Haec autem res parum prospere eis cessit; pugna enim ad Capsam urbem commissa a novo Vandalorum rege Hilderico, qui Thrasamundo in regno successerat, superati Gotique ad unum omnes trucidati sunt [1]). Vides igitur ab hac parte suo iure Fulgentium cum solis crepusculo comparare novum regem, quippe qui Maurorum perniciosis incursibus finem imposuerit. Sed altera praeterea caussa fuit, cur novus rex tam honorifico nomine Fulgentio necessario dignus videretur; exstitit enim ille fidei catholicae sospitator eo, quod episcopos a Thrasamundo in exilium coniectos restituit. Quae omnia si recte disputavimus (ac nisi prorsus fallimur, argumenta a nobis allata satis ad persuadendum apposita sunt), Mythologiarum librorum praefatio composita est anno 523 vel 524 [2]). Hinc profecti non necessitate quidem demonstrandi, at ratiocinandi probabilitate utimur cum Fulgentium circa annum octogesimum saeculi quinti natum esse conicimus; nam et totus scriptorum eius tenor (imprimis Mythologiarum librorum) aetate iam provectiorem scriptorem prodit, et ipsa verba, quibus carmina olim a se composita tangit, hoc testantur [3]).

Quae praeterea de Fulgentii vita et moribus ex ipsius scriptis erui possunt, adeo explanavit Zinkius, ut huius rei uberius explicandae opera commode supersedere possimus. Eis tamen, quae de scriptis Fulgentii disputavit, nonnulla habeo quae addam. Et primum quidem quo ordine libros suos conscripserit, fere dubium esse nequit. Nam carmina illa supra a nobis commemorata certo primum locum obtinent. Tum vero post longum temporis intervallum (reliquos enim libros omnes ad unum fere idemque tempus spectare praefationes docent) eum 'physiologum librum'

1) Cf. Procop. de bello Vand. I, 8 p. 349: τήν τε γὰρ Ἀμαλαφρίδαν ἐν φυλακῇ ἔϲχον καὶ τοὺϲ Γότθουϲ διέφθειραν ἅπανταϲ, ἐπενεγκόντεϲ αὐτοῖϲ νεωτερίζειν ἔϲ τε Βανδίλουϲ καὶ Ἰλδέριχον. τίϲιϲ μέντοι οὐδεμία πρὸϲ Θευδερίχου ἐγένετο, ἐπεὶ ἀδύνατοϲ ἐνόμιϲεν εἶναι ϲτόλῳ μεγάλῳ ἐϲ Λιβύην ϲτρατεῦϲαι.

2) Aliam igitur atque Reifferscheidus viam ingressi ad eundem annum, quo ille librum compositum esse vult, pervenimus, fierique sane potest ut inter Fulgentium episcopum et Planciadem affinitas ista intercedat, quam ille suspicatus est.

3) Zinkius quoque p. 18 hoc agnoscit his verbis: 'und zwar scheint er damals (h. e. cum Mytholog. libros scripsit) schon in gereifteren jahren gestanden zu haben, indem er von seinen jugendgedichten und liebeständeleien als von einem überwundenen standpunkte redet.'

aliquem conscripsisse veri simile est: mentionem enim eius facit in Virg. Cont. p. 149 verbis hisce: 'saturanter haec, inquam, in libro physiologo, quem nuper edidimus de medicinalibus causis et de septenario ac de novenario numero, omnem arithmeticae artis digessimus rationem'. Mythologiarum autem libros statim exceptos esse a Virgil. Continentia inde apparet, quod in hoc libro de Tricerbero uberius agere recusat, caussam hanc afferens, quod eam fabulam iam superius (i. e. in Myth. libris) exposuerit. Vnde hic ordo evadit: Physiologus liber, Mythologiarum libri, Virgiliana continentia. Deinceps Expositionem serm. ant. edidit: nam sub voce 'choragium' haec scribit: 'sicut Apuleius in metamorphoseon ait: choragio itaque perfecto omnes domuitionem parant'; haec autem verba non ex Apuleio sumpta esse, sed ad ipsius Fulgentii locum, qui est in Myth. libri III fabula 6, pertinere Lerschius p. 60 recte vidit. Liber autem de aetate mundi utrum ante librum physiologum an post Virgilianam continentiam compositus sit, in incerto est, veri tamen simillimum ante Expositionem serm. ant. editum esse, id quod inde conieceris, quod fabulam de Metennia (vide supra p. 4 adn. disputata), quam in libro de aetate mundi exponit, in hoc libro obiter tantum tangit. — In transcursu commemoro Kellerum in Symb. phil. Bonn. p. 501 sq. Pseudoacronis scholia Horatiana saeculi V iniuria Fulgentio tribuere, id quod propediem alio loco accuratius demonstrabo.

Nunc vero paucis erit explicandum, quo iure supra librum, quo de Vergilii carminibus agitur, 'Virgilianam continentiam', illum autem, quo obscurorum vocabulorum explicationes continentur, 'Expositionem sermonum antiquorum' appellaverimus, cum de utrinsque libri inscriptione parum inter viros doctos conveniat: qua oblata occasione simul, quibus amicis scriptor libros suos dedicaverit, commode disceptabitur.

Et priorem quidem librum inscribendum esse 'Physica ratio super Virgilium' Lerschius contendit p. 15 utens codicis Bruxellensis auctoritate, quam et ipsius Fulgentii verbis: 'secreta physica Virgilianae continentiae tetigi' et Sigeberti Gemblacensis testimonio[1]): 'ne videar humana miscere divinis, non commemorabo sacris libris mirabile huius viri opus, qui totum opus Virgilii ad physicam rationem referens' e. q. s., confirmari opi-

1) de scriptoribus eccles. cap. 28.

natur[1]). At ille cum omnino non curaret rationem quae inter singulos libros manu scriptos intercedit, fugit eum Bruxellensis codicis fidem fere nullam esse, quippe qui, ut infra demonstrabitur, deterioribus libris adnumerandus sit; tum vero neque ex Fulgentii neque ex Sigeberti verbis certi quicquam colligi potest, quia uterque locus ita comparatus est ut, utrum plena libri inscriptio dedita opera necne afferatur, diiudicari nequeat[2]). Libri autem, qui mihi innotuerunt, has exhibent inscriptiones:

Reginensis 208: Expositio Virgiliane c̃tinentie morāl scdm phils' (i. e. moralis secundum philosophos).

Palatinus 1579: 'Expositio Virgiliane filosofos moralis.'

Palatinus 1578: 'Expositio Virgiliane continentiae secundum filosofos moralis.'

Reginensis 1462: 'Expositio Virgilianae continentiae secundū philosofos moralis.'

Gothanus 55: (apud Iacobsium et Ukertum I p. 230): 'de continentia Virgiliana.'

Gothanus 56 (ibidem p. 231): 'Fabii Planttae de Fulgentio Expositio philosophica Aeneidos Virgilianae.' Idem titulus exstat in cod. Gothano 152 (p. 277), sed additus a manu recentiore.

Vaticanus, quem Lerschius p. 15 commemorat: 'Moralis expositio Virgilianae continentiae.'[3]

Videtur igitur, optimos et antiquissimos codices si sequimur, liber inscriptus fuisse: 'Expositio Virgilianae continentiae[4]) secundum philosophos moralis'[5]). At Zinkius p. 3 adn. 2 duas libri recensiones ipsum Fulgentium fraudulenter titulis mutatis parasse suspicatur, nec mediocriter eam coniecturam illud videtur adiuvare, quod etiam ad diversos homines singulae inscriptiones spectant; in editionibus enim cum liber inscribatur 'ad Chalcidium grammaticum', codex Gothanus praebet 'ad Catum archidiaconum Carthaginensem'. Hac autem in causa quantopere

1) Poterat eodem iure illud Mythographi Vat. III fab. 5 p. 171 pro genuino titulo habere: 'ut in Fulgentio super Aeneide legitur.'

2) Atque vel propterea non multum hac in re valet Sigeberti testimonium, quod libri exstant manu scripti qui eum aetate superent.

3) Codd. Gudiani 331 et 333 inscriptione carent.

4) De voce 'continentia' pro eo quod continetur adhibita cf. Munckeri adnot. p. 137 et Lerschium p. 15.

5) In commemorando libro pergimus compendio usitato hoc uti: Virg. Cont.'

nodum in scirpo quaesiverit Zinkius, facili opera demonstrari potest; prorsus enim, si quid video, dubium esse nequit quin Cato presbytero, cuius iussu etiam Mythologiarum libros conscripsit Fulgentius, libellus iste dicatus sit. Nam primum quidem nullus ex octo qui mihi innotuerunt codicibus illa praebet 'ad Chalcidium grammaticum', sed omnes, uno excepto Gothano, inscriptione carent, ita ut statim Mythol. libros hic excipiat: ut vel hinc conicias ad unum eundemque hominem utrumque librum missum esse. Quo adde, quod in Cont. Virg., ubi de Tricerbero agit, hanc se fabulam dicit iam superius exposuisse. Num vero credibile est haec illum scribere Chalcidio, dum Cato eum librum, quem 's u p e r i u s' vocabulo significat (h. e. 'Mytholog. libros ad Catum presbyterum'), transmittit? Accedit gravissimum argumentum, quod ipsum libri initium, ne grammatico donatus credatur, suadet; quomodo enim ad grammaticum haec, quibus alloquitur amicum, pertineant: 'Levitarum sanctissime?' Ceterum alicuius fortasse momenti etiam Gothani codicis testimonium est, quamvis eum inter deteriores libros esse persuasum habeam: quando interdum factum esse constat, ut per rivulos quosdam occultos aliquid boni ex archetypo etiam in proletarios libros permanaret. Haec autem si probabiliter disputavimus, ansam praebebunt, qua usi de altero libro (Expos. serm.) recte statuamus.

Ac primo quidem obtutu, cum non solum duae librorum mscr. familiae eaeque sat inter se discrepantes exstent, sed etiam duplex libri inscriptio tradita sit, facile Lerschio assentiare Fulgentium suspicanti alterum libri sui exemplum Chalcidio, alterum paucis factis mutationibus Cato destinasse. Sic enim ille p. 90: 'Jene verschiedenheiten . . . leiten mich auf die vermuthung . . . dass Fulgentius dasselbe werk in etwas veränderter gestalt einmal dem Chalcidius, ein andermal seinem freunde Catus übersandte. . . . . Wenn diese vermuthung die prüfung der kritik aushalten sollte, so hat der betrüger Fulgentius nicht allein die leser, sondern auch seine guten freunde auf eine schmähliche weise hintergangen.' Zinkio autem omnia, quae Lerschius de quaestione illa disputavit, adeo placuerunt, ut iterum eam in rem accurate inquirere operae pretium non esse opinaretur[1]). Videamus igitur, possitne a tam gravi opprobrio scriptor necne defendi. Adeuntibus igitur nobis

---

1) Zinkius cum p. 28 scribit: 'In allem übrigen verweisen wir auf die monographie von Lersch, nach dessen eingehenden untersu-

libros manu scriptos haec se offerunt quas infra posui inscriptiones. Praebent enim

Bruxellensis 10083: 'Incipiunt Glo///sae ad Catum Prbm.'

Bruxellensis 9172: 'Fulgentii epi ad calcidium grammaticum de abstrusis et inusitatis nominibus'[1]).

Florentinus (in Lamii catalogo cod. mscr. bibliothecae Riccardianae ed. Liburni 1756 p. 206): 'Interpretationes quorundam verborum abstrusorum'.

Vindobonensis 804 (CDXV apud Endlicherum.): 'Expositiones diversorum vocabulorum'.

Gudianus 335: 'Incipiunt glosse Fulgentii Pl' ad Calcidium prespiterum'.

Middlehillensis 677 apud Haenelium Catal. libr. mss. p. 159: 'Fulgentii presbyteri lib. de abstrusis sermonibus.'

Reginensis 1462: 'Incpt Exp. Sermonum antiquorum ad grammaticum Calcidium'; in fine autem: 'Expositio sermonum antiquorum ad Calcidium grammaticum finit feliciter'.

Urbinas 670: 'Fulgenti mithologiarum et expositio sermonum antiquorum;' in fine: 'Expositio sermonum antiquorum ad Calcidium grammaticum finit feliciter'[2]).

Urbinas 452: 'F. Placiades Fulgentius in expositione sermonum antiquorum ad grammaticum Calciadium.'

Duacensis apud Haenelium catalog. p. 159: 'Fabii Planciadis gramm. expos. sermonum antiquorum.'

Vindobonensis 188 (CCCXCII Endl.): 'Incipit expositio sermonum antiquorum Fulgentii Epi ad Calcidium grammaticum'.

---

chungen es kaum möglich sein dürfte, etwas wesentlich neues darüber (i. e. de Expos. serm.) beizubringen', Reinholdi Klotzii commentationem, quae est in Iahnii ipsiusque annalium vol. XLIII p. 71—96, ignorasse videtur: ibi enim argumentis prorsus aptis ad persuadendum demonstratur in multis haud mediocriter errasse Lerschium: velut prorsus mira sibi finxit exponens, quomodo Fulgentio in mentem venire potuerit, ut ea ipsa tantum, quae libello continentur, vocabula interpretanda susciperet. Cf. praeterea L. Rothium in annal. Heidelbergens. anni 1845 m. Iul. et Aug., Lerschium Mus. Rhen. n. vol. V p. 309 sq. et IV p. 155 sq.

1) Hanc genuinam libri inscriptionem fuisse contendit I. Beckerus in Mus. Rhen. n. vol. V p. 33.

2) Librarius quidem episcopo Fulgentio librum tribuit, subscripsit enim: 'Iste Fulgentius primo quidem vir clarissimus philosophiae disciplinae affatim deditus, cunctis sapientibus amabilis et carus, postea vero tempore Anastasi imperatoris episcopus carthaginiensis est ordinatus.'

Leidensis 135: 'Incipit expositio sermonum antiquorum a Fulgentio episcopo composita ad grammaticum Calcidium'.

Gudianus 23: 'Expositio sermonum antiquorum'.

'Bas. abbatiae S. Petri' (in 'Labbei Bibl. nova mss. I p. 668' teste Gerlachio Nonii p. 387. 388): 'Expositiones sermonum antiquorum'.

Vossianus 96: 'Expositio sermonum antiquorum Fulgentii episcopi ad Calcidium grammaticum', deinde: 'Glosae Fulgentii episcopi ad Calchidium presbiterum'.

Mediceus (apud Gerlachium): 'Flavii Planciadis Fulgentii V. C. expositio antiquorum sermonum ad Graticium Calciadium'.

Apparet ex his, cum maiore codicum numero librum inscribendum esse 'Expositio sermonum antiquorum.' Neque difficultatem creant, quas primo loco posuimus, librorum discrepantiae; quotiens enim exemplaria, quibus utebantur librarii, inscriptionibus carebant, de suo eiusmodi titulos apponebant, velut 'expositio diversorum vocabulorum', 'interpretationes,' 'glossae' et quae sunt similia. Quodsi, cuinam homini libellus ille dicatus fuerit, quaerimus, etiamsi plurimorum librorum fide Chalcidio grammatico tribuendus videatur[1]), tamen gravissimae nos caussae movent ut aliter de hac re statuamus: quando in talibus sana ratio plus valeat necesse est quam librorum auctoritas. Vel per se autem, traditarum in libris inscriptionum ratione non habita, grammaticum aliquem abstrusorum sermonum explicationem expetere veri videtur dissimillimum, id quod iam Klotzius his verbis monuit: 'ein grammatiker wie Chalcidius[2]) fragte schwerlich über jene wörter an.' Accedit alterum, quod grammaticum aliquem tam rudem fuisse, ut graece prorsus nesciret, credi vix potest; Fulgentius enim infra scribit: 'ne quid graecum te turbet exemplum, ego pro hoc tibi latinum feram.' Iam dixerit quispiam fortasse ad Chalcidium quendam presbyterum, quem nonnulli libri volunt, pertinere inscriptionem: perfacile enim fieri potuisse, ut librarii in Chalcidii presbyteri locum Chalcidium grammaticum ut sibi notiorem substituerent. Sed ne hoc quidem videtur probandum

1) Cf. A. Riesium in Mus. Rhenani vol. XIX p. 300 sq.

2) De Chalcidio illo, quem Platonis Timaei interpretem exstitisse notum est, hoc loco cogitari non posse apertum est: ille enim Constantino imperante vixit. Eiusdem autem nominis grammaticus utrum Fulgentii aetate necne fuerit, prorsus latet.

esse; exstat enim testimonium quod, si non magni, tamen alicuius momenti est[1]), Sigeberti Gemblacensis de script. eccles. cap. 28, qui Bruxellensis codicis memoriam confirmans libellum prodit inscriptum fuisse 'ad Catum presbyterum.' Verum etiamsi hoc testimonium non exstaret, sola interna quae dicitur probabilitate Cati nomen libro praepositum nobis commendaretur. Vidimus enim et Mytholog. libros et Virg. continentiam Cati iussu conscripta esse: nam in illorum praefatione haec posita sunt: 'quia mihi nuper imperasse dignosceris, ut' e. q. s.; in Virg. Cont. autem: 'in amoris praecepto contemptus non admittitur.' Cum autem in huius libelli prooemio de serie quadam praeceptorum amici dicatur verbis hisce: 'ne de tuorum praeceptorum serie, domine, nostra quicquam curtasse inobedientia putaretur, libellum etiam, quem de abstrusis sermonibus interpretari iussisti, absolutum retribui'[2]), ad 'libellum' vocem autem 'etiam' particula apposita sit, qua plane docemur iam plures ad eundem amicum libros scriptorem misisse, ad quemnam potius putabis libelli inscriptionem pertinere quam ad Catum? Is autem sine dubio de abstrusis vocabulis, in quibus inter legendum haesit, amicum consuluit, id quod verba 'libellum, quem interpretari iussisti, absolutum retribui' aperte docent; nec minus verba 'quid sit', quibus singula vocabula inducuntur, indicio sunt quaesivisse amicum de eis vocibus. Quae cum ita essent, Fulgentio omnino in mentem venire non potuit alii amico hoc responsum reddere. Nec, si illo quem posuimus modo librum natum esse constiterit, multis artificiis adhibitis cum Lerschio, qui hac in re operam prorsus perdidit, in eo erit elaborandum, cur haec potissimum verba interpretanda scriptor susceperit. In duplici autem libri recensione nihil inest quod suspitionem moveat; ipsa enim libri natura ferebat, ut suo quisque usui eum accommodaret[3]). Apparet igitur Lerschium nimium vidisse omnesque eius de Fulgentii dolo coniecturas corruere.

---

1) Non multum huic scriptori propterea tribuo, quod saeculi noni et decimi libri etiam nunc exstant Chalcidii nomen exhibentes: quamvis veri simile sit eis vetustiores libros illum ante oculos habuisse.

2) Sic exhibentur verba in optimis libris: deteriores enim Lerschius secutus est.

3) Cf. Lerschium in Mus. Rhen. n. vol. V p. 313 sq. ('Eine Bonner epitome des Fulg. de abstr. serm.')

Non autem hinc alienum videtur adnotatiunculam subicere de libro quodam manu scripto, quem Lerschius in libelli sui fine tetigit. In I. Ph. Tomasini enim catalogo bibliothecae Patavinae manuscr. publ. et priv. (Utini edito a. 1639) p. 91 commemoratur hic bibliothecae Zabarellae liber: 'Fulgentius super Bucolic. et Georg. Virgilii cum notis scriptus à Joan. de Yppolitis Brixiensi An. 1359. Die 15 Iulii.' Huius igitur libri mentione facta sic quaerit Lerschius: 'Ist dieser commentar über Bucolica und Georgica vielleicht die Continentia Virgiliana? oder findet sich jene handschrift eines besondern werkes noch auf jener und andern bibliotheken vor?' Respondit nuper Comparettius (Revue critique d'histoire et de littérature a. 1869 n. 35), cuius verba subieci: 'L'existence d'un commentaire de Fulgence sur les Bucoliques et les Géorgiques m'a paru un fait bien singulier, d'autant plus que Fulgence lui-même, dans son *De continentia*, dit explicitement qu'il ne l'a pas fait: *bucolicam georgicamque omisimus, in quibus tam mysticae sunt interstinctae rationes* etc. etc. Aussi j'ai eu la curiosité de voir ce manuscrit et je l'ai retrouvé tel que Tomasini le décrit, dans la bibliothèque publique de Padoue. C'est bien un commentaire sur les Bucoliques et les Géorgiques, mais sans le moindre doute il n'est pas de Fulgence. Quoique un lui ait appliqué le nom de cet écrivain, la langue, le style, les idées, la méthode ne sont pas de lui, et du reste on voit du premier abord, par les autorités qu'il cite, que l'auteur de ce commentaire est bien plus récent. Ainsi M. Zink n'a rien omis de bien essentiel en passant ce manuscrit sous silence.'

Caput II.

De artis criticae praesidiis.

De fide Fulgentii quod nondum satis constat, eo minus mirandum est, quia post Munckeri curas in Fulgentii scriptis ad optimorum codicum auctoritatem emendandis versatus est nemo[1])

1) Excipio 'Expositionem serm. ant.', quippe cuius libri editiones paraverint Gerlachius (una cum Nonio Marcello ab ipso et Rothio edito)

praeter Fr. Jacobsium[1]), qui quidem graecorum scriptorum testimoniis a Fulgentio allatis medicinam adhibiturus iniquo fato eo codice usus est, quo corruptiorem non exstare infra demonstrabimus. Quare ut certum fundamentum esset, quo ad artem criticam factitandam niti possemus, cum ipse codicibus conferendis operam dedi, tum dici fere nequit quanta liberalitate Conradus Bursianus mihi librorum ab ipso et amicis collatorum usum concesserit. Praeterea etiam consilio vir doctrinam humanitate aequans adeo mihi adfuit, ut facere non possim quin ei hic gratias agam meritas debitasque.

Iam qui mihi praesto fuerint Mythologiarum librorum et Virgilianae continentiae libri manu scripti, enumerandum et, quae inter singulos codices ratio intercedat, examinandum erit: qua in re eum ordinem tenebo, ut vetustiores deinceps sequantur recentiores libri.

I) Vaticano-Palatinus 1578, saeculi VIIII, membranaceus. Ibi fol. 36 p. 1 haec leguntur: IN NOMINE DNI IHV XPI IN HOC CODICE HAEC INSVNT FABVLAE NVMERO . L . SECVNDV PHILOSOPHIAM EXPOSITAE A FVLGENTIO PRBO[2]) VC AD CATVM SPBITERVM CHARTHAGINIS. Sequitur post vacuum spatium f. 2: FABII PLANCIDIADIS (sic) FVLGENTI VRCL MITOLOGIORV LIBER TERTII CAPITVLA EXPLICIVNT INCIP' LIB PRIM. In libri secundi fine haec scripta sunt: *Fabii Planciadis Fulgenti uiri clarissimi mitologiarum liber secundus explicit. incipit liber tertius*, in fine autem totius libelli: *Fabii Planciadis Fulgenti VC. Mitologiarum Lib tertius exp. incp. expositio sermonum antiquorum ad gramaticum Calcidium.* In fine 'expositionis' haec exstant: *Fabii Planciadis Fulgenti VC expositio sermonu antiquorum cu testimoniis explicit feliciter.* Sequitur Virgiliana continentia, quae sic inscribitur: *Incipit expositio Virgilianae continentiae secundu philosofos moralis.* In Mythologiarum libris aliquot folia interciderunt, ita ut magna lacuna exstet inde a

et Lerschius, quamvis me iudice multi huius libri loci etiamnunc correctorem exspectent.

1) In libri qui inscribitur 'Beiträge zur älteren Litteratur oder Merkwürdigkeiten der Bibl. zu Gotha' (ed. Lipsiae a. 1836), vol. II p. 416 sq.

2) Litteris PRBO (i. e. *presbytero*) ea notio, quae ad Catum spectat, librarii errore videtur etiam ad Fulgentium relata esse; nam in reliquis omnibus *V. C.* i. e. *uir clarissimus* appellatur.

verbo *feruescat* (p. 36 Munckerianae editionis) usque ad *magnitudo* (p. 73) pertinens.

II) Codex Montepessulanus 334, saeculi X. Eius inscriptio haec est: *Fabii Placidiadis Fulgentii uiri clarissimi Mithologiarum incipit liber primus.* Liber mutilus est, desunt enim verba inde a pagina 131 fere media usque ad finem libelli. Verba ultima in folii fine sunt: *apud astrologos aliud est astrorum ac siderum cursus affectusque.* Libro primo nomen recte subscriptum est: *Fabii Planciadis Fulgentii uiri clarissimi Mitologiarum lib̄ primus explicit, incip̄ liber secundus.*

III) Codex Bernensis 427, saeculi X. Ipsis libri verbis praemissa haec sunt: *In hoc codice hae sunt fabulae Fulgentii V. C. ad Catū Prbū Carimnis* (pro *Carthaginis*). Tum omissa tota praefatione statim ipsae fabulae secuntur. Sub finem primi libri haec habes: *Fabii Placidiadis Fulgentii* e. q. s.; item alteri et tertio libro subscribitur *Placidiadis.*

IV) Codex Reginensis 1462, saeculi XI, fere quadratus. Folii alterius haec inscriptio est: *Fulgentii de fabulis gentilium moraliter expositis. In nomine dn̄i ihū χr̄i. In hoc codice haec* (*hinc* man. 2) *insunt fabule numero .L. secundum philosofiam expositae a Fulgentio V̄C. ad Catum Presbiterum cartaginis. D̄S̄ fare legeti.* Secuntur fabularum quae libro continentur tituli, quos haec verba excipiunt: *Fabii Planciadis Fulgenti VR̄ C̄L mitologiarū Lib III cap̄ expt. Inc̄p lib̄ primus*[1]). Ceterum in hoc libro eodem ordine quo in primo codice Mythologiarum libri, Expositio serm., Virgil. Continentia insunt, atque adeo prorsus eadem verba singulis libris et inscribuntur et subscribuntur, ut non opus sit hic ea iterare.

V) Codex Guelferbytanus I = Gudianus 331 (apud Ebertum n. 357), saeculi XI[2]), membranaceus. Liber quadratus est foliorum 68 versuum 20; continet Mythologiarum libros et Virgil. Cont. Postrema sex folia aenigmata inedita praebent, quae

1) Ex his luculenter apparet, quid Palatini codicis verba: *liber* (pro *libri*) *tertii capitula expliciunt incip. liber primus* sibi velint; in illo enim libro quo referantur, propterea non habent, quod fabularum titulos, quibus perscribendis vacuum tantum spatium reservavit, transcribere librarius omisit.

2) Ebertus eum duodecimo, Bodius in notis crit. ad Mythogr. Vatic. p. 3 decimo saeculo tribuit; equidem, postquam in bibliotheca Guelferbytana alios multos comparavi, saeculi XI esse persuasum habeo.

data occasione publici iuris faciam. Praeterea inest *Disputatio regalis nobilissimi iuuenis Pipini cum Albino scholastico.* Liber a Francogallis raptus (id quod bibliothecae imperialis signum primae paginae impressum testatur) pace composita in Guelferbytanam bibliothecam restitutus est. In libri principio haec exstant: *Fabii Planciadis Mithologiarium liber incipit p.* Mythol. librum III statim subsequitur inscriptione omissa Virg. Cont., manu recentiore additis: *Virgilius allegoriratus.*

VI) Codex Reginensis 204, saeculi XI (?), membranaceus 8°. Insunt in eo nonnulla e Boethii scriptis, Servii centimetrum, Avieni fabulae, deinceps Fulgentii Myth. liber tertius inde a fabula V usque ad finem, ubi haec scripta sunt: *Fabii Planciadis Fulgentii ūr cl mitologiarū liber tercius explicit feliciter.* Sequitur Virgiliana continentia. In fronte libri legitur nomen *Petri Danielis.*

VII) Codex Parisinus 7975, saeculi XI. Mutilo hoc libro Fulgentii verba a libri demum III fabula quarta continentur. In fine haec sunt: *Fabii Planciadis Fulgentii VC Mitologiarū lib. III expl.*

VIII) Codex Guelferbytanus II = Gudianus 333 (apud Ebertum n. 358), ex museo Bernhardi Rottendorfii, saeculi XII, quadratus membranaceus, foliis constans 44 versuum 36. Inest praeter Myth. libros etiam Virgil. cont.

IX) Codex Gothanus membr. I n. 55, saeculi XIII: de quo vide Iacobsii et Ukerti librum vol. I p. 230. Ibi Mythologiarum libri implent folia 24. Inter versus multum spatii relictum est ad glossas recipiendas. Post prooemium, quod continetur quattuor foliis et dimidio, haec secuntur: *Explicit prologus sequentis libri. — In hoc codice insunt fabulae numero quinquaginta philosophice exposite a fulgencio u. c. ad catim presbiterum cartaginis*; in fine haec sunt: *Expliciunt fabule fulgencii.* Sequitur: *Gaii*[1]) *Fabii Planciadis Fulgentii liber de continentia Virgiliana*[2]) *ad Catum Archidiaconum Carthaginensem:* qui libellus folia tria cum dimidio occupat.

1) Huic inscriptioni innisus Zinkius p. 1 § 1 Fulgentio *Gaius* praenomen tribuit; sed cum huius codicis auctoritas fere nulla sit et tota libri inscriptio ad arbitrium facta, parum illi ratiocinationi tribuendum videtur.

2) Exstat huius libri collatio ab Oehlero parata in Iahnii annalium supplem. vol. XV p. 95 sq.

X) Codex Parisinus 6503, miscellaneus, 'Iac. Puteani CL. fil.' Insunt primum fragmentum glossarum graecolatinarum saeculi VIIII; tum *Flavi Vegeti Renati*[1]) *viri inlustris libri IIII* (liber I et alterius capita VII desunt), quibus in fine subscriptum est: *Fl. Eutropius emendaui sine exemplario constantinopolim consul. Valentiniano Aug VII et Abieni*; deinde fragmentum cum hac subscriptione: *Explicit liber II ad uictorem de natura et origine anime. Incipit liber fabii Planciadis fulgenti uiri clarissimi mitologiarum de natura anime.* Ab initio haec habes: *Cum multe sint et uarie in quaestione propositiones et undequecunque caplin differentes habeat interrogationum occasiones, necessarium est, per singula separantes similiter quaestionibus apte adunare solutiones.* Tum agitur *de natura sompni, calidi, frigidi, uentorum* al. Haec excipiunt Fulgentii Mythol. libri, qui in margine sic inscribuntur: *Fabius de natura anime liber II.* — Graecorum scriptorum testimonia librarius omisit, sed ea abesse plerumque indicatur hac nota *gr.;* omissa est etiam libri primi praefatio. Praeterea lacuna exstat inde a pagina 113 usque ad 127 commissis inter se his verbis: *Iuniorum uero — de scribit multa de hiis faciat tamen aliqua non implet*[2]). In fine haec addidit manus saeculi XIIII: *Fabii planciadis fulgentii uiri clarissimi mitologiarum liber tertius explicit.* Sequitur *epistola Alexandri ad Aristotelem magistrum suum de situ Indiae et itinerum uastitate* et *historia Daretis Frigii de excidio Troianorum* (saec. XI), postremo *martirologia* (saec. eiusdem).

XI) Codex Parisinus 8500, saeculi XIV, membranaceus, pulcherrimis picturis ornatus. Continet tres Mythol. libros, praemissa vita Fulgentii, quae sic inscribitur: *De vita et gestis Fabii Fulgentii Plantiadis uiri clarissimi.* In eis autem quae secuntur non de Planciade, sed de vita episcopi Ruspensis agitur, et primum quidem *de origine et professione sua*, tum *de austeritate et uita eius*, deinde *de reuocatione ab exilio*, denique *de transitu eius.* Sub finem haec leguntur: *Claruit tempore Zenonis*[3]) *ysaurici imperatoris, qui coepit imperare anno domini CCCCLXXIII.*

1) Vide Vegetii editorem Langium praefat. p. XXIX.


2) *de* illud ante *scribit* positum ultima syllaba est nominis *Mariandes* quod in reliquis libris praecedit.

3) Eodem modo *regem velut solis crepusculum adventantem* glossa interlinearis codicis Leidensis Zenonem intellegi vult, Planciade cum episcopo permutato.

Scripsit libros multos quos edidit ad diuersos et sermones nonnullos. Inter alia autem opuscula edidit hoc quod dicitur mithologiarum ad Cathum presbyterum cartaginensem scientia moribusque praeditum in tribus libellis distinctum. Est autem mitologia sermo de fabulis, mithos grece, fabula latine, logos sermo. Explicit uita Fabii Fulgentii Planciadis uiri clarissimi.

XII) Codex Vaticanus ordinis N n. 119 = Urbinas 670, membranaceus, saeculi XV, quem accuratius descriptum habes apud Buechelerum praefat. ad Petron. p. XVIIII. In folio 66 haec sunt: *Fulgentii episcopi chartaginensis mithologiarum ad Catum Presbiterum Carthaginiensem. Liber primus incipit feliciter*, item in fine: *Fulgentii episcopi Cartaginensis lib. III et ultimus Mitologiarum finit.* Tum fol. 113 p. 2 secuntur haec: *Fulgentii Episcopi Cartaginensis expositio sermonũ antiquorum ad Calcidium gramaticum incipit.*

Priusquam his quos recensui libris Virgilianae continentiae codices subiungam, paucis explicabo, quomodo illos in genera et classes distribuendos censeam. Et ut primo statim obtutu in oculos incurrat, quae inter singulos libros ratio intercedat, ecce hoc codicum stemma, in quo *P* notat Palatinum, *R* Reginensem, *M* Montepessulanum:



Omnes qui praesto sunt libros ex uno eodemque archetypo fluxisse uno exemplo manifesto, cum longum sit hic plura afferre, demonstrasse satis habeo. Praebent enim in Myth. libri II fabula 12 omnes libri una et consentiente voce haec: *Scylla enim graece quasi* e x q u i n a *dicta est, quod nos latine confusio dicimus:*

quibus in verbis graecum, quod in valde corrupto *exquina* latet, vocabulum communem omnibus libris fontem fuisse aperto indicio est.

Quodsi ad singula accedimus, Palatinus et Reginensis codices, qui ceteris longe praestant, singulis fere locis adeo congruunt, ut alter ex altero natus esse videri possit. Vel ex eis, quae in adnotatione paginae 19 supra diximus, luculenter apparet quam arto inter se vinculo illi contineantur. Verum non solum ad inscriptionem, sed etiam ad ipsum contextum utriusque libri consensum pertinere, uno nunc exemplo significasse sufficiat: plenius enim eam affinitatem scripturarum infra afferendarum copia comprobabit. Fabula 5 libri III in Palatino mendose sic inscribitur: FABVLA BERECINTIAEATO ATTIS (in reliquis libris est *Berecintiae et Attis*); prorsus idem exhibet Reginensis; utrumque ni fallor corruptum ex BERECINTIAE ATQ (i. e. *atque*) ATTIS. Neque tamen Reginensem ex ipso Palatino codice transcriptum esse, sed utrumque e tertio aliquo libro manasse, locus ex eadem fabula desumptus testetur, ubi Pal. exhibet *nam et Epicarmus ita ait*[1]*: 'Cintos id est iste fiforo'* e. q. s., Regin. autem *'Cintoides istefiforos'*: apparet enim priora verba corruptiora esse (propter illud *id est* potissimum, quod e graeco vocabulo natum est), quam ex quibus haec qualiacumque sunt verba oriri potuerint. — Utrumque autem codicem cum Montepessulano ad communem originem revocandum esse, ex multis locis, quibus omnes tres mire consentiunt, perspicitur. Velut ex libri III fabula 3, ubi nulla inter se discrepantia pro οἰνοβαρὲς praebent *Anouares*, cum reliqui libri *inuares* vel aliquid simile exhibeant.

Haud absimilis Montepessulano codex est Guelferbytanus II, qui cum non sit pari cum illo praestantia, unum gravissimum communis originis vestigium prae se fert in libri primi praefatione, ubi in utroque libro eadem dittographia exstat: in fine enim carminis, quod incipit a verbis *Thespiades Hippocrene quas spumanti gurgite,* hoc ipsum initium in utroque codice iteratur. Nec tamen nisi tertio aliquo libro intercedente Guelferbytanum codicem ex eodem fonte derivatum esse multorum locorum turbae faciunt ut facile credamus.

His de quibus iam diximus libris propinquus praeter reli-

1) In editionibus diversissima vulgantur: παγκάρπιος cτέφανος e. q. s. de quibus agetur in cap. III.

quos Bernensis codex est, neque, Epicharmi locum libri primi fabulae 14 si respicimus, a Montepessulano codice videtur seiungi posse: exhibet enim uterque pro graecis verbis has fere litteras ἀΝΙαΜΦαΟΝΤΙΦΛΡΤΙΝΝΙ, quas nihili esse reliquorum codicum scripturis conlatis infra videbimus. Verum huic consensui propterea nihil tribuendum est, quod eae litterae in Montepessulano non a prima, sed ab altera manu profectae sunt: ut e Bernensi vel simillimo libro demum explendae lacunae caussa esse transscriptas appareat. Praeterea Bernensis alteri classi vel iccirco accensendus est, quod caret libri primi praefatione. Item Parisinus 6503, quamvis ad idem genus atque reliqui de quibus agitur libri pertineat, tamen non est eidem classi adnumerandus, quippe in quo non solum primi libri praefatio, sed etiam graeca testimonia desiderentur.

Parisinus autem 8500, ut est huius generis recentissimus, ita etiam longe corruptissimus exstat. Nihilo tamen setius e meliore fonte, qui classem quam α littera signavimus plerumque redolet, negari nequit per rivulos quosdam obscuriores aliquid boni in eum redundasse: ut interdum in arte critica factitanda hic quoque non sine aliqua utilitate consulatur. De Parisino 7779, quippe cuius tam pauca fragmenta supersint, non ausim confidentius iudicare; videtur tamen omnino ad aliud genus pertinere, cum et nonnullas lacunas sibi proprias habeat aeque ac duas interpolationes (in libri III fabulis 8 et 9), et praeterea nonnullas scripturas, quarum in reliquis libris ne vestigium quidem exstet. Urbinatem autem et Reginensem 208 vix fuerit operae pretium certis argumentis certae classi tribuere velle, quando una tantum utriusque libri fabula collata in manibus est.

Alterum librorum genus, quod tribus codicibus continetur, seiungendum esse a priore tres loci doceant. Primum quidem nulla illi discrepantia in libri III fabula prima praebent *pritos* (Gothanus *protos*) pro *peprigos* (quode capite III dicetur explicatius). Tum vero glossema in libri II fabulam 8 hoc irrepsit: θέρος *enim dicitur aestus*[1]). Porro eandem exhibent lacunam in libri III fabula 5, ubi verba *cedranctere* (de quibus item cap. III disputabitur) omiserunt.

Ceterum Guelferbytanum et Leidensem codices postquam Gothano multum praestare ipso stemmate significavimus, paucis de

1) in Gothano codice haec verba superscripta sunt.

fide huius ipsius libri dicendum est, ut a quo proficiscendum esse in arte critica exercenda nonnullis viris doctis visum sit immerito: unde factum est ut Iacobsius in graecis locis restituendis non numquam graviter lapsus sit. Atque imprimis hic tetigerim genus corruptelae quoddam singulare, ad quod infra aliquoties revertemur. In Fulgentii enim editionibus quae exstant graeca verba, haud raro prorsus discrepant ab eis quae optimis codicibus produntur. Cuius rei quae caussa sit, codicis Gothani exempla docebunt. Interdum enim factum esse, ut a librariis solito doctioribus graeca verba, quae in eis quibus utebantur libris mscr. omissa essent, effingerentur secundum latinam interpretationem (quam fere semper addit Fulgentius), luce clarius apparebit.

In libri III fabula 7 Gothanus haec prodidit: *unde et Homerus ait:* και Φαλα ΝΤΗ και ωφΘΛμογc ΟΜΟΙΟc Διογ ΑCΙρ ΑΠΑC̄ ΙΔΟΝΟγtos ΗΙρΟγ ΖΟΝΗΝ ΚΑΙCΙΙΘΟC ΠΟCΕΙΔΟΝΙΑC *i. e. caput et oculos ioui fulmina delectanti martis cingulum et pectus neptuni*: ubi in graecis litteris recte Iacobsius p. 427 vidit haec inesse: κεφαλὴν καὶ ὀφθαλμοὺς ὁμοῖος Διὸς ἀστραπαῖς ἡδομένου Ἄρεος ζώνην καὶ στῆθος Ποσειδῶνος pro genuinis Homeri verbis, quae reliqui libri praebent:

Ὄμματα καὶ κεφαλὴν ἴκελος Διὶ τερπικεραύνῳ,
Ἀρεϊ δὲ ζώνην, στέρνον δὲ Ποσειδάωνι

(Il. β', 478). Vide quomodo inter se congruant *fulmina delectanti* et ἀστραπαῖς ἡδομένου e. q. s. Graeca autem verba Gothani codicis non e glossematis, quibus genuina verba circumscripta fuisse quispiam crediderit, nata esse inde apparet, quod idem verborum ordo in interpretatione latina atque in suppositis verbis exstat, isque contrarius Homeri verbis: in his enim ὄμματα καὶ κεφαλήν, in illis κεφαλὴν καὶ ὀφθαλμούς, *caput et oculos*, habemus. Accedit quod aliis locis, ubi praeter consuetudinem graeca verba latinis non sunt reddita, non graecorum genuinorum apparet circumlocutio, sed prorsus disparia verba. Velut in libri III fabula prima ubi cum libris vulgo haec eduntur: *unde et Homerus ait* 'κῦμα κελαινὸν κορθύεται', Gothanus autem praebet: *unde et Homerus ait* 'ΚγΜΕΝΟΜΕΝΟγ ΠωΘΟΥ ΑΝΔΡCCΑΠΟλλΟγΝΤΕ', id est κυμαινομένου πόθου ἄνδρες ἀπόλλυνται: quibus Homeri verba circumscribi non potuisse nemo non videt [1]).

---

1) Iacobsius p. 426 'verbis autem' inquit 'a Fulgentio nescio unde

Alterum exemplum habes in libri III fabula 3, ubi Gothanus exhibet: 'ynos apyt και κυνομματος εχων και καρδεαν ελαφου *i. e. ebriose, oculos canis habens et cor cerui*' pro Iliadis libri primi versu 225:

Οἰνοβαρὲς, κυνὸς ὄμματ' ἔχων, κραδίην δ' ἐλάφοιο.

Idem cadit in Hesiodi locum multum vexatum, qui legitur in libri III fabula 1: *sicut Hesiodus in bucolico carmine scribit dicens: 'peprigrosis ta fulue uluctis menes emorum.* haec enim vel similia in omnibus libris sunt praeter unum Gothanum qui praebet: ΠΡΟΙΟCCΙΑΦΟΥ ΛΟΗ ΚΑΛΟC ΛΑΚΙΕC ΙΗ ΗΑΙΜΑΙΙΟC ΔΡωΧΟC. Sed de hoc loco aeque ac de Epicharmio lib. III fab. 5, qui eodem modo corruptus est, infra accuratius disseremus.

His statim subnectam pauca exempla, quibus Virgilianam continentiam, quae eodem codice continetur, eadem labe affectam esse demonstretur. Ad pag. 146 Iacobsius* p. 428 haec adnotat: 'post initium Iliadis sequitur in editis: *ante iracundiam quam virum ipsum signans.* In membr. autem (i. e. in codice Goth.): *vel sic magis aperte:* Ep ANΙΙΟΝ ΟΙΙλΟCΕ ΑΝΙρ ΠΑΝΑ ρΕΑΝ ΑγΙΟΝ (ubi priora sic expedienda: ἐναντίον ὅτε χώσετ' ἀνήρ ex Iliad. α', 80: κρείσσων γὰρ βασιλεὺς ὅτε χώσεται ἀνδρὶ χέρηϊ, in reliquis nihil video nisi αὐτόν legi) *ante iracundiam viri quam ipsum virum significans*'. Oehlerus[1]) autem e codice haec eruit: ΕΡΑΝΤΙΟΝ ΟΙ ΙΔΟCe αΝΙΙαΝΔΡe ΑΝαγΙΟΝ. Haec tamen verba minime ex Iliade sumpta esse miror Iacobsium fugisse. Ne multus sim, mea sententia res ita se habet: corrector codicis archetypi, e quo Gothanus fluxit, in verbis *ante iracundiam uiri quam ipsum uirum significans* versus Homerici Μῆνιν ἄειδε e. q. s. interpretationem inesse ratus, cum utriusque linguae verba non congruere videret, verba graeca, quae ipse effinxit, latinae quam opinabatur interpretationi accommodavit eaque introduxit verbis *vel sic magis aperte,* quae nihil aliud nisi hoc

---

Sed omnium gravissimum esse iudico quod, si in scuto Polynicis Glauci equae caelatae essent, non intellegeretur, quid hoc ἐπίσημα significaret. Etenim cum in scutis ceterorum talia essent efficta, quae aut ad certam victoriam aut ad metum hostibus iniciendum et iactationem spectarent, nonne Polynices absurdus fuisse videretur, si equas, quae ipsum dominum laniasse narrantur, in scuto gestasset, ut se iactaret hostesque deterreret?

Quae cum ita sint, facile intellegitur, cur trita illa huius loci explicatio nequaquam accipi possit. Itaque nisi hos versus pro ineptissima Euripidis hallucinatione habere velis, novam explicationem indagare debebimus, quam nunc proferre mihi in animo est. Lenissima enim mutatione Φόβου pro φόβῳ adhibita hoc loco Furiae tamquam adiutrices et ultrices Polynicis intellegi possunt, ut versus ita vertendi sint[1]):

'sed sanctae puellae, celeres Horroris filiae, in illo scuto exsultantes caelatae fuerunt et artificioso modo verticulis ita movebantur sub ipsam fibulam, ut furore concitatae esse viderentur.' Ad singulas voces haec adnoto quae subieci.

ποτνιάδες Furiae appellantur ab Euripide ipso Or. 316, quae vox haud dubie idem significat quod usitatissimum Furiarum epitheton πότνιαι i. e. 'sanctae' (cf. Herod. 9, 97, ubi templum Ποτνιῶν commemoratur, Aesch. Sept. 887, Eum. 951 ed. Dind., Soph. Oed. Col. 84, El. 951). δρομάδες appellantur ab eodem Euripide Or. 316 et 837; cf. etiam alia eiusdem fere significationis epitheta χαλκόποδες Soph. El. 491, μετάδρομοι ib. 1387 (cf. etiam Iphig. T. 941), Κωκυτοῦ περίδρομοι κύνες Aristoph. Ran. 472 (ed. Bergk.), ἄφυκτοι κύνες Eustath. ad Il. p. 763, 40, τανύποδες Soph. Ai. 837.

Saltationes eisdem tribuuntur ab Aeschylo Eum. 369 et 376, et ab Euripide Or. 322, μαινάδες et μάργοι nominantur Aesch. Eum. 67 et 500, Μανίαι apud Paus. VIII, 34, 1.

Quod vero πῶλοι v. 1129 dicuntur, id noto illo poetarum usu explicandum est, quo saepissime puellae et iuvenes πῶλοι appellantur (cf. Eur, Hec. 142, Hippol. 546, Andr. 621, Rhes. 387, Phoen. 947). Denique coniectura mea Φόβου pro φόβῳ, quamquam alio loco haec Furiarum genealogia non reperitur, tamen

1) Antea conieceram φοβεῖν, qui infinitivus ex toto enuntiato penderet et explicandus esset secundum ea quae Kruegerus gr. gr. II. 55. 3. 20 attulit.

nihil habet quod lectorem offendere possit, cum singuli fere poetae peculiares de Erinyum origine opiniones sequantur. Nam Hesiodus theog. 185 eas ex sanguine Saturni et Terra, Epimenides (cf. schol. ad Oed. Col. 42 et Tzetz. ad Lycophr. 406) ex Saturno et Euonyma, Aeschylus Eum. 322 ex Nocte, Sophocles Oed. Col. 40 et 106 ex Scoto et Terra, Servius ad Verg. Aen. VII, 327 ex Acheronte et Nocte, Orpheus h. 29, 6 et 69, 8 ex Plutone et Proserpina, Hyginus p. 1 ex Aethere et Terra natas esse dicit.

Ceterum ne nova quidem genealogia hoc loco opus est, cum et φόβου pro mero appellativo haberi queat, ut πῶλοι φόβου idem sit quod πῶλοι φοβεραί (cf. de eiusmodi genetivis Krügeri gr. gr. II 47. 5. 2) et alia exempla sint in promptu, quae demonstrent πώλους φόβου non necessario filias Horroris significare, sed etiam simpliciter virgines horribiles explicari posse. Sic meretrices ab Eubulo apud Athen. XIII. 568[e] et ab Hesychio (s. v. πῶλος) Κύπριδος seu Ἀφροδίτης πῶλοι i. e. puellae amori deditae, et Bacchae ab Euripide Bacch. 975 Λύσσης κύνες i. e. canes rabiosae, appellantur, quibus locis Κύπρις seu Ἀφροδίτη et Λύσσα allegorice dicuntur pro appellativis ἔρως et λύσσα[1]).

V.

Sophoclis Philoct. v. 29. Ex Neoptolemo se iam antrum Philoctetae aspicere dicente Ulixes quaerit, utrum hoc supra an infra sit (ἄνωθεν ἢ κάτωθεν); tum ille v. 29 respondet:

τόδ' ἐξύπερθε· καὶ στίβου τ' οὐδεὶς κτύπος.

Sic codex Laurentianus verba Neoptolemi exhibet, quae cum speciem corruptionis prae se ferant, iam multis variisque doctorum hominum coniecturis temptata sunt. Omnium aptissima esset ad sententiam hoc loco necessariam Bergkii scriptura καὶ στίβου 'στ' οὔδει τύπος, nisi forma οὔδει, ut Nauckius recte adnotat, ab usu tragicorum aliena esse videretur. Quam ob rem alia et leniore quidem mutatione versum sanare conatus sum hoc modo:

1) Silentio praetermittere non possum me olim totam illam virginum descriptionem ad Bacchas rettulisse, quibus fere eadem epitheta et saltus tribuuntur: ποτνιάδες Eur. Bacch. 664, δρομάδες ib. 148, σκιρτήματα ib. 446 et 166. Hoc si ponimus, Polynices se quasi alterum Dionysum Thebas in patriam urbem cum Bacchis (i. e. cum sex sociis belli caedisque furore concitatis) redeuntem et Eteoclem tamquam alterum Pentheum ulturum declarat.

τόδ' ἐξύπερθ', ἐκεῖ cτίβου γ'[1]) οὐδεὶc τύποc,

quibus verbis Neoptolemus accuratissime respondet Ulixi: nam ita dicit 'antrum, quod quaeris, supra est (i. e. ἄνωθεν v. 28), illic enim (i. e. κάτωθεν) nulla vestigia ingressus sunt[2]).'

VI.

Ibidem v. 639 sqq.:

Neopt. οὐκ οὖν ἐπειδὰν πνεῦμα τοὐκ πρῴρας ἀνῇ,
τότε cτελοῦμεν; νῦν γὰρ ἀντιοcτατεῖ.
Phil. ἀεὶ καλὸc πλοῦc ἐcθ', ὅταν φεύγῃc κακά.
Neopt. οὐκ ἀλλὰ κἀκείνοιcι ταῦτ' ἐναντία.

Inter omnes emendationes, quae ad versum 642 excogitatae sunt, ut intolerabile illud οὐκ ἀλλά removeretur, maxime adhuc placuit illud quod Doederlinus proposuit Nauckiusque in editionem suam recepit: οἶδ' ἀλλά. Sed haud scio an aptius et lenius emendari possit, si Sophoclem scripsisse putemus: οὐκ ἆρα κἀκείνοιcι ταῦτ' ἐναντία; Cui scripturae etiam proxima bene respondent:

οὐκ ἔcτι λῃcταῖc πνεῦμ' ἐναντιούμενον,
ὅταν παρῇ κλέψαι τι χἀρπάcαι βίᾳ.

Etiam G. Hermannus (Retr. p. 9) et O. Heinius (comm. de Cic. Tusc. ed. Halis a. 1854 p. 35) hoc versu interrogationem contineri voluerunt; hic enim coniecit ἀλλ' οὐχί, ille vero οὐκ ἀλλά, sed utrumque ab optimi codicis scriptura nimis abhorret. De οὐκ ἆρα cf. Ai. 1238, Phil. 106 et 114.

VII.

Sallustius postquam narravit libertos atque clientes Lentuli et Cethegi decrevisse, ut captivos ex carcere eriperent, cap. 50 § 3 eius libri, quem de coniuratione Catilinae composuit, ita pergit:

Consul ubi ea parari cognovit, dispositis praesidiis, ut res atque tempus monebat, convocato senatu refert, quid de eis fieri placeat, qui in custodiam traditi erant. Sed eos paullo ante frequens senatus iudicaverat contra rempublicam fecisse. Tum D. Iunius Silanus primus sententiam rogatus, de eis qui in custodiis

1) Quod attinet ad positionem particulae γέ, quam post ἐκεῖ exspectaveris, cf. Bäumlein 'Unters. üb. gr. Part.' p. 67 infra.

2) Hanc coniecturam olim cum Mollweidio, auctore dissertationis quae 'Symbola Sophoclea' inscribitur, communicaveram, is vero eam p. 15 tamquam si sua esset protulit. Hoc commemoratum volo, nequis memet alienis bonis manus intulisse putet.

tenebantur . . . . . supplicium sumundum decreverat; isque postea, permotus oratione C. Caesaris, pedibus in sententiam Tib. Neronis iturum se d i x e r a t, quod de ea re praesidiis additis referundum censuerat. Sed Caesar, ubi ad eum ventum est, rogatus sententiam a consule, huiuscemodi verba locutus est.

Mira inest huic loco difficultas, quae omnes quos novi editores adhuc latuit. Maximopere enim me offendit plusquamperfectum *dixerat,* neque Kritzi defensionem probare possum, qui illud excusari posse censet dicens 'scriptorem res illo senatu actas non simpliciter narrare, sed sententias in ista consultatione dictas ad senatus consultum postremo factum referre.' Etenim ut Kritzi opinionem diluamus, senatus consultum postremo factum Sallustius propterea cogitatione antecapere non potuit, ad quod plusquamperfecta *decreverat* et *dixerat* referret, quia non prius eius mentio fit quam cap. 53, 1, ut plus quam duo capita amplissima intercedant.

Longe aliter statuit Fabrius, plusquamperfecta illa ad Caesaris orationem postea habitam spectare iudicans. Ac profecto *decreverat* hoc modo excusari concedendum est, quia Silanus a n t e Caesarem sententiam dixit; sed *dixerat* eadem ratione explicare non licet, quippe quod ad sententiam p o s t Caesaris orationem a Tiberio Nerone dictam pertineat.

Quam ob rem, nisi Sallustium vehementer hallucinatum esse velis, pro *dixerat* scribendum videtur *dixit,* quod facile a librario aliquo corrumpi potuit, qui totam illam periodum '*tum D. Iunius Silanus*' et quae secuntur ad senatum priorem verbis interpositis '*sed paullo ante frequens senatus iudicaverat*' e. q. s. commemoratum falso rettulisset.

EMENDATIONES

TACITI QUI FERTUR

DIALOGI DE ORATORIBUS

SCRIPSIT

GEORGIUS ANDRESEN

HOLSATUS

Dialogum de oratoribus olim viri docti fere omnes a Tacito abiudicaverunt; quin etiam extiterunt, qui eum vel a Quintiliano vel a Plinio scriptum esse probare conarentur. Hodie longe plurimi ad librorum manu scriptorum auctoritatem recurrendum esse arbitrati de Cornelio Tacito auctore huius libelli dubitari posse negant et in quolibet Dialogi capite Taciti non solum ingenium, sed etiam genus dicendi deprehendere sibi videntur. Quamquam paucorum illorum, qui hodie quoque illum libellum a Tacito scriptum esse negant, non mediocris inter omnes auctoritas est. Mihi de hac re, de qua satis superque in utramque partem disputatum est, verba facere non est in animo; neque enim quisquam eorum, qui de Tacito Dialogi auctore disputaverunt, mihi non videtur in lubrico esse versatus. Desunt enim non solum certa argumenta, sed etiam quae modicam sibi vindicent probabilitatem, ac prout quisque eundem scriptorem diversissimo dicendi genere eadem fere aetate usum esse aut credit aut non credit, illum libellum a Tacito scriptum esse aut affirmare aut negare solet. Nam qui huius Dialogi loci ad indagandum auctorem eius summi momenti sunt, eorum fere nescio quo pacto vel explicatio vel scriptura vel adeo auctoritas quam maxime dubia est. Atque haec causa est, cur utriusque sententiae tam acres extiterint defensores, ut nihil certius esse pronuntiarent, quam quod demonstrare conarentur. Ipse autem in neutram partem disputo atque omnibus, quae ad utramque sententiam firmandam prolata sunt, argumentis perpensis eodem pervenio, quo Iustus Lipsius recurrit, ut confitear mihi non liquere.

Nec vero ad ea quae prolaturus sum quidquam refert, utrum Tacitus auctor huius libelli necne habendus sit. Nam depravatorum Dialogi locorum emendationes propondituro mihi hic liber in primis dignus esse videbatur, ad quem quis tractandum omnem operam studiumque converteret. Tanta enim huius scriptoris est elegantia ac suavitas generis dicendi, tanta diligentia rei quaesitu dignissimae penitus exhauriendae, tanta ars in insti-

tuendo et persequendo dialogo atque in ingeniis moribusque disputantium reddendis et exprimendis, ut recte mihi videantur iudicare ei, qui hunc Dialogum eis adiungunt, quae ex litteris Romanis optima ad nostram memoriam pervenerunt, atque in gravi errore versentur, qui eum Taciti ingenio indignum esse dicunt. Tanto magis dolendum est, quod aureolus hic libellus memoriae diuturnitate gravius vehementiusque afflictus est, quam vix alius ullus antiqui scriptoris liber. Neque enim solum sub finem multa interciderunt, sed etiam tot librariorum incuria in quavis pagina singula perierunt vocabula. Innumerae deinde vocabulorum corruptelae sanandae, quarum aliae primo obtutu agnoscuntur, aliae quasi quadam integritatis specie obstructae sunt. Nec desunt omnis generis glossemata atque interpolationes. Omnes autem codices, e quibus huius Dialogi notitiam hausimus, et saeculo quinto decimo exarati sunt et ex uno eodemque fonte manarunt. Itaque in paucissimis mendis sanandis libri manu scripti alicuius praestantia adiuvamur, ut etiam magis, si fieri potest, quam in aliorum scriptorum libris, in hoc Dialogo omnis ars critica rationis imperio teneatur. Sed quamquam omnium Dialogi codicum exigua fides est, tamen ad archetypum illum ceteris propius accedere constat Farnesianum, Perizonianum, Vaticanum 1862. Horum trium codicum scripturas omnes nunc collectas habemus in Adolphi Michaelis editione dialogi de oratoribus, quae abhinc tres annos Lipsiae prodiit. Hic Vaticanum, quem littera *A* notavit, non solum Farnesiano (*C*), sed etiam Perizoniano sive Leidensi (*B*) paullo praestare primus exemplo probavit. Quamquam si de singulorum locorum scriptura diiudicandum erit, ea eligi debebit scriptura, quam ratio ceteris praestare evicerit; nec desunt loci, ubi dubitari nequit quin aut Farnesianus aut Perizonianus potius quam Vaticanus veram scripturam praebeat. Innumeris autem locis, ut dixi, nullus horum codicum credi potest scriptoris manum servavisse. Nam in novissima quoque editione multa leguntur, quae aut certa emendatione adhuc carent aut sana habentur, cum omni rationi repugnent. Quare cum meum erit, ut eorum locorum, quos corruptos esse alii cognoverunt nec certis emendationibus correxerunt, novas proferam emendationes, tum maxime ut alios locos, de quorum integritate adhuc nemo dubitavit, aut mancos aut depravatos esse ostendam atque aut supplementis aut coniecturis probabilibus scriptoris manum restituam. Plerosque eorum locorum,

qui mendo laborant, ratio logica et sententiarum conexus accuratissime perspectus coarguit; alios, qui ne intellegi quidem possunt (non enim nimium mihi videor dicere), mirere neminem adhuc offendisse; alios depravatos esse huius scriptoris genus dicendi ac certa loquendi consuetudo luculentissime demonstrat. In omni autem opera mea id egi, ut Lipsium et Acidalium, quos eorum, qui postea Dialogum tractaverunt, ingenii sagacitate nemo aequavit, aliquo saltem fructu imitarer. Lipsium enim de omnibus Taciti libris unum optime meritum esse inter omnes constat; Acidalii autem in emendando Dialogo operam collocatam ne hodie quidem ex merito aestimari puto. Multis enim locis Acidalii emendationem aut unam probandam esse aut ceteris propius ad id quod verum est accedere posteros fugit; in aliis locis suo iure, ut mihi quidem videtur, Acidalius solus offendit, de quibus tacent qui post eum Dialogum tractaverunt, cum iusto illum audaciorem fuisse arbitrentur. Parum autem fructus ex permultis illis aut omnium Taciti librorum aut huius unius libelli editionibus redundavit, quae priore nostri saeculi parte prodierunt. Harum enim auctores Acidalii et Lipsii vestigia sequi dedignabantur ac tanta reverentia librorum saeculo quinto decimo exaratorum auctoritatem colebant, ut vel eis locis, qui olim correcti erant, depravatam librorum scripturam servarent. Recentissimo tempore homines docti etiam in Dialogo emendando ad saniorem rationem non sine fructu rediere.

Ad firmandas autem coniecturas in primis huius ipsius scriptoris genus dicendi adhibendum, dein Ciceronis scripta rhetorica comparanda putavi, quae summa dicendi generis similitudine cum hoc Dialogo coniuncta sunt. Nec solum stilum Ciceronis, sed etiam sententias et instituendae disputationis rationem imitatus est hic scriptor, id quod permultis exemplis comprobare in promptu est. Rarius Quintilianus, Plinius minor, alii iustam, admittunt comparationem. Nec magis quam quivis ceterorum eiusdem aetatis scriptorum (pace Weinkauffii dixerim) comparandi sunt reliqui Taciti libri. Nam sive Tacitus scripsit sive non scripsit hunc libellum, tam diversa inter se sunt dicendi genera, ut coniecturam aliquam Corneliani loci comparatione fulcire rarissime liceat.

Deinde summam in eo posui curam ac diligentiam, ut quaecumque a cuiusvis saeculi viris doctis de uno quoque eorum locorum, de quibus dicturus sum, disputata sunt, ea colligerem.

Quamquam aut nonnulla aut multa me fugisse in tanta interpretum ac commentationum multitudine non negaverim. Eorum autem, quae mihi innotuerunt, multa eaque prorsus futilia tacenda erant. Nec editiones solum et commentationes, sed versiones quoque adhibui, non frustra ut mihi videor. Nam de eis locis, de quorum integritate nemo adhuc dubitavit, fieri non potest quin taceant editores et commentatores omnes; non tacent qui versionem scripsere. Nonnullis illorum locorum Rothius et Teuffelius, multo pluribus Nastius, qui sententias potius quam singula verba accurate reddere sibi proposuit, quid sententia requireret, perspexit, ac celata difficultate ea interpretatione usus est, ut eum exemplari emendatiore quam ceteros omnes usum esse conicere possis. Qua ratione emendationum mearum fidem augeri nemo non videt. Haec ideo praedixi, ne quis miretur quod ad Nastii versionem plerisque ignotam totiens provocandum esse putavi.

Aliquot locis idem me suspicatum esse quod alii ante me, postea intellexi. Horum alios aut tacebo aut breviter commemorabo, de paucis copiosius agam, ut qua emendatione opus sit, nulla maneat dubitatio. Postremo in uno quoque loco tractando id mihi proposui ut, quae certa esse viderentur, ab eis quae vel maiorem vel minorem probabilitatem haberent aut dubitationem admitterent, diligentissime discernerem. Eum autem ordinem sequar, ut primum de vocabulorum corruptelis, deinde de lacunis, postremo de glossematis et interpolationibus disseram, ita tamen ut quae coniuncta esse debeant, non divellam.

I.

De corruptelis vocabulorum.

1.

Initio cap. 6 Aper postquam utilitatem oratoriae eloquentiae summis laudibus extulit, transit ad eius voluptatem et iucunditatem, atque venerationem illam praedicat, qua oratorem prosecuntur homines et in publico versantem et in iudicium intrantem. Dein haec secuntur: *quod gaudium consurgendi assistendique inter tacentes et in unum conversos! coire populum et circumfundi coronam et accipere affectum quemcunque orator induerit.* Halmius in *quandocunque* scriptura, quam Perizonianus praebet,

latere coniecit *qualemcunque*, qua coniectura difficultas minime tollitur. Editores enim et interpretes alii *induerit* idem valere dicunt atque *sibi induerit*, alii *auditoribus induerit*. Hac posteriore explicatione inepta infertur tautologia; nam profecto qui sibi indui patitur affectum tamquam vestem, eum accipit. Prior explicatio ipsa rei natura refellitur; numquam enim orator, si quem affectum in auditorum animis movere cupit, eodem affectu sibi induendo id quod vult efficiet; immo dicentis est oratione, non affectu suo eos qui audiunt permovere. Ergo qui iram movere paraverit, vitia et scelera eius, in quem auditores iratos esse vult, enumerabit potius quam iratum se ostendet; qui admirationem movere paraverit, laudabit potius quam admirari se fatebitur; qui misericordiam, miseram clientis condicionem describet potius quam misereri se testabitur, et quae sunt similia. Itaque et insolenter et ambigue dicta sunt *quemcunque orator induerit*. Quam ob causam cum corruptam esse *induerit* vocem mihi persuasissem, invento loco Ciceroniano eius de quo agimus simillimo probabiliter eam emendare contigit. Legitur enim de Orat. 1, 19, 56: *caput enim oratoris esse arbitrabatur, uti eorum qui audirent sic afficerentur animi, ut eos affici vellet orator*. Huius loci similitudine fretus eo de quo agimus loco confido scribendum esse: *et accipere affectum quemcunque orator voluerit*. Conferas etiam Orat. 36, 125: *sic afficiat ut volet*. Brut. 49, 185: *ut ei qui audiunt sic afficiantur ut orator velit*. Accedit quod mutatio lenissima est; nam saepissime in codicibus ex *ol* vel *cl* litteris coniunctis natam esse *d* litteram inter omnes constat. Velut in hoc ipso Dialogo c. 21 medio in Farnesiano pro *redolent* scriptum est *reddent*. Nec in eo haerebis, quod Perizonianus et Vaticanus exhibent *quandocunque* potius quam *quemcunque*; nam permutatarum omnium formarum, quae a stirpe pronominis relativi derivantur, innumera in libris manu scriptis inveniuntur exempla.

2.

Eodem capite 6 extremo Aper loquitur de extemporali audacia et temeritate dicendi, cuius iucunditas etiam multo maior sit, quam accuratae meditataeque orationis. *Nam in ingenio quoque sicut in agro, quamquam alia diu serantur atque elaborentur, gratiora tamen quae sua sponte nascuntur*. Haec non possunt probari; perverse enim alia eis opponuntur quae sua sponte nascuntur, nec minus perverse quae diu seruntur atque

elaborantur eis quae gratiora sunt. Nec potest aliorum mentio fieri, si postea demum perspicitur, quae sint alia et quibus opponantur. Sententia ut perspicua est, ita vix potuit minus concinne exprimi, quam expressa est eis, quae in libris manu scriptis et editionibus leguntur. Nam illarum sententiarum utraque, quae particulis *quamquam* et *tamen* artissime coniunguntur, et ita quidem, ut duae eiusdem generis res inter se comparentur, quarum altera alteri vario nomine praestat, eadem forma ac structura uti debebat, ut quae sua sponte nascuntur, opponerentur eis quae seruntur atque elaborantur, quae gratiora sunt eis quae aliam ob causam pluris aestimari solent. Inter editores autem uni Ernestio quae prodita sunt in libris displicuerunt; scribi autem iussit vir summus: *quamquam utilia* (vel *utiliora*) *diu serantur atque elaborentur, gratiora tamen quae* —. Non exiguam eius quod verum est partem hac emendatione assecutus est Ernestius, non tamen eam qua opus est concinnitatem restituit; nam quod in posteriore parte comparationis legitur enuntiatum relativum, ei nullum eiusdem generis enuntiatum in priore opponitur. Hoffmann-Peerlkampius coniecit: *quamquam solidiora serantur diuque elaborentur, gratiora* —. Quae emendatio ob eandem causam non sufficit, ob quam in Ernestii coniectura acquiescendum esse negavimus, quamquam *solidiora,* quod mihi quoque in mentem venit, potest scriptum esse ab auctore huius libelli. Praeterea rectius aliquid diu elaborari quam diu seri dicitur. Tertius idemque novissimus hunc locum in dubitationem vocavit Nissenus in diurn, antiqu. a. 1841 No. 104. Qui postquam explicationem omni offensione vacuam frustra quaesivit, hanc profert coniecturam: *quamquam et illa, quae diu serantur atque elaborentur, grata sint, gratiora tamen* —. Mihi scribendum esse videtur: *nam in ingenio quoque sicut in agro quamquum solidiora quae seruntur atque elaborantur, gratiora tamen, quae sua sponte nascuntur.* Conferas quae c. 9 medio leguntur: *ad nullam certam et solidam pervenit frugem.* Quamquam possis etiam *validiora* conicere. *diu* sustulimus; e coniunctivis, mutata structura, indicativos fieri oportuit, quos requirit concinnitas et in altera comparationis parte positum *nascuntur.*

3.

Cap. 8 in. Aper Marcelli Eprii et Crispi Vibii clarorum oratorum famam quam latissime diffusam praedicans: *nec hoc,* inquit, *illis alterius ter milies sestertium praestat, quamquam ad has ipsas opes possunt videri eloquentiae beneficio venisse, ipsa eloquentia, cuius numen et caelestis vis* e. q. s. Hic locus corruptelis scatet; extiterunt tamen proditae scripturae patroni. Primum non intellegitur, quomodo alterius ter milies sestertium utrique magnam illam famam non parare dicantur; neque enim profecto ex alterius opibus alteri quidquam existere potest laudis. Quam ob rem dubitari nequit, quin et verissimam et facillimam Pichena hanc proposuerit emendationem: *nec hoc illis alterius bis, alterius ter milies sestertium praestat,* qua nihil certius esse egregie confirmat testimonium scholiastae Iuvenalis ad sat. IV v. 81 adscriptum, adhibitum illud quidem a Friedlaendero (ind. lect. Regim. a. 1861/62). Atque adeo ipsius Perizoniani libri altera manus lacunam in margine notavit. Eadem verba *ipsa eloquentia,* quae superioribus nullo vinculo adiunguntur, delevit. Sed quoniam ad consummandam et absolvendam sententiam videbatur aliquid requiri, quod verbis *alterius bis alterius ter milies sestertium* opponeretur, plerique editores praeter auctoritatem alterius manus Perizoniani verba *ipsa eloquentia* servavere, et alii quidem ita, ut nihil mutarent aut adderent, cum adversativam particulam ex more Taciti omitti dicerent, alii ita, ut Lipsium auctorem secuti *set* particulam insererent, quae post *venisse* facile videbatur potuisse excidere. Neutram tamen scripturam veram esse credo; quam gravissimae enim offensioni est particula *quamquam,* quae quid sibi velit, prorsus non assequor. Quae enim est illa exceptio, quae hac particula superioribus adnectitur? Fama illorum virorum dicitur non opibus parta esse; itaque cum in initio eius quae sequitur sententiae particulam *quamquam* legamus, expectamus ut illi viri nihilo minus aliquam famae suae partem opibus suis debere dicantur; dicuntur autem (id quod prorsus contrarium est ei sententiae, quam illa particula requirit) ad has ipsas opes posse videri eloquentiae beneficio venisse. Quo quidem enuntiato augetur potius et in maius effertur eorum quae praecedunt sententia, quam ut artioribus finibus astringatur. Itaque *quin* conicio ab auctore huius libelli scriptum esse, unde per dittographiam *quamquam* facillime potuit nasci. Quod si verum

est, verba *ipsa eloquentia* nulli usui et rectissime ab altera manu Perizoniani deleta sunt. Sic iustam nobis videmur restituisse sententiam et ita quidem, ut minus audacter mutaverimus quam Lipsius, qui neglecta alterius manus codicis Leidensis auctoritate, quam summam esse plus quam unus locus testatur, etiam particulam *set* inseruit. Totus igitur locus emendatus hic erit: *neque hoc illis alterius bis, alterius ter milies sestertium praestat: quin ad has ipsas opes possunt videri eloquentiae beneficio venisse, cuius —*, i. e. 'und dies tragen ihnen nicht die 200 Millionen des Einen und die 300 Millionen des Andern ein; es kann vielmehr scheinen, als wären sie zu eben diesem Reichthum durch die Beredtsamkeit gelangt, deren —'. Hanc scripturam commendant ea quoque, quae intra eiusdem sententiae fines secuntur: *cuius numen et caelestis vis multa quidem omnibus saeculis exempla edidit, ad quam usque fortunam homines ingenii viribus pervenerint*; nam vocabulo *fortunam* videntur maxime significari opes et divitiae, ut non inepte Acidalius scribi iusserit: *ad quantam usque fortunam,* quamquam haec coniectura non ea est, quae omnem dubitationem procul habeat.

4.

Cap. 10 in., ubi exigua et infructuosa carminum laus cum ingenti orationum gloria comparatur, haec legimus: *quando enim rarissimarum recitationum fama in totam urbem penetrat?* Quaeritur, qua sententia recitationes hoc loco vocentur rarissimae. Nam poetarum illae recitationes, quas primorum imperatorum temporibus usitatissimas ac frequentissimas fuisse permultis locis huius aetatis scriptores testantur, non potuerunt dici rarissime haberi. Fuerunt autem, qui rarissimas recitationes hoc loco ea sententia appellari putarent, ut dicerentur esse ceteris recitationibus praeclariores et singulari pulchritudine lepore venustate excellentes, i. e. tales recitationes, quales rarissime audiuntur. Quam significationem ab hoc adiectivo alienam esse non contendet qui e. g. legerit Ov. Met. 14, 337: *rara quidem facie, sed rarior arte canendi.* Eo tamen de quo agimus loco illi explicationi duae res obstant. Primum enim labore demum quodam impenso et cogitando assequimur, rarissimas recitationes hoc loco dici singulares, quales raro inveniantur. Verba enim ipsa ita comparata sunt, ut usitatae significationi, quae ne ipsa quidem hoc loco servari potest, quasi aditus pateat. Fugiendae autem sunt

eae explicationes, quae quid sibi velint non sine labore intellegamus, quasque verendum sit ne aliquo tempore exacto obliti talem potius quaeramus, quae ad communem sensum propius accedat. Sed non solum, ne qua sententiae ambiguitas oriatur, spernenda est illa explicatio, qua rarissimas recitationes eas esse dicunt, quae singulari pulchritudine emineant, sed desideratur etiam particula qualis est *vel* sive *etiam*. Idem cadit in Steineri coniecturam, qui *clarissimarum* scribi iussit. Quod quidem eam quoque ob causam non satis feliciter excogitatum est, quod quorum fama ne in urbem quidem totam penetrat, eadem non satis apte clara dicuntur. Id ipsum Halmius perspexit, qui scribendum proposuit *praeclarissimarum*, non inepte id quidem. Itaque quoniam particula *vel* requiritur (cuius quidem ea vis fuerit, ut scriptor de inferioris generis recitationibus tacere se dicat), facile scribendum conicias: *quando enim vel praeclarissimarum* e. q. s. Nullam sane haec scriptura habet offensionem, nisi quod ab eis quae prodita sunt iusto longius videtur recedere. Quam ob causam ipse prorsus aliam viam emendandi ingrediendam putavi. Aptissime enim recitationum famam r a r i s s i m a m appellari concedes, quae sententia evadet, si lenissimam hanc mutationem probaveris: *quando enim rarissima harum recitationum fama in totam urbem penetrat?* i. e. harum recitationum, quae quotidie a poetis in hac urbe instituuntur et de quibus supra (c. 9) locutus sum: 'wann dringt einmal die so spärliche Kunde von diesen Vorlesungen in die ganze Stadt?'

5.

Eodem c a p. 10 haec dicit Aper: *ego vero omnem eloquentiam omnesque eius partes sacras et venerabiles puto, nec solum cothurnum vestrum aut heroici carminis sonum, sed lyricorum quoque iucunditatem et elegorum lascivias et iamborum amaritudinem et epigrammatum lusus et quamcunque aliam speciem eloquentia habet, anteponendam c e t e r i s a l i a r u m a r t i u m s t u d i i s credo.* Hic locus manifesta laborat corruptela. Quis enim unquam scriptor latinus, cum nihil aliud vellet dicere nisi *ceterarum artium studia,* tam molesto pleonasmo usus est ut diceret: *cetera aliarum artium studia*? Atque illud quidem Cicero scripsit de orat. I, 3, 12: *quod hoc etiam debet mirabilius videri, quia c e t e r a r u m a r t i u m s t u d i a fere reconditis atque abditis fontibus hauriuntur.* Nec aliter Rothius interpretatur his verbis usus:

'jedwede Beschäftigung mit anderen Künsten' (Teuffelii autem interpretatio servavit offensionem: 'stelle ich höher, als jede sonstige Beschäftigung mit den übrigen Künsten'). Quare prorsus non assequor, quo consilio scriptor, qui eleganti scribendi generi felicissime operam navavit, tam impeditam et insolitam locutionem hoc loco elegerit. Quam ut defendant, adhibent primum ea quae apud Platonem Phaedri p. 278 A leguntur: ἐν ἄλλαισιν ἄλλων ψυχαῖς: nec tamen graecorum scriptorum comparatione in his quidem rebus quidquam efficitur; deinde quae huius Dialogi c. 30 medio scripta sunt: *ut omnem omnium artium varietatem complecteretur,* cui loco cum eo de quo agimus nihil commune est; postremo quae Tacitum scripsisse contendunt Germ. c. 4: *Germaniae populos nullis aliis aliarum nationum conubiis infectos,* de eis fuere qui iure suo dubitarent. Praeterea Aprum de ceteris omnibus artibus praeter eloquentiam hoc loco cogitare dissimile veri est. Nam ludicris artibus, quarum mox mentio fit, quamlibet eloquentiae speciem anteponendam esse per se intellegitur. Voluit haud dubie dicere quamlibet eloquentiae formam praeferendam esse ceteris liberalibus atque ingenuis artibus. Itaque inveniendum est aliquod adiectivum, quod ad significationem vocabulorum *liberalis ingenuus bonus* (nam 'liberales bonae ingenuae' dicuntur artes) quam proxime accedat atque cum aliqua probabilitate ac similitudine litterarum in locum vocis *aliarum,* quam ferri non posse demonstrasse nobis videmur, substituatur. Hoc autem adiectivum ultro commonstrant Quintilianus et Plinius minor. Ille enim dixit VIII, 3, 2: *si quae sunt artes altiores, plerumque occultantur* e. q. s.; II, 1, 3: *aetas altioribus iam disciplinis debita;* hic Epist. V, 16: *altioribus se studiis artibusque dedere.* Itaque eo de quo agimus loco scribendum esse confido: *anteponendam ceteris altiorum artium studiis credo.* Ac ne *ceterarum altiorum artium studiis* dicendum fuisse putes, lege quae apud Ciceronem de orat. I, 49, 212 scripta sunt: *atque ut iam ad leviora artium studia veniam* e. q. s.

6.

Cap. 15 medio haec legimus Messallae verba: *ac velim impetratum ab aliquo vestrum, ut causas huius infinitae differentiae* (i. e. eius quae inter antiquos oratores et novos rhetoras intercedit) *scrutetur ac reddat, quas mecum ipse plerumque conquiro.* Deinde secuntur de quibus disputaturus sum haec: *et quod*

quibusdam solacio est, mihi auget quaestionem, quia video etiam Graecis accidisse, ut longius absit ab Aeschine et Demosthene Sacerdos ille Nicetes et si quis alius Ephesum vel Mytilenas concentu scholasticorum et clamoribus quatit, quam Afer aut Africanus aut vos ipsi a Cicerone aut Asinio recessistis. In locum vocabuli *solatio* Acidalius substitui iussit *solutio.* Speciosa emendatio, sed parum probabilis. *ab* praepositionem ante Aeschinis nomen certa emendatione addidit Wesenbergius, Nicetae nomen restituit Lipsius; *concentu* num recte Orellius e librorum discrepanti scriptura eruerit, dubitari potest. Sed de his verbis, quae multis virorum doctorum coniecturis temptata sunt, non habeo quod probabilius proferam; agam potius de duobus aliis huius sententiae locis, qui quantum vidi nemini dum offensioni fuere. Primum enim Graeci *etiam* particula ita adiunguntur Romanis, ut utrique idem passi esse dicantur. Itaque Romanis accidisse dicitur, ut longius absit ab Aeschine et Demosthene Sacerdos ille Nicetes e. q. s. Falsum illud quidem. Neque audiendi sunt, si qui non tam severa ratione structuram loci persequendam esse, sed eo nos contentos esse oportere dicunt, ut quid scriptor voluerit dicere assequamur. Sententia sane minime obscura est. Etiam Graecis enim accidisse dicitur, ut recentiores oratores a veterum eloquentia longe recesserint et adeo quidem, ut vel longius absit ab Aeschine et Demosthene Sacerdos ille Nicetes, quam Romani a Cicerone aut Asinio recesserint. Hanc autem sententiam ex eis quae prodita sunt eruere non poteris, nisi aut ad artificia quaedam explicandi confugeris aut hunc scriptorem neglegentiae accusare ausus eris. Itaque cum emendatione non posse carere videamur, scribendum esse conicio: *quia video idem Graecis accidisse, ut etiam longius absit* e. q. s. Quam sententiam etiam Rothius assecutus est, cuius haec est interpretatio: 'ich sehe die Griechen in demselben Falle: ener Kleriker Nicetes' e. q. s. *idem* illud post *video* facillime intercidit; *etiam* in alium locum transtuli, ubi aptissima mihi videtur haec particula. Nam Romanorum rhetores longe absunt a veteribus suae gentis oratoribus, Graecorum etiam longius.

Sed alia quoque corruptela huius loci sananda est, de qua etiam facilius omnes mihi concessuros spero. Nullo enim pacto Messalla credi potest in fine huius sententiae dixisse: *aut vos ipsi a Cicerone aut Asinio recessistis.* Hoc enim pronomine significantur qui adsunt Aper Secundus Maternus. Hos igitur oratores

Messalla dicit non minus longe a Cicerone aut Asinio recessisse quam Afrum aut Africanum. Aptissima haec sententia, nisi quod Messalla, qui non minus orator est quam ceteri illi, de se ipso prorsus tacet. Qui si credi posset dixisse quae in libris sunt, non modo ceteros qui adfuerunt oportuit, sed nos quoque oporteret suspicari Messallam se ipsum ex eorum numero excipere, qui a Ciceronis et Asinii eloquentia longe recesserint summisque se antiquae aetatis oratoribus adnumerare, i. e. sibi videri non solum Apro, sed etiam Secundo et Materno esse superiorem. Eiusmodi sui ipsius admiratio Messallae imputari non debet. Qui si quaesiveris quid de depravata suae aetatis suaque ipsius eloquentia iudicet, intelleges eum suam quoque eloquentiam corruptam et veterum oratorum divino ingenio multo inferiorem esse ingenue fateri. Testimonio sunt quae leguntur c. 25 in. et c. 25 m., maxime autem quae idem Messalla dicit c. 32 p. m.: *ego hanc primam et praecipuam causam arbitror, cur in tantum ab eloquentia antiquorum oratorum recesserimus.* Hoc loco quoniam se ipsum quoque una cum ceteris eiusdem aetatis oratoribus descivisse fatetur a vetere eloquentiae laude, eo de quo agimus loco non potuit se a ceteris segregare. Huc adde quae huius ipsius capitis 15 initio Aper de Messalla dicit: *cum oblitus et tuae et fratris tui eloquentiae neminem hoc tempore oratorem esse contenderes, atque id eo, credo, audacius, quod malignitatis opinionem non verebaris, cum eam gloriam, quam tibi alii concedunt, ipse tibi denegares.* His Messalla respondet: *neque illius sermonis mei paenitentiam ago* e. q. s. Itaque qui initio capitis laudem dicendi sibi denegat, non potest eandem laudem medio capite sibi vindicare. Quare ad similitudinem eorum quae ex cap. 32 supra attuli, confido scribendum esse: *quam Afer aut Africanus aut nos ipsi a Cicerone aut Asinio recessimus.* In Farnesiano insuper vere scriptum est *nos*; *recessimus* autem non potuit non mutari in *recessistis*, postquam *uos* per errorem scriptum est pro *nos*.

7.

Cap. 16 Aper artificiosa annorum computatione demonstrare conatur, Demosthenem ceterosque clarissimos Graecorum oratores non recte veteres aut antiquos vocari. *Nam si*, inquit, *is est magnus et verus annus, quo eadem positio caeli siderumque, quae cum maxime est, rursum existet, isque annus horum quos nos vocamus annorum XIIDCCCLIIII complectitur, incipit Demosthenes*

vester, quem vos veterem et antiquum fingitis, non solum eodem anno quo nos, sed etiam eodem mense extitisse. In libris legitur aut *set fama eodem* aut *sed fere eodem*: pro quo *set etiam eodē* scribendum esse miror quod ante novissimum editorem nemo perspexit. Sed iam copiosius de ceteris dicendum est, quae exscripsi qualia in editionibus omnibus leguntur. Nondum enim quisquam verborum *incipit Demosthenes extitisse* iustam sanamque explicationem protulit. Sunt qui putent *incipit extitisse* idem esse atque *natus est*: quod si voluisset is qui hunc libellum composuit, scribendum erat potius *incepit existere.* Quod quamquam exemplis probari vix poterit (quis enim est qui non *extitit* potius dicat quam *existere incepit*?), nullam tamen offensionem habet a logica ratione, cui ista vulgatae scripturae explicatio tam graviter repugnat, ut ei ne minima quidem probabilitas vindicari possit. Alii eam interpretationem amplectuntur, quae sola videri potest aliquo modo posse defendi: putant enim verbo incipiendi ita fieri apodosis exordium, ut quid ex eis, quae Cicero de magno illo et vero anno dicat, de Demosthenis aetate colligendum sit, significetur. Itaque hoc dici censent: si Ciceronianus ille verus annus est, iam inde consequitur Demosthenem eodem mense quo nos extitisse; sive hoc: si quis quadringentorum illud annorum intervallum, quod inter Demosthenis et hanc aetatem intercedit, ad normam anni Ciceroniani metitur, Demosthenes velut caeco impetu actus ex remota illa et oblitterata aetate in nostram quasi transgredi incipit, ut vel eodem mense quo nos extitisse videatur. Similia Rothius sensisse videtur, qui ita vertit: 'so fängt euer Demosthenes an — fast demselben Monat anzugehören'. (Minus apparet quid Teuffelius senserit, qui accurate quidem, sed cum detrimento perspicuitatis latina ita interpretatur: 'so beginnt euer Demosthenes — ans Licht getreten zu sein'. Omnem difficultatem evitavit Nastius, cuius haec est interpretatio: 'so fällt die Existenz eures Demosthenes nicht nur in eben das Jahr' —). Haec explicatio ut aliquo modo intellegi potest, ita artificiosissima est, quippe quam acerrimo demum studio menti nostrae et communi sentiendi consuetudini accommodemus. Neque ullum invenies locum, qui cum eo de quo agimus recte comparetur aut eam verbi incipiendi significationem testetur quam huic loco tribuunt. Cuius insolentia et obscuritas Ernestium hominem latini sermonis peritissimum movit, ut sibi suspectum esse *incipit* illud fateretur. Atque Ernestio

etiam facilius assentiemur, si *incipit* quidem omnium librorum fide niti, ea autem quae in editionibus secuntur, in uno Farnesiano legi reputaverimus. Vaticani enim haec est scriptura: *incipit Demosthenes videtur, quem vos veterem et antiquum fingitis, non solum* e. q. s., in Perizoniano autem haec leguntur: *incipit Demosthenes vester, quem vos veterem et antiquum fingitis, videturque non solum* e. q. s., et ita quidem, ut quattuor vocabuli *vester* litterae mediae in litura scriptae sint (unde nescio an coniciendum sit in hoc quoque codice olim scriptum fuisse *videtur*) et *videturque* illud ab ipso huius codicis librario additum sit. Atque primum quidem *videtur* verbum, quod in utroque libro scriptum est, tam egregie infinitivo *extitisse* adiungitur, ut vix dubitandum sit quin eo ipso munere fungi debeat quo vulgo fungitur vocabulum *incipit,* de cuius sana et simplici explicatione desperavimus. Itaque primum quaeritur, quo loco collocandum sit *videtur,* deinde quid lateat in corrupta voce *incipit.* Quas quaestiones non sine aliqua probabilitate solvere mihi videor sic scribendum esse coniciens: — *complecitur, ille ipse Demosthenes vester, quem vos veterem et antiquum fingitis, videtur non solum eodem anno quo nos, sed etiam eodem mense extitisse. videtur,* cum suo loco omissum et supra versum additum esset, alieno loco irrepsit, et ita quidem ut in Vaticano cum *vester* coalesceret, in Perizoniano autem genuinae collocationis memoria servaretur; particula *que* denique per coniecturam addita esse videtur, postquam *incipit* corruptela natum est. Pronominibus autem *ille ipse* similiter usus est Cicero de orat. II, 10, 43: *ille ipse Aristoteles*; Brut. 63, 226: *ille ipse Sulpicius*; de orat. I, 29, 132: *ipsi illi Roscio.*

8.

Cap. 17 in. Aper computans annos, qui inter Ciceronis aetatem et Vespasiani principatum intercedant, haec dicit: *Nam ut de Cicerone ipso loquar, Hirtio nempe et Pansa consulibus, ut Tiro libertus eius scripsit, VII idus Decembres occisus est.* In his perfectum illud quod est *scripsit* nec communi omnium scriptorum nec huius scriptoris usui respondet. Cap. 16 enim sub finem legimus haec: *nam si, ut Cicero in Hortensio scribit, is est* e. q. s. Ad huius loci similitudinem eo de quo agimus restituendum est: *ut Tiro libertus eius scribit*, id quod nemini adhuc in mentem venisse est quod mirere.

9.

Initio cap. 19 recentiorum oratorum defensor Aper ad novam orationis suae partem transiens dicit Cassium Severum, qui primus flexisse putari soleat ab illa vetere atque directa dicendi via, quam ingressi sint Cicero Calvus Brutus ceteri, non infirmitate nec inscitia litterarum hoc fecisse, sed iudicio et intellectu. Disserendum autem est de verbis: *transtulisse se ad illud dicendi genus contendo.* Ex re ipsa et totius loci sententia apparet intellegi novum recentiorum rhetorum dicendi genus, diversum illud quidem a veterum oratorum directa dicendi via. At nusquam in eis quae praecedunt huius novi dicendi generis mentio facta est; immo per totum caput 18 sermo est de sola veterum eloquentia, ut recte Cassius Severus primus flexisse ab illa (i. e. ab ea de qua modo diximus) vetere atque directa dicendi via, perperam transtulisse se ad illud dicendi genus dicatur, quod non intellegitur esse eandem illam antiquam eloquentiam, sed novum dicendi genus et ab illo vetere quam maxime diversum neque usquam antea commemoratum. Ac ne eo quidem confugere licet, ut dicamus *illud* idem esse atque *id quod vobis omnibus notum est*; nam si hoc voluerit scriptor, ad definiendum discrimen, quod intercedit inter haec duo eloquentiae genera, necessario dicendum erat: *ad novum illud dicendi genus* vel simile quiddam. Qua de causa cum emendatione opus esse persuasissimum habeam, facillima emendatione usus hanc scripturam propono: *transtulisse se ad aliud dicendi genus contendo* e. q. s. Compares quae secuntur: *formam quoque et speciem orationis esse mutandam*, et quae paullo infra leguntur: *novis et exquisitis eloquentiae itineribus opus est.* Atque quam necessaria haec emendatio sit ad fulciendam sententiam, ex eis intellegi potest quibus editores et interpretes sese expedire studuerunt, nihil illi quidem de depravatione codicum suspicati. Ritterus enim in breviario capitis 19 haec dicit: *sed iudicio et intellectu se ad aliud dicendi genus transtulit*; similia Hessius in adnotatione capiti 19 adscripta. Nastius porro hunc locum ita vertit: 'sondern mit Einsicht und Ueberlegung einen neuen Ton eingeführt habe', Rothius: 'sich der andern Art der Beredtsamkeit zugewendet habe'. Horum omnium verba ita comparata sunt, ut eos *aliud* potius quam *illud* legisse conicias. Qua re optime demonstratur non temere me egisse, cum non paucas hodie in hoc Dialogo corruptelas inveniri dicerem, quas pridem sanatas esse putares.

10.

Cap. 23 medio antiquorum oratorum et ipsius Ciceronis vitia persecutus Aper Maternum ac Secundum appellans: *vos vero,* inquit, *disertissimi, ut potestis, ut facitis, illustrate saeculum nostrum pulcherrimo genere dicendi.* Haec sententia uno vocabulo aucta est ab Acidalio. Perspexit enim homo singulari ingenii acumine praeditus praeter usum huius scriptoris ceteros qui adsunt uno vocabulo *disertissimi* compellari. Nam ubicunque in hoc libro omnes qui adsunt compellantur, vocabulum *viri* cum superlativo aliquo coniunctum legitur. Sic cap. 14: *vos, viri optimi et temporum nostrorum oratores*; cap. 30: *ita est enim, optimi viri, ita*; cap. 41: *credite, optimi et in quantum opus est disertissimi viri.* Ergo Acidalius eo quoque de quo agimus loco scribi iussit: *vos vero, disertissimi viri, ut potestis, ut facitis, illustrate* e. q. s. Ex tribus illis locis apparet, generi scribendi huius scriptoris ne hanc quidem verborum collocationem repugnare: *vos vero, viri disertissimi* e. q. s., quam scripturam Halmius et Michaelis haud dubie eo praetulerunt, quod *viri* videbatur paullo maiore probabilitate post *vos vero* inseri, quam post *disertissimi.* Itaque Acidalium inserto illo vocabulo vere emendasse mihi persuasi; idem tamen virum sagacissimum partem tantum veri vidisse et longe ultra progrediendum esse putaverim. Video enim olim Peerlkampio offensioni fuisse bis positam *ut* particulam; proponit enim scribendum: *ut potestis ac facitis.* Qua mutatione quamquam nihil proficimus, tamen videtur vir summus aliquid veri sensisse. Nam ut Acidalii emendatione contentus non sim, movet me sententia, quam ex his verbis eliciendam esse docent et quae praecedunt et quae secuntur. In eis enim quae antea legimus Aper loquitur de eis, *qui Lucilium pro Horatio et Lucretium pro Vergilio legunt* e. q. s. Hi igitur, inquit, qui tam inculto et impolito dicendi genere utuntur, non possunt saeculum nostrum illustrare. Cui sententiae nequit alia opponi nisi haec: *vos vero, disertissimi viri, potestis, ut facitis, illustrare saeculum nostrum pulcherrimo genere dicendi,* ut verbi *potestis* notio summa vi intendatur. Idem ea quae secuntur quam gravissime commendant; nam verbis: *nam et te Messalla, video — postero nostri* causae afferuntur, cur Maternus et Secundus possint illustrare saeculum suum, non cur debeant. Itaque et ex eis quae praecedunt et ex eis quae secuntur apparet primum in

ea de qua agimus sententia locum obtinere vocabulum *potestis.* At ex vulgata scriptura hortatur Aper Maternum et Secundum, ut saeculum suum pulcherrimo genere dicendi illustrent, id quod et possint et faciant, ita ut notio verbi 'posse', quam primum oportet locum obtinere, in secundario enuntiato delitescat. Itaque ut concinnitas sententiarum restituatur, mihi persuasi *viri* illud ab Acidalio insertum latere in priore *ut* particula et *illustrate* mutandum esse in *illustrare,* ut talis evadat totus locus, qualem paullo ante exscripsi.

11.

Initio cap. 26 haec leguntur Messallae verba: *adeo melius est, oratorem vel hirta toga induere, quam fucatis et meretriciis vestibus insignire.* Quaeritur, utrum haec verba ea constructione contineri velis, quae fit accusativo cum infinitivo, an accusativum illum *oratorem* pendere censeas e verbo induendi. At neutrum fieri posse quis est quin concedat? Nam sive accusativum cum infinitivo posueris, vereor ut ullum locum afferre possis, ubi *toga induere* idem sit quod vulgatum illud *togam induere;* sive accusativum e verbo induendi pendere volueris, quaeretur, quis tandem oratorem aut hirta toga induere aut fucatis et meretriciis vestibus insignire credendus sit. Quo munere nemo nisi ipse orator fungitur (nam commemorando praeceptori nullus hic locus); quare absurdum est quod in libris legitur. De librorum scriptura etiam Ritterus dubitavit, qui in adnotatione ad hunc locum scribit: 'potius *hirtam togam,* mox *se insignire* vel *insigniri.*' Recte tamen fecit, quod ipsum textum non mutavit; nam *hirtam togam* et *se insignire* vel *insigniri* e manu scriptoris prodiisse mihi improbabile est, quamquam etiam Hauptius *hirtam togam* et *insigniri* commendat Hermetis t. IV p. 32. Nobis et leniore remedio utendum et ita emendandum est, ut sententia evadat expeditior et iucundior, id quod fieri puto sic scribendo: *adeo melius est orationem vel hirta toga induere, quam fucatis et meretriciis vestibus insignire.* Sic Quintilianus IV, 1, 28: *fictam orationem induere personis,* quamquam hoc loco alia est imaginis ratio.

12.

Postquam Messalla promissi immemor ea quae Aper de antiquis atque suae aetatis oratoribus dixerat, acerrime castigavit, a Materno totius disputationis moderatore officii exequendi reique sine ira et studio gerendae admonitus: *non sum,* inquit cap. 27

sub fin., *offensus Apri nostri disputatione, nec vos offendi decebit, si quid forte aures vestras perstringat.* *Apri nostri* Gronovii emendatione restitutum est; in libris est *a prima.* Litterarum similitudinem paullo accuratius secutus Silligius proposuit: *Apri illa disputatione.* Praetulerim tamen Gronovianum illud, collatis eis quae leguntur c. 14 p. in., c. 24 in., c. 26 med. Quamquam ne Doederlinus quidem inepte coniecit: *Apri mei,* quacum scriptura comparari possunt quae Aper cap. 5 extr. dicit: *cui parti minime contradicturum Maternum meum arbitror.* At quae secuntur, ex Puteolani editione, quem hoc loco editorum longe plurimi secuti sunt, exscripsi; nam in libris est: *nam et vos offendi decebit,* quod corruptum esse primo adspectu senties: negativa enim requiritur sententia. Nec Farnesiani scriptura quae haec est: *nam nec vos offendi decebit,* pro genuina habenda est: iusta enim sententia non fert *nam* particulam. Speciosius quam probabilius Noltius coniecit: *iam* (Spengelius: *nam*) *et vos offendi dedecebit,* quod a simplici cogitandi et dicendi ratione abhorret. Ritterus autem prorsus praeter probabilitatem scripsit: *nam et vos non offendi decebit.* Ego in vulgata scriptura acquiescerem, si codicum fide niteretur. Ut nunc res est, aliud quiddam mihi videtur paullo probabilius conici. Messalla enim testatur se non offensum esse Apri disputatione, ea autem, quam ipse iam habiturus est, dicit ceteros offendi non decere. Itaque ut inter se opponuntur Messalla qui non offensus est, et ceteri quos offendi non decebit, ita videntur aptissime inter se opponi etiam Apri disputatio qua Messalla non offensus est, et Messallae futura disputatio qua ceteros offendi non decebit. Quae si probabiliter ratiocinatus sum, scribendum est: *nec mea vos offendi decebit.*

13.

Messalla a Materno denuo admonitus, ut causas depravatae eloquentiae expromat, cap. 28 initio: *non reconditas,* inquit, *Materne, causas requiris nec aut tibi ipsi aut huic Secundo vel huic Apro ignotas, etiamsi mihi partes assignatis proferendi in medium quae omnes sentimus.* Sic enim in editionibus haec leguntur, quae qualia exscripsi non posse scripta esse ab auctore huius libelli, omnibus me probaturum spero. Nec vero dubito quin, quicunque illa paullo attentius perlegerit nec deceptus externa quadam eaque tenui integritatis specie, qua mirum in modum editores omnes decipi se passi sunt, severo mentis

iudicio in eam rationem inquisiverit, quae intercedit inter priorem et posteriorem enuntiati partem, gravissimam in his verbis latere corruptelam mihi sine ulla haesitatione concessurus sit. Illarum enim duarum enuntiati partium, quae particula *etiamsi* coniunguntur, sententia prorsus eadem est. Qui enim causas manifestas nec cuiquam ignotas ab altero exponi vult, is profecto illum ea proferre iubet quae omnes sentiunt. Itaque non solum intra eiusdem sententiae fines idem bis dicitur, sed etiam, id quod multo gravius est, duae illae enuntiati partes, quarum eadem est vis ac sententia, particula *etiamsi* inter se copulantur. Neque enim verborum sententiam ita invertere et corrumpere licet, quasi dicatur: 'nemini nostrum istae causae ignotae sunt, etiamsi me eas proferre iubeatis'; nam nec legitur: *non reconditae causae sunt,* sed: *non reconditas causas requiris,* nec: *eas in medium proferendi,* sed: *proferendi in medium quae omnes sentimus.* Itaque cum satis probasse mihi videar *etiamsi* particulam nullo pacto ferri posse, in emendando loco iam ad tria potissimum animus advertendus erit. Omnium primum vitiosa illa particula tollenda; deinde ita mutandum est, ut nec idem bis dicatur, et idonea compareat causa, qua commotus Messalla initio sententiae Maternum, postea omnes qui adsunt alloquatur. Iam si quaesiveris, quae potissimum sententia in hunc locum et in ceterarum sententiarum conexum quadret, nulla tibi aptior videbitur quam haec: 'non reconditas, Materne, causas requiris; sed tamen expromam causas, si quidem omnes me potissimum ea in medium proferre vultis, quae omnes sentimus'. Quae si sententia sola in totius loci nexum optime quadrat, primum extrema verba sic legenda sunt: *si mihi partes* e. q. s.; deinde post *ignotas* vocabulum ascita extrema huius vocis littera pro *et* scribendum est *set;* postremo hanc particulam sequi oportet verbum, quo Messalla Materno se obtemperaturum et causas requisitas expromptnrum polliceatur. Quod verbum cum ipse certa coniectura assecutus non essem, Ritschelius praeceptor meus carissimus Farnesianum secutus, in quo legitur: *et enim iam si,* hanc proposuit emendationem: *set tamen dicam, si mihi* e. q. s. De verbis *tamen dicam* potest dubitari; eo maiore iure, nisi omnia me fallunt, hoc affirmare mihi videor, et simile aliquid hoc loco scriptum fuisse et id inter *set* atque *si* collocatum. Ita tria illa, ad quae supra diximus animum advertendum esse, effecimus: primum *etiamsi* sustulimus; deinde diversas sen-

tentias eruimus et aptissime illas quidem inter se coniunctas; postremo ita emendavimus, ut idonea sit causa, cur in posteriore huius enuntiati parte non Maternum solum, sed omnes qui adsunt adloquatur. Nam consentaneum est Messallam notissimas causas se aperturum tum demum polliceri, si non Maternus tantum, sed Secundus et Aper quoque has partes a se suscipi velint, id quod velle eos scire licuit ex eis quae Secundus initio cap. 16 dixerat.

14.

Cap. 31 p. m., ubi de diversis hominum auribus sermo est, haec legimus: *alios fusa et aequalis et ex communibus ducta sensibus oratio magis delectat.* In quibus unum vocabulum corrigendum esse videtur. Nam scribendum est: *fusa et aequabilis* e. q. s. Ubique enim dicendi genus illud, cuius hoc loco mentio fit, aequabile appellatur, nusquam, quantum vidi, aequale. Testis Cicero, apud quem legimus de offic. I, 1, 3: *sed hoc quoque colendum est aequabile et temperatum orationis genus*; de orat. II, 13, 54: *et tractu orationis leni et aequabili perpolivit illud opus*; II, 15, 64: *genus orationis fusum atque tractum et cum lenitate quadam aequabili profluens*; III, 12, 45: *non vaste, non rustice, non hiulce, sed presse et aequabiliter et leniter*; Orat. 16, 53: *elaborant alii in lenitate et aequabilitate et puro quasi quodam et candido genere dicendi.* Prorsus alia vis est adiectivi *aequalis* velut Orat. 36, 123: *sed erit rebus ipsis par et aequalis oratio*, i. e. ad dignitatem rerum accommodata. Sic leni mutatione illum Dialogi locum correxisse nobis videmur. Miro casu accidit, ut in Weinkauffii dissertationis prioris p. 34, ubi hic locus affertur, legamus *aequabilis*, errore scilicet, nam p. 37 impressum vides *aequalis.*

15.

Cap. 32 Messalla antiquorum oratorum exemplis demonstrat, quam utilis et vel necessaria sit oratori multarum artium scientia, quae non solum a docto et prudenti auditore, sed etiam ab imperito vulgo animadverti et laudari soleat ut summum orationis decus. Huc pertinent verba: *idque non doctus modo et prudens auditor, sed etiam populus intellegit ac statim ita laude prosequitur, ut legitime studuisse, ut per omnes eloquentiae numeros isse, ut denique oratorem esse fateatur; quem non posse aliter existere nec extitisse unquam confirmo nisi eum, qui tamquam*

in aciem omnibus armis instructus, sic in forum omnibus artibus armatus exierit. Hoc loco et logicae rationi et concinnitati sermonis obstinate repugnat coniunctio verborum: *non aliter — nisi eum.* Atque, quandoquidem particulae *non — nisi,* quae vocabula *aliter* et *eum* arte inter se conecti iubent, ea ipsa de causa concinnitatem eorum inexorabili severitate efflagitant, debemus eis hanc concinnitatem mutatione proditae scripturae restituere: quod quomodo fieri oporteat, nemini puto dubium erit. Confido enim auctorem huius libelli scripsisse: *quem non posse alium existere — confirmo, nisi eum qui* e. q. s.: 'dass kein Anderer das wird noch je geworden ist, als derjenige welcher' — (sic Rothius de corruptela nihil suspicatus). Haec mutatio mihi tam certa et necessaria videtur esse, ut externam eius quam dicunt probabilitatem minus anxie curem quam aliis locis decet.

Etiam aliud fortasse in hac sententia vocabulum lenem desiderat mutationem, quamquam rem minime certam esse confitendum est. Nam in extremis huius sententiae verbis, quibus comparatio oratoris et militis in acie pugnantis continetur, opposita inter se sunt: *tamquam — sic, in aciem — in forum, omnibus armis — omnibus artibus, instructus — armatus.* Sed quae inter haec ultima duo vocabula intercedit ratio, discrepat ab ea qua cetera tenentur. Ceterorum enim simplicissima ratio haec est, ut altera tantum de apparatu militis (*in aciem omnibus armis*), altera tantum de oratoris munere (*in forum omnibus artibus*) dicantur, utque ea vocabula, quae de priore imaginis membro dicta sint, non possint dici de posteriore. Haec simplicissima et elegantissima ratio turbatur vocabulo *armatus,* quod non est oratorii, sed militaris muneris proprium. Quo fit ut, nisi sensu meo decipior, totius imaginis concinnitas vehementer debilitetur. Haec me causa movit, ut pro *armatus* scribendum esse *ornatus* conicerem. Qua coniectura nihil volui efficere nisi ut elegantiam et concinnitatem, qua hic scriptor solet excellere, hoc quoque loco restituerem: qua si quibus concinnitate opus non esse visum erit, eis libenter concedam aliquam tantum probabilitatem coniecturae meae posse vindicari.

16.

Eodem cap. 32 Messalla queritur de segnitie et neglegentia recentiorum oratorum, qui antiquorum illustria exempla aspernati

quam plurimarum artium scientia sibi prorsus non opus esse opinentur. Hic ibi nexus est verborum: *quod adeo neglegitur ab horum temporum disertis, ut in actionibus eorum vis quoque quotidiani sermonis, foeda ac pudenda vitia deprehendantur; ut ignorent leges, non teneant senatus consulta* e. q. s. In his verba *vis quoque* corrupta esse omnes hodie concedent. Primum enim *quoque* particulam frustra conaberis explicare. Nam etiamsi eam vocem hoc loco significationem *vel* sive *etiam* particulae habere eis qui eam retinuerunt largiamur potius quam concedamus, logicae tamen rationi scriptor melius providisset, si ita potius vocabula collocasset: *ut in actionibus eorum quotidiani quoque sermonis vis* e. q. s. Altera offensio eo continetur, quod (pace Orellii dixerim) nullo pacto ferendum est asyndeton illud: *vis quoque quotidiani sermonis, foeda ac pudenda vitia.* Quare vel hanc ipsam ob causam omnes eae emendationes reiciendae sunt, quibus illa verba divelluntur, velut Rhenani, Orellii, Doederlini. Ac ne ceterarum quidem emendationum ulla rem ad certum finem perducere mihi videtur. Nam ut taceam de Rothio, qui haec proposuit: *vilissima* (sive *vilia*) *quaeque quotidiani sermonis foeda ac p. v.,* ne Acidalius quidem verum vidit, cum coniceret scribendum esse aut: *fex quoque quotidiani sermonis foedo ac pudendo vitio deprehendatur*, aut: *eorum fere quotidiani sermonis foeda ac pudenda vitia deprehendantur.* Haasii autem coniectura: *huius quoque quotidiani sermonis,* nec vitiosum illud *quoque* tollitur et infertur vocabulum, quod, etsi non ineptum est, tamen abundat. Ex Zumptii scriptura *vix quoque* non potest ea sententia elici, quam ei inesse ipse voluit: hanc quidem, ut in actionibus novorum rhetorum tam foeda ac pudenda vitia deprehendi dicantur, quam vix quotidianus sermo habeat. Nec probabilius Schulzius hoc proposuit: *eorum vitia quoque quotidiani sermonis foeda ac pudenda deprehendantur.* Prior autem Orellii emendatio: *ubique quotidiani sermonis,* a memoria nimis recedere videtur. Unum illud, quod Bezzenbergerus progr. Dresd. a. 1844 p. 46 et Steinerus progr. Crucen. a. 1864 proposuerunt: *usquequaque quotidiani sermonis,* maiorem sibi vindicat probabilitatem (conferas c. 23 in.: *et illud tertio quoque sensu* e. q. s.), certum tamen esse nemo contendet. Nam quod novissime Hauptius (Hermae a. 1869 p. 32) suasit: *ut in actionibus quorumviscunque quotidiani* e. q. s., ut facillime restituitur, ita ideo displicet, quod rarum vocabulum per coniecturam inserere audaciae

est. Ne mihi quidem, ut verum fatear, emendatio praesto est, quae nullam dubitationem admittat: ea tamen est, quam prae ceteris tibi placituram sperem. Nam vitiosum illud *quoque* ante *quotidiani* positum suspicari nos patitur, dimidiam eius partem ex dittographia natam esse. Fortasse enim sic olim scriptum fuit: *ut in actionibus eorum quaevis quotidiani sermonis foeda ac pudenda vitia deprehendantur.* Eadem sententia eius coniecturae est, quam Osannus Schulzii vestigia secutus proposuit: *ut in actionibus eorum vitia quaeque — foeda ac pudenda deprehendantur.* Illud si probabiliter conieci, corruptela videtur sic orta esse: primo scriptum erat *quevis quotidiani*, deinde *quevis quo quotidiani,* quod postremo sive casu sive transpositione correctoris mutatum est in *vis quoque quotidiani.*

17.

Cap. 36 sive Maternus sive Messalla exponit, quanto olim libera re publica maiora eloquentiae contigerint praemia; et initio capitis: *nam etsi,* inquit, *horum quoque temporum oratores ea consecuti sunt, quae composita et quieta et beata re publica tribui fas erat, tamen illa perturbatione ac licentia plura sibi assequi videbantur, cum mixtis omnibus et moderatore uno carentibus tantum quisque orator saperet, quantum erranti populo persuadere poterat* (ubi *persuadere* Heumanno debetur, cum in libris sit *persuaderi*). Primum mihi in protasi huius enuntiati gravis corruptela inesse videtur. Eis enim quae exscripsi haec efficitur sententia, ut Messalla suae quoque aetatis oratores ea consecutos esse dicat, quae compositis pristinis illis civium discordiis ac summorum virorum certaminibus, e quibus antiqua eloquentia ingentia incrementa sumpserit, assequi potuerint. In hac sententia primum offendit particula *quoque,* qua antiquis oratoribus opponuntur recentiores. Qui sicut ea consecuti sunt, quae pacata re publica consequi potuerunt, ita illi non eadem, sed multo plura consequebantur, quippe qui non pacatis, sed turbidis rei publicae temporibus uterentur, ut utrique recte dicantur ea consecuti esse, quae per utriusque aetatis rei publicae statum consequi licuerit. Itaque tum demum cum logica ratione prorsus conveniret *quoque* illud, si haec vel similia dicerentur: 'nam etsi horum quoque temporum oratores ea consecuti sunt, quae per rei publicae condicionem licuit' e. q. s. Deinde, id quod multo maiori offensioni est, Messalla credi non potest suae aetatis rem

publicam compositam et quietam et beatam appellasse, i. e. tam beatam, ut felicior rei publicae status non possit excogitari. Quid enim aliud coniunctis tribus illis praedicatis significatur? Nam etsi Messalla antiquorum temporum perturbationem suae aetatis quieti se anteponere nunquam fatetur, tamen vel ob id ipsum, quod recentiores oratores consecuti sunt, summae felicitatis gloriam aetati suae concedere non potest. Nam id quoque, ut Maternus ait in. cap. 41, quod superest ex antiquis oratoribus, non emendatae nec usque ad votum compositae civitatis argumentum est. Itaque non recte Messalla suam aetatem appellat compositam et quietam et beatam. Tantis laudibus ea demum rei publicae condicio ornari debet, quam in rerum natura nusquam invenimus et cogitando tantum tamquam beatissimam informamus, de qua dicit Maternus cap. 41 p. in: *quodsi inveniretur aliqua civitas, in qua nemo peccaret, supervacuus esset inter innocentes orator, sicut inter sanos medicus.* Quare eo de quo agimus loco sic scribendum est: *nam etsi horum quoque temporum oratores ea consecuti sunt, quae composita et quieta et beata re publica tribui n e f a s erat*: 'denn obgleich auch die Redner unserer Zeiten das erreicht haben, was ihnen bei einem vollkommen glücklichen Staatsleben nicht hätte eingeräumt werden können'.

Ceterum confitendum est olim Schultingium, qui proposuit: *tribui fas non erat,* simile aliquid ut videtur sensisse, quamquam ea, quibus emendatum a se locum explicat, dubitationem movent. Interpretatur enim: 'quod libera re publica fieri non potuit'. At non de libera, sed de beata re publica sermo est. Atque haec causa fuit, cur copiosius mihi de hoc loco dicendum esse videretur.

Iam de posteriore huius enuntiati parte disserendum est. Quod enim vocabulum eius sententiae, quae a *tamen* particula incipit, subiectum est? Nullum legitur, quod huius sententiae proprium sit; itaque quod subiectum in protasi legitur, idem ad apodosin pertinet. Sic fit ut haec oriatur sententia: 'tamen horum temporum oratores illa perturbatione ac licentia (i. e. qua olim libera re publica usi sunt cives) plura sibi assequi videbantur'. Haec non possunt intellegi. Neque vero hunc locum ita licet interpretari, ut non *horum temporum oratores,* sed *oratores* in apodosi subiecti vice fungantur. Quin adeo si (id quod ponimus potius quam concedimus) locus re vera ita

intellegendus esset, oportuit hunc scriptorem dicere *plura assequebantur* potius quam *plura sibi assequi videbantur*, quemadmodum etiam in eis quae praecedunt recentiores oratores dicuntur plura, quam beata re publica fas erat, consecuti esse. Nam quo modo fieri potuit, ut perturbatione ac licentia plura quam composita et beata re publica sibi assequi viderentur veteres oratores, qui compositam et beatam rem publicam ne viderunt quidem? Nec Gutmanni coniectura, qui *illa* mutavit in *illi* (sc. antiqui), quaestio ad exitum perducitur. Nam primum *illa* eis quae secuntur (*cum mixtis* e. q. s.) defenditur; deinde quod de verbis *sibi videbantur* dixi, id ad hanc quoque scripturam pertinet. Quare alia emendatio quaerenda est. Inde autem proficiscor, ut *horum temporum oratores* etiam apodosis subiectum intellegam, *illa* autem pro integro habeam. Atque sententia, ut videtur, exspectatur haec: 'etsi horum quoque temporum oratores ea, quae beata re publica tribui nefas erat, consecuti sunt, tamen eosdem puto facile concessuros, si libera re publica vixissent, illius aetatis perturbatione ac licentia multo se plura fuisse assecuturos'. Quae sententia ad hunc locum sic poterit accommodari, ut scribatur: *tamen illa perturbatione ac licentia plura sibi assecuturi fuisse videbuntur*, ut futurum illud *videbuntur* sit conicientis et suspicantis, ut cap. 33 med.: *nec tu, puto, abnues et hi significare vultu videntur.* Ab externa probabilitate alienior est coniectura mea; nec tamen aliam sententiam huic loco aptam nec aliam formam repperi, qua illa posset restitui.

Ceterum in extremis huius enuntiati verbis: *cum mixtis omnibus et moderatore uno carentibus tantum quisque orator saperet, quantum erranti populo persuadere poterat*, potest *orator* videri ex glossemate ortum esse. Confidentius de eis agere potero quae secuntur. In quibus legitur: *hinc accusationes potentium reorum*. Haec verba molesta laborant tautologia, quoniam reus accusatione demum reus fit. In Vaticano scriptum est *potentium rerum*, ut ita videatur esse emendandum: *hinc accusationes potentium virorum*: 'daher die beständigen Anklagen mächtiger Personen': (sic Nastius, quamquam vulgatam scripturam in exemplari suo invenit). Tautologiam non evitavit Teuffelius vertens: 'daher die Anklagen zur Verfolgung einflussreicher Männer'.

18.

Cap. 39 extr. veteres oratores dicuntur concursu totius civitatis orationes suas habuisse, *ut frigidissimos quoque oratores ipsa certantis populi studia excitare et incendere potuerint.* Dein secuntur haec: *itaque hercule eiusmodi libri extant, ut ipsi quoque, qui egerunt, non aliis magis orationibus censeantur.* Ita haec verba in omnibus et libris et editionibus leguntur, nisi quod Perizonianus a prima manu exhibet *egerint*, ita tamen ut litterae *i* superscripta sit *u*. Sed nemodum haec verba ad persuadendum apte mihi explicasse videtur. Orellius enim, postquam tribus exemplis allatis *censeri* ex argenteae aetatis usu idem esse demonstravit atque *aestimari* (id quod facile concedimus), ita interpretatur: 'de oratorum eloquentia et meritis homines iudicant magis ex huiusmodi orationibus de rebus turbidis et facinoribus, quam ex placidioris generis defensionibus vel ex causis civilibus ab illis tractatis'. Primum videndum est, quo iure Orellius *eiusmodi libros* intellegat eas orationes, quae de rebus turbidis ac facinoribus habitae sint. Quae explicatio, ut statim dicam quid sentiam, nihil habet quo nitatur. Id ut demonstrem, in nexum sententiarum accuratius inquirendum est. Totus hic locus incipit a verbis: *transeo ad formam et consuetudinem veterum iudiciorum*, quae leguntur initio cap. 38, postquam in eis quae antecedunt expositum est, quanto uberiorem veteres oratores ad dicendum habuerint materiam. De forma autem ac consuetudine et veterum et suorum temporum iudiciorum haec dicit: olim modum dicendi sibi quemque sumpsisse causasque centumvirales, quae nunc primum obtineant locum, aliorum iudiciorum splendore prorsus obrutas fuisse, recentiorem autem eloquentiam debilitasse paenulas, auditoria, tabularia, quibus nunc utendum sit, iudicem sua auctoritate cursum oratoris coercere et pro suo arbitrio dirigere, omnes denique res in solitudine agi. Contra olim in iudiciis plerisque populum Romanum credidisse sua interesse quid iudicaretur; nam satis constare C. Cornelium et M. Scaurum et T. Milonem et L. Bestiam et P. Vatinium concursu totius civitatis et accusatos et defensos, ut frigidissimos quoque oratores ipsa certantis populi studia excitare et incendere potuerint. Itaque si vocabulum *eiusmodi* ad ea refertur, quae praecedunt (id quod voluit Orellius), *eiusmodi orationes* eae sunt, quae concursu totius civitatis, non possunt

esse eae, quae de rebus turbidis et facinoribus habitae sunt. Sermo enim est de forma veterum iudiciorum, non de materia veterum orationibus subiecta, de qua dictum erat ante cap. 38. Itaque funditus eversá est Orellii interpretatio. Accedit quod *quoque* ratione caret; nam qui sunt illi, quibus tali particula adiunguntur *ipsi qui egerunt*? Aliquam huius particulae, sed artificiosissimam illam nec ullŏ pacto probabilem explicationem proposuit Doederlinus, qui ceteroqui Orellium secutus particula *quoque* oratores reis eorumque causis adiungi dicit, quod unde possit intellegi nescio.

Iam vero postquam quae non sit horum verborum sententia demonstravimus, quae sit quaerendum est. Qua in re fateor ne post diuturnam quidem et attentam meditationem me ad aliquem finem pervenisse, nec magis quemvis alium, quocunque se vertat, perventurum puto. Nisi forte intellexeris aut Nastii versionem: 'man hat daher auch Sammlungen von Schriften dieser Art, aus denen man die Verfasser, welche sich mit dergleichen Gegenständen beschäftigt haben, vorzüglich als Redner kennen lernt', aut Rothii: 'und so haben wir's ja in vorhandenen schriftlichen Denkmälern von einem Gehalte, welcher die Männer, die solche Reden gehalten, nur nach diesen, wie nach keinen andern beurtheilen lässt'. Quare id egi ut, quae comparato conexu eorum quae praecedunt sententia prae ceteris apta esset, explorarem. Ac primum vocabulum *libri*, quo scriptae orationes significantur, et *extant* docent, sermonem esse de eis orationibus, quae e Ciceronis aetate ad Vespasiani tempora pervenerunt; deinde *itaque* particula ostendit has, quae etiamnunc legantur, orationes habitas esse ab oratoribus infinita auditorum multitudine excitatis et incensis; quoniam autem scriptae tantum extant, leguntur, non iam audiuntur. Unde cum aliqua probabilitate hanc sententiam eruere mihi videor: 'quoniam veteres oratores totius civitatis concursu excitati et incensi omnibus ingenii viribus nitebantur, ut efficerent orationem ad permovendos animos quam maxime accommodatam, orationes eorum, quae litteris mandatae sunt et hodie extant, eiusmodi sunt ut ne ei quidem, qui eas legerunt, non audiverunt, ullis aliis orationibus vehementius inflammentur et accendantur.' Quae si re vera ea sententia est, quam scriptor huius libelli exprimere voluit, scribendum est, ut videtur: *itaque hercule eiusmodi libri extant, ut ipsi quoque qui legerunt non aliis magis orationibus accendantur*: 'daher giebt es auch

in der That noch heute Reden, die der Art sind, dass selbst diejenigen, welche sie nur gelesen haben, durch keine anderen Reden in höherem Grade hingerissen werden'. Similiter Plinius paneg. c. 36 extr.: *ingens hoc meritum, maius illud, quod eos procuratores habes, ut plerumque cives tui non alios iudices malint.*

Extat etiam alius in hoc Dialogo locus, qui quid sibi velit adeo non intellego, ut ne divinem quidem, quam inde sententiam eruendam dicam. Messalla enim de Apro haec dicit in fine cap. 26: *nunc detrectasse nominatim antiquos oratores contentus neminem sequentium laudare ausus est nisi in publicum et in commune, veritus credo ne multos offenderet, si paucos excerpsisset.* Quae secuntur, obscura sunt: *quotus enim quisque scholasticorum non hac sua persuasione fruitur, ut se ante Ciceronem numeret, sed plane post Gabinianum?* Quo loco illud minime assequor, quae sit vis *enim* particulae; obscura est etiam verborum *plane post* notio. Quae autem interpretes adnotavere, eis huic loco nulla lux affunditur, nec quidquam proficimus enumerandis coniecturis, quibus eum temptavernnt Dronkius, Schurzfleischius, Oberlinus, Seebodius. Aper multos (i. e. reliquorum multitudinem) laederet, si paucos singulos singulis veteribus oratoribus opponendos excerpsisset; nemo est enim, qui non dignum se habeat, qui cum Cicerone non solum comparetur, sed etiam ei anteponatur. Haec possunt ferri; sed qua tandem ratione verba *sed plane post Gabinianum* cum offensione illa coniuncta sunt? Nisi aut haec fuit sententia: 'ut se ante Ciceronem numeret, cum sit plane post Gabinianum numerandus': 'während er doch weit hinter dem Gabinian zu stehen kommt', quae est Nastii versio; aut haec: 'ut se plane post Gabinianum numeret, sed ante Ciceronem', i. e. ut Gabiniano quidem inferiorem se habeat, sed Ciceroni non solum parem, verum etiam superiorem. Nam delere verba imprudentis est, quamquam verba *at ego non verebor* verbis *veritus credo* aptissime adiungi video. Denique quocumque me verto, oritur dubitatio.

Alios locos, de quibus habeo quod dicam, nunc, ne longus sim, mittam; de quibusdam tamen quid sentiam, quam paucissimis significabo. — Quae cap. 7 leguntur: *quod si non in alio oritur,* dici nequit quot virorum doctorum coniecturis temptata sint. Quarum mihi nulla singulari aliqua probabilitate commendari videtur; *si* particulam autem ratione carere ratus hanc fere

sententiam desidero: 'quod sine commendatione natalium paritur nec codicillis datur.'

Initio cap. 18 Halmius scribendum esse monuit: *eam docerem in medio sitam* e. q. s. Ipse aut idem illud *eam* aut *eam laudem* restituendum esse conieci; nec quidquam certius habeo quam, quod in libris legitur, ferri non posse.

Cap. 19 locum vexatissimum egregie purgavit Michaelis. Ipse hanc quam subieci scripturam summam habere probabilitatem mihi persuaseram (paullo illam quidem ab ea, quam Michaelis restituit, diversam): *Nam (quatenus antiquorum admiratores hunc* [i. e. Cassium Severum] *velut terminum antiquitatis constituere solent) Cassium Severum, quem primum affirmant flexisse ab illa vetere atque directa dicendi via, non infirmitate* e. q. s. Nam verbis *qui usque ad* quomodo utar, nescio.

Cap. 19 p. in. videtur corruptela latere in his verbis: *cum condicione temporum et diversitate aurium formam quoque ac speciem orationis esse mutandam*: neque enim diversitas aurium, sed aures potius mutantur. Emendationem igitur hanc propono: *cum condicione temporum ex diversitate aurium:* 'mit den Zeitverhältnissen gemäss der Verschiedenheit des Geschmacks'.

Cap. 19 med. quid sibi vellet *cortina,* nemo exposuit. Atque eam significationem, quam hoc loco in *cortina* voce inesse statuunt, cum exemplis carere perspexisset Ursinus, scribi iussit: *cum vix in corona quisquam* e. q. s. Verum non solum abundat *in corona* illud (cf. c. 20 p. in.: *volgus quoque assistentium et affluens et vagus auditor*; c. 39 med.: *unus inter haec dicenti aut alter assistit*), sed etiam *vix* particulae repugnat. Nam ubi tandem reliqui assistunt, qui non elementis solum studiorum imbuti sunt? Illa autem particula facit ut in locum verborum *in cortina* substituendum esse censeam vocabulum vel nomen aliquod, quod hominem vel locum sordidum et humilem significet, ut haec efficiatur sententia: 'cum vix de tunicato hoc populo quisquam assistat quin' e. q. s., vel haec 'cum vix in sordidissimis atque humillimis iudiciis quisquam assistat quin' e. q. s. Quomodo autem haec sententia, quam requiri pro certo affirmaverim, aliqua cum probabilitate restituatur, etiamnunc me nescire confiteor.

Cap. 20 med. inepte mihi videntur inter se opponi haec: *poeticus decor, non Accii aut Pacuvii veterno inquinatus, sed ex Horatii et Virgilii et Lucani sacrario prolatus.* Non decor orationis, sed oratio ipsa Accii et Pacuvii veterno inqui-

natur. Optime, quid sententia desideraret, Nastius sensit, cuius haec est interpretatio: 'freilich nicht aus der schmutzigen Plunderkammer des Accius und Pacuvius, aus dem Heiligthum des Horaz, Virgil und Lucan geschöpft'. Hanc tamen sententiam ut restituendam puto, ita probabili coniectura restituere non contigit.

Cap. 27 p. in., cum *parce, inquit Maternus, et potius exsolve promissum* coniecissem, Michaelem proposuisse vidi *at parce iis* e. q. s. Mihi hodie quoque simplex illud *parce* magis arridet.

Initio cap. 41 videntur mihi olim duae extitisse scripturae, quarum utramque codex archetypus praebuerit. Altera haec fuit: *sic quoque quod superest ex antiquis oratoribus,* altera: *sic quoque quod superest antiquorum oratorum.*

II.

De lacunis.

Lacunarum haud exiguam multitudinem in libris manu scriptis huius libelli exstare certa ratiocinatio ex sententia unius cuiusque loci profecta quam planissime evincit. Taceo nunc de gravi illa in fine cap. 35 lacuna, qua Messallae oratio detruncata est. Sed, ut exemplo utar, quis est qui neget (id quod splendido acumine perspexit Schopenus) cap. 33 post verba *nam quibus* excidisse *artibus*, quae opponuntur exercitationibus. Eodem loco non solum concinnitas sermonis flagitat, sed etiam librorum vestigia eo ducunt, ut Tyrwhittum secuti scribamus: *sed longe magis facultate et usu eloquentiam contineri.* Quo supplemento dubito num quid aptius possit excogitari. — Plura praefari inutile est; iam res ipsa, quot quantaeque in hoc libro explendae sint lacunae, optime docebit.

1.

Inter Dialogum de oratoribus et similes libros Ciceronianos cum alia tum hoc interesse mihi videtur, quod in illo libro unius cuiusque eorum virorum, qui disputationis participes sunt, et animi et ingenii velut quaedam facies et imago quam maxime perspicua nobis proponitur. Qua in re tanta ars et diligentia eius qui hunc librum composuit cognoscitur, ut nulla a parte illi promisso defuisse putandus sit, quod prodidit cap. 1 his verbis

usus: *ut quae — accepi, — dum formam sui quisque et animi et ingenii redderent, iisdem nunc numeris — persequar.* Nam et Aprum iuvenem nimio et sui et suae aetatis amore captum ac praepropero iudicio utentem, et Messallam virum sobrium et acrem veterisque eloquentiae minime caecum admiratorem, et Maternum ab omnibus eis quae ad quotidianum vitae usum pertinent quam longissime remotum omniumque eorum studiosum, quae tamquam vitam humanam ad summam felicitatem adductura quasi mente informamus: in legendo hoc libello ante oculos nostros versantes cernere nobis videmur. Ac ne Secundi quidem, cuius in ipsa disputatione nullae partes sunt et paucissima verba duobus tantum locis inserta leguntur, mores fieri potest ut ab eis qui legunt in diversam partem accipiantur. Secundus enim homo est cautissimus et id potissimum agit ut ne quem laedat neve aut contendat quidquam aut suscipiat, quod non satis tueri se posse vel intellexerit vel suspicatus sit. Atque huius quidem viri quae in hoc libello partes sint, nunc videamus et ita quidem, ut quaeramus quomodo, quae Secundus c. 5 dicit, cum eis quae et statim et postea in medio libello secuntur, conexa sint.

Disputatio, cui scriptor huius libelli admodum iuvenem se interfuisse testatur, inde orditur, quod Aper una cum Secundo ad Maternum venit, qui pridie Catonem tragoediam suam recitavit, eique carmina exprobrat in quibus componendis iam omne tempus consumat, neglecto orationum et causarum studio. Ad haec Maternus respondet, sibi frequentem et assiduam hanc esse de poeticae et eloquentiae dignitate controversiam: quo magis se gaudere oblato sibi iudice, qui se aut in futurum vetet versus facere, aut sua quoque auctoritate compellat, ut omissis causarum studiis solam sanctiorem illam et augustiorem eloquentiam colat. Cautissime autem Secundus, quem Maternus quasi arbitrum illius controversiae designavit, haec respondet: *ego vero, antequam me iudicem Aper recuset, faciam quod probi et moderati iudices solent, ut in iis cognitionibus se excusent, in quibus manifestum est alteram apud eos partem gratia praevalere.* His verbis utrum Secundus munus arbitri prorsus respuit an illo munere se functurum promittit, sed ita ut alteram apud se partem gratia praevalere confiteatur? Cui quaestioni nemo potest respondere, nisi qui accurate inquisiverit in sententiam horum maxime verborum: *ut in iis cognitionibus s e e x c u s e n t* (nam illud *se* quin praeter librorum auctoritatem et facillime et rectissime a Pithoeo

insertum sit, non est quod dubites). Atque e totius loci indole patet haec dicta esse e iuris consultorum dicendi genere. Excusare autem aliquem aliqua re sive ab aliqua re apud iuris consultos idem valet atque liberare, absolvere, immunem reddere ab aliqua re praestanda, ut Hessius recte mihi videatur adnotare, se excusare in cognitionibus dici eos, qui delatum ad se iudicium suscipere nolint causasque, cur iudices esse nolint, afferant. Quam explicationem etiam alia adeo commendant, ut quin vera sit non possit dubitari. Nam num aut probi et moderati iudicis aut Secundi est, delatum ad se iudicium non prorsus respuere in ea cognitione, in qua manifestum sit alteram apud eum partem gratia praevalere? Deinde ceteri qui adsunt quomodo Secundi verba intellexerunt? Nimirum illum delatum ad se iudicium nolle suscipere putant. Nam in eis quae secuntur nullo verbo delati ad Secundum iudicii mentio fit; nec Aper eloquentiam nec Maternus poeticam tamquam reum apud Secundum tamquam iudicem defendit, sed ea uterque dicendi ratione utitur, ut alter alterum adloquatur, accuset, hortetur, ita propemodum tamquam non adsit Secundus. Nec vero c. 14, ubi finitis Apri et Materni orationibus iudicis sententia expectari potest, quidquam de re ipsa dicit Secundus, sed pro ingenio suo utriusque orationis formam plane in universum laudat.

Itaque certum est Secundum munus iudicis non suscepisse eorumque, quae initio cap. 5 leguntur, hanc esse sententiam, ut iudicem se extiturum neget.

At iam vide, quae Aper illis Secundi de quibus diximus verbis respondeat: *Securus sit et Saleius Bassus et quisquis alius studium poeticae et carminum gloriam fovet, cum causas agere non possit. Ego enim, quatenus arbitrum litis huius inveni, non patiar Maternum societate plurium defendi, sed ipsum solum apud eum arguam, quod* e. q. s. Haec pugnant contra ea quae modo certa esse contendimus. Nullo enim pacto Aper dicere potest arbitrum litis se invenisse et apud hunc se Maternum accusaturum, postquam ille ipse, qui iudex designatus erat, hoc munere se non functurum professus est. Non possum satis mirari, quod ne unus quidem editorum et interpretum hanc sententiarum discrepantiam, quam sine dubio librariorum incuriae debemus, sensisse videtur. Nobis autem, quamvis Lipsius de vulgata scriptura a Pithoeo restituta affirmet: 'quod rectum omnino iis quibus mens non curva', id agendum est, ut eam

concinnitatem qua opus est huic scriptori restituamus. Quod quidem emendatione fieri debere quo luculentiore documento pateat, quam quod illa verba, quibus efficitur difficultas, non qualia exscripsi in codicibus leguntur, sed manifestam corruptelam prae se ferunt? Miro enim consensu libri manu scripti haec produnt: *quatenus arbitrum litis huius inveniri.* Quae scriptura vel per se gravissimam suspitionem movet; neque enim excogitari potest, quomodo Pithoei omniumque editionum scriptura, quae a grammatica ratione nihil habet offensionis et facillima est intellectu, mutari in eam potuerit quae sensu prorsus caret. Ego autem, ut tollam illum de quo diximus sententiarum hiatum, *inveniri* illud, quod codicum fide nititur, servo, sed post hoc vocabulum duas voces intercidisse conicio, ut sic fere totus locus e manu scriptoris prodiisse possit: *ego enim, quatenus arbitrum litis huius inveniri non puto, non patiar Maternum societate plurium defendi,* hoc est: quoniam, postquam Secundus delatum ad se iudicium suscipere se nolle professus est, qui unus tanto muneri par erat, alium arbitrum huius litis inveniri non puto, quam iamdiu sine ullo iudice agimus e. q. s. Ac videtur Aper illis verbis sic a me instauratis ad scriptorem huius libelli et si quis alius adulescens huic disputationi interfuit, facete respicere, qui tam gravi muneri impares sint. Quam facile autem *non puto* ante *non patiar* excidere potuerit, nemo non videt.

Iam de altero loco dicendum est, qui argumentationi nostrae repugnare videtur. Verba autem haec sunt: *sed ipsum solum apud eum arguam.* Haec non possunt ferri, quoniam nec Secundus nec alius ullus adest arbiter. Sed gratum auxilium etiam hoc loco nobis ipsi libri manu scripti ferunt; nam *apud eum* coniectura Spengelii in progr. Monac. a. 1852 proposita effectum est, cum in libris sit *apud eos*, quod pariter atque *inveniri* illud omni sensu destitutum est. Lipsius restituit quod in veteribus editionibus omnibus legitur: *apud vos,* non satis illud quidem feliciter; nam qui praeter Secundum adest scriptor huius libelli, non potest ab Apro una cum Secundo illius controversiae iudex serio designari. Contra Muretus scripsit *apud te co arguam,* Weissenbornius Nov. ann. philol. XXXIII p. 64: *apud te coarguam.* Haec omnia probari non possunt, quia nullus adest arbiter. Vidimus autem eas orationes, quas deinceps legimus, et ab Apro et a Materno ita institui, ut nulla tertii alicuius ratione habita alter alterum apud se ipsum tamquam iudicem

accuset. Quare mihi persuasum est eum de quo agimus locum ita esse emendandum: *sed ipsum solum apud se coarguam.*

2.

Cap. 8 p. m. Aper de ornamentis et praemiis oratoriae eloquentiae disserens *minimum* inquit *inter tot ac tanta locum obtinent imagines ac tituli et statuae.* Offendo in verbis *inter tot ac tanta*; non enim invenio locum, ubi nullo adposito substantivo *tot* idem valeat atque *tam multa.* Dialogi scriptor dixit cap. 33 p. m.: *tot tamque reconditas aut tam varias res* potius quam *tot tamque recondita aut tam varia*; Cic. de orat. I, 10, 44: *ista tanta tamque multa* potius quam *ista tanta totque*; Orat. 5, 17: *ad has tot tantasque res*; de orat. II, 15, 64: *harum tot tantarumque rerum*; Plin. paneg. 60 med.: *his tot tantisque rationibus*; 21: *his tot tantisque meritis*; Cic. de orat. II, 16, 69: *tot tantarumque rerum.* Unum locum novi ei de quo agimus similem. Apud Ciceronem enim Tusc. V, 10, 29 legitur: *in his tot et tantis (atque etiam plura possunt accidere) potest esse sapiens*; sed consulto hoc loco Cicero substantivum *malis* omisit; nam sermo est de paupertate, ignobilitate aliisque, quae Stoici mala esse dicunt, Cicero negat. Quae cum ita sint, *minimum inter tot ac tanta praemia locum obtinent* scribendum esse suspicarer, si sat compertum haberem praeter unum illum Ciceronis locum apud nullum eorum scriptorum, qui cum eo in quo versamur comparandi sunt, exstare locum eius quem dicimus similem.

Ne ea quidem, quae c. 37 p. in. legimus: *nescio an venerint in manus vestras haec vetera, quae et in antiquariorum bybliothecis adhuc manent et cum maxime a Muciano contrahuntur ac iam undecim, ut opinor, Actorum libris et tribus Epistularum composita et edita sunt,* satis eleganter mihi esse dicta videntur. Nam hoc quoque loco poteris desiderare substantivum. Schurzfleischius quidem coniecit: *haec adversaria quae* e. q. s. Ipse malim: *haec vetera volumina quae* e. q. s.; pro certo tamen nihil affirmo.

Postremo cap. 39 p. m., ubi legitur: *cum tot pariter ac tam nobiles forum coartarent,* si quid inserendum est, *tot pariter ac tam nobiles auditores* potius quam *tot pariter ac tam nobiles homines,* id quod Orellius coniecit, scriptum fuisse crediderim.

3.

Cap. 10 p. m. Aper, qui hoc agit, ut Maternum a versibus pangendis absterreat, illum dicit ne ad id quidem confugere posse, *quod plerisque patrocinatur, tamquam minus obnoxium sit offensae poetarum quam oratorum studium.* Itaque quod poetarum studium offensae minus obnoxium est quam oratorum, hocine plerisque patrocinatur? Minime, sed plerisque poetis. Haec enim est sententia: 'plerique poetae, qui quidem non curant rei publicae statum, non habent cur potentiorum ultionem metuant; at tibi, qui meditatus videris elegisse personam notabilem et auctoritate sua rei publicae libertatem defensuram, multo magis metuendum est, ne potentiorum aures offendas, quam nobis oratoribus, quibus variae excusationes paratae sunt'. Quae cum sit sententia, non sine aliqua probabilitate conicere mihi videor: *quod plerisque poetis patrocinatur.* Et sententiae quidem me auxilio venisse confirmat Nastii haec versio: 'vornehmlich da du dich nicht einmal darauf berufen kannst, was sonst die meisten Dichter für sich anführen können'. Facillime autem *poetis* omitti potuit, cum et quod praecedit et quod sequitur vocabulum ab eadem *p* littera incipiat.

4.

Eodem cap. 10 Aper de Materni tragoedia haec dicit: *meditatus videris elegisse personam notabilem et cum auctoritate dicturam. sentio quid responderi possit: hinc ingentis [fieri] assensus, haec in ipsis auditoriis praecipue laudari et mox omnium sermonibus ferri. tolle igitur quietis et securitatis excusationem, cum tibi sumas adversarium superiorem.* In libris scriptum est: *hinc ingentis ex his assensus,* in quibus verba *ex his* e glossemate nata esse videntur. Quoniam autem verbum aliquod necessarium est, exempli causa posui illud *fieri.* Praeterea velim sic potius legi: *haec et in ipsis auditoriis praecipue laudari et mox omnium sermonibus ferri.* Duplex enim *et* particula mihi videtur *ipsis* pronomine commendari, ne dicam postulari, quippe quod illa duo sententiae membra artissime coniuncta et inter se opposita esse demonstret. Similiter c. 21 p. in., ubi legitur: *ac praecipue secunda ex eis oratio, est enim verbis ornata et sententiis, auribus iudicum accommodata* e. q. s., vellem scriptum esse in libris: *est enim et verbis ornata et sen-*

tentiis, quod ut in textum recipiamus, nescio an verborum collocatio suadeat. Sic Cicero de orat. III, 52, 200: *tum denique hic nobis orator ita conformandus est et verbis et sententiis*; Brut. 79, 275: *erant autem et verborum et sententiarum illa lumina, quae vocant Graeci* σχήματα.

Iam ad id quod nobis proposuimus accedamus. Ergo Aper eis, quae incipiunt a verbis: *sentio quid responderi possit,* ponit argumentum, quod contra orationem suam possit proferri. At nullo verbo Aper hoc argumentum refellit, sed quasi non prolatum sit, silentio praetermittit. Pergit enim *igitur* particula usus sic: *tolle igitur* e. q. s., tamquam haec exhortatio ex eis potius quae responderi posse sentit, quam ex tota disputatione sua prodeat. Itaque hiare post verba *sermonibus ferri* sententiam perspexit F. A. Wolfius. Cuius sententiam cum aliis probavit Doederlinus; eo magis mirandum est quod novissimorum editorum ne unus quidem eius rationem habuit. Ac, ne quem praetermittam, ita hunc locum in nostrum sermonem Nastius transfert: 'gerade das sei es, was man in den Hörsälen vornehmlich bewundere und von Mund zu Mund weiter trage. Ich gebe es zu (haec confitetur a se inseri ad illustrandum sententiarum conexum). Nur entschuldige dich nicht' e. q. s. Inter eos, qui illum sententiae hiatum emendatione tollere instituerunt, primus Bernhardyus commemorandus est, qui totum enuntiatum *sentio — ferri* eici iubet. In eandem sententiam ipse primo incidi. Nec profecto negabis nihil nos desideraturos, si desit illud enuntiatum, praesertim cum verba *sumas adversarium* verbis *meditatus videris elegisse* optime videantur sociari. At non omnia quibus carere possumus, pro spuriis habenda. Forma enim et color huius sententiae tam elegans est tamque prope ad consuetudinem huius scriptoris accedit, ut de interpolatione cogitare vix liceat. Conferas c. 32 in.: *nec quisquam respondeat sufficere, ut ad tempus simplex quiddam et uniforme doceamur. primum enim* e. q. s. Mihi ille sententiae hiatus ita tollendus esse videtur, ut pauca intercidisse statuamus, quibus illud argumentum refutetur. Refutari autem vix alia sententia potuit nisi hac, ut quae omnium sermonibus ferrentur, ipsa eo facilius ad aures principis permanare dicerentur. Quare haec vel similia excidisse suspicor: *sed eo facilius ad aures principis permanabunt.* Nunc demum illud *igitur* habet quo referatur. Nec ipsa verba, sed tantummodo sententiam aptam restituisse nobis videmur: quam ob

causam non est cur obloquar F. A. Wolfio, qui de eo genere plura in hoc libello esse dicit vix sine locupletioris codicis ope sanabilia.

5.

Messalla cubiculum intrans c a p. 14 p. in. cum parum tempestivum se intervenisse suspicetur, Secundus respondendi partes suscipiens *minime, minime,* inquit, *atque adeo vellem maturius intervenisses; delectasset enim te et Apri nostri accuratissimus sermo, cum Maternum, ut omne ingenium ac studium suum ad causas agendas converteret, exhortatus est, et Materni pro carminibus suis laeta utque poetas defendi decebat, audentior et poetarum quam oratorum similior oratio.* Cum his artissime cohaerent quae Messalla respondet: *me vero et sermo ipse infinita voluptate affecisset atque id ipsum delectat, quod* e. q. s. In his non solus offendi. Primum enim nescimus, quo *et* particulam referamus; neque enim particulas *et* — *atque* inter se opponi unquam didici. Quam ob rem *et* delevit Halmius. Deinde ne *ipse* quidem placet. Eodem enim pronomine in utroque membro posito opponuntur inter se *sermo ipse* et *id ipsum quod* — *assumitis.* Quae causa fuit, cur Halmius *iste* scribi iuberet, suo, ut mihi videtur, iure. Sed ne sic quidem hunc locum omni offensione vacuum esse puto. Quem enim dicit Messalla *sermonem istum?* Eum nimirum, de quo ei Secundus narravit. At hic non disputationem ab Apro et Materno habitam commemoravit, sed variis nominibus ea quae uterque dixit appellans A p r i s e r m o n e m, M a t e r n i o r a t i o n e m praedicavit. Quod utrum variandorum vocabulorum causa an consilio fecisse putandus sit, mox videbimus. Itaque cum Messalla dicat: *me vero sermo iste infinita voluptate affecisset,* facere vix poteris quin eum Apri illum accuratissimum sermonem a Secundo laudatum significare concedas. Nam quoniam verba *sermo iste* ad ea quae Secundus dixit referenda sunt, Messalla credi non potest utriusque orationem comprehendere. Nec tamen dicere vult Materni orationem se non infinita voluptate fuisse affecturam. Quae cum ita sint, sic scribendum esse conicio: *me vero, inquit, et sermo iste et oratio infinita voluptate affecisset:* 'in der That, sagte Messalla, mir hätte sowohl jener Vortrag als jene Rede unendliches Vergnügen bereitet', i. e. et sermo iste accuratissimus Apri et Materni ista laeta et poetarum quam oratorum similior oratio. Quid enim intersit inter sermonem et orationem, apparet ex eis quae

Cicero dicit Orat. 19, 64: *mollis est enim oratio philosophorum et umbratilis, nec sententiis nec verbis instructa popularibus, nec vincta numeris, sed soluta liberius. nihil iratum habet, nihil invidum, nihit atrox, nihil mirabile, nihil astutum; casta, verecunda, virgo incorrupta quodam modo. itaque sermo potius quam oratio dicitur. quamquam enim omnis locutio oratio est, tamen unius oratoris locutio hoc proprio signata nomine est.* Adde quae leguntur apud Cornificium III, 13, 23: *sermo est oratio remissa et finitima quotidianae locutioni.* Haec testimonia optime quadrant in indolem orationum Apri et Materni. Apri enim oratio quamquam a quotidianae locutionis consuetudine multum distat, aptissime tamen a Secundo sermo appellatur, quippe qua de utilitate ac dignitate oratoriae eloquentiae dicatur. Haec dici nequit quanto sint humiliora eis quae Maternus de iucunditate poetici studii praedicat; nec quemquam fugit et verbis et sententiis Apri orationem esse demissiorem ieiuniorem humiliorem, Materni sublimiorem altiorem magnificentiorem. Exempli gratia compares quae Aper cap. 9 de poetarum recitationibus dicit cum eis quae Maternus cap. 12 de aureo saeculo profert vel cum extrema parte orationis Materni. Praeclare cap. 11 Aper acrius et intento ore, Maternus cap. 14 concitatus et velut instinctus orationem finiisse dicitur. Iam satis causas aperuisse nobis videmur, cur Secundus Aprum sermonem, Maternum orationem habuisse dicat. Nec mirandum est, quod Secundus tanta diligentia utriusque orationis indolem discernit; nam quamquam se eius litis, quae Aprum et Maternum quotidie exercebat, arbitrum extiturum negavit, tamen quoniam id semper agit, ut suum cuique tribuat, aptissime mihi videtur eo de quo agimus loco hoc, quantulumcunque est, iudicium facere. Hanc autem in discernendis utriusque orationibus diligentiam Messalla eisdem vocabulis repetitis leniter carpit atque perstringit, ut lepidam sententiam ea quam proposui scriptura effecisse mihi videar. Praeterea, ut omnem ratiocinationem paucis complectar, tres illas vulgatae scripturae offensiones sustulimus, quas moverunt *et* particula praesidio et explicatione carens, *ipse* pronomen perperam eidem pronomini oppositum, *sermo* vocabulum ita repetitum, ut aliam induat significationem.

6.

Eadem illa, quae Messalla cap. 14 extr. dicit, his absolvit: *itaque hercle non minus probari video in te, Secunde, quod Iulii Africani* (ita enim emendavit Nipperdeius Mus. Rhen. vol. XIX p. 278, cum in libris sit *Asiatici*) *vitam componendo spem hominibus fecisti plurium eiusmodi librorum, quam in Apro, quod nondum a scholasticis controversiis recessit et otium suum mavult novorum rhetorum more quam veterum oratorum consumere.* Quid igitur sentit Messalla de Secundi et Apri studiis? Nulla dubitatio est, quin Secundi studia liberalia et ipse sincero animo laudet et ab aliis probari laetus affirmet. Itaque de Secundo plana et concinna est Messallae sententia; sed quid iudicabis, si quae de Apro dicit non legeris modo, sed accurate ponderaveris? Mihi haec duae sententiae partes inter se conciliari non posse videntur. Iam audio editores et interpretes uno ore mihi respondentes: 'optime istud quidem et facillime; ea enim quae Messalla de Apro dicit, per εἰρωνείαν proferuntur, id quod confirmatur insuper eis quae mox Aper dicit: *nostrorum autem temporum studia irridere atque contemnere.*' Esto: biceps nascitur sententia. Veteres enim oratores id agebant, ut quam plurimarum rerum omniumque artium scientiam complecterentur et studiis liberalibus, quibus oratori opus esse existimabant, animos implerent. Itaque Aper, qui scholasticis controversiis operam dare pergat, veterum studia contemnere, Secundus autem, qui clarorum virorum res gestas componere instituat, antiquos oratores imitari dicitur, quibus de causis alter serio, alter per irrisionem laudari vulgo creditur. Idque tibi persuadebis concinnitate sermonis non vetari? Ipse autem videas, quid iudices de Orellii et Doederlini explicationibus, tam contortis illis quidem et tenebrosis, ut refutari vix possint. Equidem salva ratione fieri posse nego, ut is qui ceterarum artium scientiam oratori quam maximo studio expetendam esse censeat, ob eam causam alterum sincero animo laudet, quod idem existimet, alterum per irrisionem laudet, quod contrarium existimet. Nam quidquid Orellius obloquitur, tam contraria inter se sunt Apri et Secundi studia, quam novorum rhetorum et veterum oratorum. Quae si reputaveris mihique concesseris et Messallam virum sobrium et veritatis quam simplicissime studiosum per naturam suam a quolibet artificio disputandi longe abesse, et quod Aper dicat: *nostrorum autem tem-*

porum studia irridere atque contemnere, licere referre ad verba scholasticis et mavult, in quibus haud levis contemptus et irrisionis significatio inest: locum corruptum esse non negabis, nisi forte etiamnunc editoribus assentiare, quos saepissime in hoc Dialogo vel maxime incredibilia admisisse non uno exemplo et docuisse et docturus esse mihi videor. Simplicissimo autem et lenissimo remedio proposito sic scribendum esse conicio: *itaque hercle non minus probari video in te, Secunde, quod Iulii Africani vitam componendo spem hominibus fecisti plurium eiusmodi librorum, quam in Apro* i m p r o b a r i, *quod nondum a scholasticis controversiis recessit et otium suum mavult novorum rhetorum more quam veterum oratorum consumere*, ita ut vox *improbari* opposita sit *probari* voci aeque certa ac simplici ratione, atque verba *in Apro* opposita sunt verbis *in te, Secunde.* Olim autem hoc loco id quod coniectura supplevi vocabulum scriptum fuisse, quodnam praeclarius et luculentius documentum est quam collocatio verborum quae praecedunt? Nam si editores verum vidissent, debebat scriptor hac verborum collocatione uti: *non minus in te, Secunde, probari video,* ut sola Apri et Secundi nomina inter se opponerentur; nunc autem cum scripserit: *non minus probari video in te, Secunde,* certum est eum illis verbis opposuisse haec: *quam in Apro improbari.* Apparet autem, quam facile fieri potuerit, ut litterarum similitudine inductus librarius postquam scripsit INAPRO, IMPROBARI omitteret. Sic emendato loco et spreta editorum artificiosa explicatione, salva orationis simplicitate enuntiati partes egregie inter se conciliavimus singulorumque verborum iustam effecimus oppositionem.

7.

Cap. 22 de Cicerone haec dicit Aper: *nec ulla re magis oratores aetatis eiusdem praecurrit quam iudicio.* In Farnesiano mutata verborum collocatione scriptum est *eiusdem aetatis oratores.* Itaque, ut nunc omittam hanc librorum discrepantiam, Cicero dicitur eiusdem aetatis oratores iudicio superasse. At nonne Cicero ipse eius de qua sermo est aetatis orator fuit? qua igitur ratione eiusdem aetatis oratoribus opponitur? Expectamus sine dubio, ut Cicero cum c e t e r i s eiusdem aetatis oratoribus comparetur. Qua de causa mihi persuasi hunc locum ita emendandum esse: *nec ulla re magis* c e t e r o s *eiusdem aetatis oratores praecurrit quam iudicio.* Genuinae verborum collocationis

vestigium servavit Farnesianus. Nam et *ceteros* illud non solum vi sententiae, sed etiam usu huius scriptoris requiri, eamque verborum collocationem qua Farnesianus utitur unam esse veram, ex his locis luculentissime apparet: c. 25: *sic apud nos Cicero quidem ceteros eorundem temporum disertos antecedit*; c. 37: *Lentulos et Metellos et ceteram procerum manum*; c. 21: *ceterosque eiusdem lentitudinis ac teporis libros*; c. 10: *ceteris aliarum artium studiis,* quo accedunt hi loci: c. 28: *omnis eiusdem familiae suboles*; c. 35: *et livore et ceteris humanae infirmitatis vitiis*; c. 34: *omnes eiusdem aetatis patronos*; c. 26: *plerique temporum nostrorum actores*; c. 2: *nullis alienarum artium adminiculis*; c. 30: *omnem omnium artium varietatem*; c. 32: *ipsa multarum artium scientia.*

Similem lacunam cap. 35 extr. indagasse mihi videor. Hoc loco Messalla de incredibili compositione suasoriarum et controversiarum locutus, quibus rhetorum discipuli exerceantur, *sequitur autem* inquit *ut materiae abhorrenti a veritate declamatio quoque adhibeatur.* De his verbis pauca praedicenda sunt, priusquam ad ea quae secuntur pergamus. Non enim integrum esse hunc locum iam diu intellectum est. Nam nullo pacto *declamatio* carere potest epitheto, quod propter *quoque* particulam simile sit oportet epitheti materiae, quae quidem appellatur *abhorrens a veritate.* Neque enim in ipsa voce declamationis quidquam contemptus aut reprehensionis inest. Itaque Pithoeus post *quoque* inseruit *similis,* Acidalius *par* vel *talis,* Spengelius *eadem.* Haec omnia probari non posse abundans particula *quoque* demonstrat, cui in qualibet illarum coniecturarum nullus locus est. Ob eandem causam reiciendae sunt Schurzfleischii et Ritteri coniecturae, quorum alter *aequa*, alter *aeque abhorrens* inseri iussit. Quod et ipsa ratione evincitur et similitudine huius loci qui legitur c. 37 med.: *nec quisquam claram et illustrem orationem efficere potest, nisi qui causam parem invenit*: quo loco si alicubi scriptum esset *nisi qui causam quoque parem invenit,* quis probaret? Parum probabiliter Bezzenbergerus progr. Dresd. a. 1844: *materiae abhorrenti a veritate abhorrens a veritate declamatio quoque adhibeatur*; displicet enim haec vocabulorum penuria, qua eisdem verbis bis uteretur scriptor. Itaque una Orellii et Halmii scriptura reliqua est: *declamatio quoque vana adhibeatur.* Haec potuisse scribi ab auctore huius libelli non negaverim; ipse tamen cum id agerem, ut et vocabulum paullo fortius et gravius

porum studia irridere atque contemnere, licere referre ad verba *scholasticis* et *mavult,* in quibus haud levis contemptus et irrisionis significatio inest: locum corruptum esse non negabis, nisi forte etiamnunc editoribus assentiare, quos saepissime in hoc Dialogo vel maxime incredibilia admisisse non uno exemplo et docuisse et docturus esse mihi videor. Simplicissimo autem et lenissimo remedio proposito sic scribendum esse conicio: *itaque hercle non minus probari video in te, Secunde, quod Iulii Africani vitam componendo spem hominibus fecisti plurium eiusmodi librorum, quam in Apro improbari, quod nondum a scholasticis controversiis recessit et otium suum mavult novorum rhetorum more quam veterum oratorum consumere,* ita ut vox *improbari* opposita sit *probari* voci aeque certa ac simplici ratione, atque verba *in Apro* opposita sunt verbis *in te, Secunde.* Olim autem hoc loco id quod coniectura supplevi vocabulum scriptum fuisse, quodnam praeclarius et luculentius documentum est quam collocatio verborum quae praecedunt? Nam si editores verum vidissent, debebat scriptor hac verborum collocatione uti: *non minus in te, Secunde, probari video,* ut sola Apri et Secundi nomina inter se opponerentur; nunc autem cum scripserit: *non minus probari video in te, Secunde,* certum est eum illis verbis opposuisse haec: *quam in Apro improbari.* Apparet autem, quam facile fieri potuerit, ut litterarum similitudine inductus librarius postquam scripsit INAPRO, IMPROBARI omitteret. Sic emendato loco et spreta editorum artificiosa explicatione, salva orationis simplicitate enuntiati partes egregie inter se conciliavimus singulorumque verborum iustam effecimus oppositionem.

7.

Cap. 22 de Cicerone haec dicit Aper: *nec ulla re magis oratores aetatis eiusdem praecurrit quam iudicio.* In Farnesiano mutata verborum collocatione scriptum est *eiusdem aetatis oratores.* Itaque, ut nunc omittam hanc librorum discrepantiam, Cicero dicitur eiusdem aetatis oratores iudicio superasse. At nonne Cicero ipse eius de qua sermo est aetatis orator fuit? qua igitur ratione eiusdem aetatis oratoribus opponitur? Expectamus sine dubio, ut Cicero cum ceteris eiusdem aetatis oratoribus comparetur. Qua de causa mihi persuasi hunc locum ita emendandum esse: *nec ulla re magis ceteros eiusdem aetatis oratores praecurrit quam iudicio.* Genuinae verborum collocationis

vestigium servavit Farnesianus. Nam et *ceteros* illud non solum vi sententiae, sed etiam usu huius scriptoris requiri, eamque verborum collocationem qua Farnesianus utitur unam esse veram, ex his locis luculentissime apparet: c. 25: *sic apud nos Cicero quidem ceteros eorundem temporum disertos antecedit*; c. 37: *Lentulos et Metellos et ceteram procerum manum*; c. 21: *ceterosque eiusdem lentitudinis ac teporis libros*; c. 10: *ceteris aliarum artium studiis,* quo accedunt hi loci: c. 28: *omnis eiusdem familiae suboles*; c. 35: *et livore et ceteris humanae infirmitatis vitiis*; c. 34: *omnes eiusdem aetatis patronos*; c. 26: *plerique temporum nostrorum actores*; c. 2: *nullis alienarum artium adminiculis*; c. 30: *omnem omnium artium varietatem*; c. 32: *ipsa multarum artium scientia.*

Similem lacunam cap. 35 extr. indagasse mihi videor. Hoc loco Messalla de incredibili compositione suasoriarum et controversiarum locutus, quibus rhetorum discipuli exerceantur, *sequitur autem* inquit *ut materiae abhorrenti a veritate declamatio quoque adhibeatur.* De his verbis pauca praedicenda sunt, priusquam ad ea quae secuntur pergamus. Non enim integrum esse hunc locum iam diu intellectum est. Nam nullo pacto *declamatio* carere potest epitheto, quod propter *quoque* particulam simile sit oportet epitheti materiae, quae quidem appellatur *abhorrens a veritate.* Neque enim in ipsa voce declamationis quidquam contemptus aut reprehensionis inest. Itaque Pithoeus post *quoque* inseruit *similis,* Acidalius *par* vel *talis,* Spengelius *eadem.* Haec omnia probari non posse abundans particula *quoque* demonstrat, cui in qualibet illarum coniecturarum nullus locus est. Ob eandem causam reiciendae sunt Schurzfleischii et Ritteri coniecturae, quorum alter *aequa*, alter *aeque abhorrens* inseri iussit. Quod et ipsa ratione evincitur et similitudine huius loci qui legitur c. 37 med.: *nec quisquam claram et illustrem orationem efficere potest, nisi qui causam parem invenit*: quo loco si alicubi scriptum esset *nisi qui causam quoque parem invenit,* quis probaret? Parum probabiliter Bezzenbergerus progr. Dresd. a. 1844: *materiae abhorrenti a veritate abhorrens a veritate declamatio quoque adhibeatur*; displicet enim haec vocabulorum penuria, qua eisdem verbis bis uteretur scriptor. Itaque una Orellii et Halmii scriptura reliqua est: *declamatio quoque vana adhibeatur.* Haec potuisse scribi ab auctore huius libelli non negaverim; ipse tamen cum id agerem, ut et vocabulum paullo fortius et gravius

restituerem et externam aliquam probabilitatem assequerer, in hanc coniecturam incidi: *declamatio quoque adulterina adhibeatur.*

Iam vero haec secuntur: *sic fit ut tyrannicidarum praemia aut vitiatarum electiones aut pestilentiae remedia aut incesta matrum aut quidquid in schola quotidie agitur, in foro vel raro vel nunquam, ingentibus verbis persequantur.* Novissimi editoris scripturam: *declamatio quoque adhibeatur similis. velut tyrannicidarum — persequuntur* probari non posse ex eis patet quae supra dixi, nec verba *sic fit ut* quidquam habent quod displiceat. Ego autem verba *aut quidquid in schola quotidie agitur* integra esse codicibus et editoribus non credo. Quae etsi non prorsus a sana ratione cogitandi abhorrent, hac scilicet sententia: 'und alles, was überhaupt in der Schule täglich getrieben wird', tamen ad severam rationem multo accommodatior est haec sententia: 'und alles, was sonst noch täglich getrieben wird' (sic fere Rothius de lacuna nihil suspicatus), eaque sententia his verbis exprimitur: *et quidquid aliud in schola quotidie agitur,* id quod praeter librorum auctoritatem restituendum esse contendo. Sed quaerat quispiam, qua ratione probabilitatem coniecturae meae paraturus sim, qui ipse concesserim librorum scripturam aliquo modo posse defendi. Cui hos locos oppono, de quorum singulari similitudine ne verbo quidem dicere opus est: c. 19 p. in.: *iam vero longa principiorum praeparatio et narrationis alte repetita series et multarum divisionum ostentatio et mille argumentorum gradus et quidquid aliud aridissimis Hermagorae et Apollodori libris praecipitur, in honore erat.* c. 10 a. m.: *et elegorum lascivias et iamborum amaritudinem et epigrammatum lusus et quamcunque aliam speciem eloquentia habeat.* c. 5: *et Saleius Bassus et quisquis alius studium poeticae et carminum gloriam fovet.*

8.

Eodem cap. 22 Aper de Ciceronis prioribus orationibus locutus, quae vitiis antiquitatis non careant, non solum validam esse orationem, sed etiam expolitam et splendore nitentem se velle dicit, *quaedam vero,* inquit, *procul arceantur ut iam oblitterata et olentia.* Hoc extremum vocabulum hoc loco positum est praeter consuetudinem sermonis latini. Requiritur enim synonymon vocabuli *oblitterata*: nullum autem reperies locum, ubi verbo olendi eiusmodi tribuatur significatio. Schaubachius, qui in programmate Meiningensi a. 1857 de insolentia quorundam

vocabulorum scripsit quae in Taciti dialogi de oratoribus legantur, recte dicit plerumque accusativum cum verbo olendi coniunctum exstare. Sic Cicero de orat. III, 12, 44: *sonare aut olere peregrinum*; pro Rosc. com. 7: *olere malitiam*; Brut. 21, 82: *redolentes magis antiquitatem*. Eo autem de quo agimus loco *olentia* positum esse pro *male olentia*. At eiusmodi explicationes iam diu explosae sunt, quibus alterum pro altero positum esse affirmant. Eadem sine dubio causa fuit, cur Acidalius *olentia* illud depravatum esse contenderet et *ut iam oblitterata et exoleta* scribi iuberet. Mihi nullum praesto est argumentum, quo ingeniosam Acidalii mutationem spernendam esse demonstrem, nisi quod etiam alia emendandi via patet. Neque enim temere hanc scripturam commendare mihi videor: *ut iam oblitterata et antiquitatem olentia*, collato illo quem supra ex Bruto attuli loco et huius libri c. 21 med.: *inconditi sensus redolent antiquitatem*.

Etiam alius locus Acidalii coniectura tam egregie emendatus est ut, quin ipsius scriptoris manum restituerit, non dubitem. Nihilo minus pauci tantum editorum hanc coniecturam memoria dignam habuerunt. Legitur enim cap. 31 p. in.: *nam in iudiciis fere de aequitate, in deliberationibus de honestate disserimus, ita ut plerumque haec invicem misceantur*. Priorem huius sententiae partem sine dubio recte ita supplevit Ursinus: *nam in iudiciis fere de aequitate, in deliberationibus de utilitate, in laudationibus de honestate disserimus*. Quae autem secuntur, addunt exceptionem quandam et eum ordinem, qui antea constitutus sit, non raro turbari significant. Haec causa est, cur adversativa particula desideretur felicissimeque Acidalius scribendum proposuisse mihi videatur aut *set ita ut* aut *ita tamen ut*. Hoc tantum quaeritur, utra illarum emendationum praestet: nam tertia aliqua nec mihi praesto est nec alii in mentem venturam puto. Atque ego non dubito, quin *ita tamen ut* potius scribendum sit quam *set ita ut*. Illius enim locutionis duo in hoc Dialogo exempla inveniuntur, huius nulla. c. 16 legimus: *vos autem Demosthenem et Hyperidem profertis, quos satis constat Philippi et Alexandri temporibus floruisse, ita tamen ut utrique superstites essent*; c. 38 p. in.: *imposuitque veluti frenos eloquentiae, ita tamen ut omnia in foro, omnia legibus, omnia apud praetores gererentur*. Acidalii autem emendatam scripturam nescius, ut videtur, Nastius sic interpretatus est: 'jedoch so, dass beides gemeiniglich in einander

fliesst'; et Teuffelius: 'so jedoch, dass diese Arten gar häufig in einander fliessen'.

9.

Cap. 25 Messalla Aprum castigans, qui continua oratione antiquos oratores omnes nominatim detrectavit, recentiores autem in universum laudavit, singulas illius orationis partes ex ordine persequitur omniaque quae Aper contenderit aut artificiose 'aut perverse dicta esse demonstrare instituit. Ac primum quidem ea quae Aper de aetate et nomine antiquorum cap. 16 et 17 protulerat, nihili esse aestimanda nec quidquam ad rem ipsam diudicandam pertinere docet; deinde eundem argumentorum ordinem, quo Aper usus est, retinens haec addit: *ne illi quidem parti sermonis eius repugno, si cominus fatetur plures formas dicendi etiam eisdem saeculis, nedum diversis extitisse.* Ita in codicibus haec scripta sunt, nisi quod Perizonianus a prima manu praebet *quo minus.* Atque corruptelam in his verbis latere diu perspectum est. Priusquam autem aut aliorum emendationes recenseamus aut nostram proponamus, quaerendum erit, quae sententia hoc loco vel apta sit vel requiratur, id quod ita instituemus, ut ex Apri oratione eam tantum partem adhibeamus, cui eo de quo agimus loco Messalla respondet. Nec potest dubium esse, quin Messalla respiciat ad ea quae Aper cap. 18 dicit: *agere enim fortius iam et audentius volo, si illud ante praedixero, mutari cum temporibus formas quoque et genera dicendi. — Hoc interim probasse contentus sum, non esse unum eloquentiae vultum, sed in illis quoque, quos vocatis antiquos, plures species deprehendi.* Ex his apparet eo de quo agimus loco Messallam facillime concedere plures formas dicendi non solum diversis saeculis, sed etiam eisdem exstitisse. Quaeritur autem, quid vocabula *si cominus* sibi velint et quo modo emendanda sint; nam cetera in illam sententiam optime quadrant. Acidalius coniecit: *— repugno, quin omnes fatemur,* probante Ernestio, quae tamen coniectura a probabilitate abhorret, quoniam *illi* pronomini nihil adiungitur quo referatur. Ob eandem causam spernendae sunt coniecturae Halmii *quominus fatear,* probata illa quidem Michaeli, et Huetii *quominus fateamur.* Spengelii coniectura quid sibi velit, ne intelleges quidem; proposuit enim haec: *— repugno, si, quominus fateretur, probavit plures* e. q. s., i. e. 'si, ne perversam se opinionem defendisse sibi concedendum esset, probavit' e. q. s. Nec in Heumanni emendatione, qui coniecit: *quatenus fatetur,*

haec particula apte adiungitur *illi* pronomini. Schultingius denique, cuius haec est scriptura: *ubi cominus fatetur,* cui persuadebit *cominus* interdum idem valere atque *statim?* nedum in hac sententia et ineptissime comparato Germ. cap. 8: *monstrata cominus captivitate.* Omnes autem quos adhuc nominavi viri docti videntur mihi in *illi* pronomine cum eis quae secuntur coniungendo naufragium fecisse, cuius exemplum vel ex versione Rothii peti potest, quae haec est: 'auch in einem andern Punkte bekämpfe ich ihn nicht, wenn er nämlich geradeaus zugesteht' e. q. s. Weissenbornius deinde, qui ann. philol. et paed. vol. XXXIII p. 47 (praeter probabilitatem hoc quidem) scribendum proponit: *si non minus fatetur,* nihilo minus bene se intellegere testatur requiri aliquid, quod verborum *illi parti* notionem accuratius determinet, nisi quis pro *illi* scribi *alteri* vel simile quid iubeat. Itaque iam de eis emendationibus dicendum erit, quibus inopi illi pronomini certum aliquod paretur fundamentum. Quod quidem non videtur posse parari, nisi ita ut post *repugno* legatur pronomen relativum *qua,* quo adeo opus esse puto ut, quacunque emendatione illud non restituatur, eam veram non esse existimem. Ac Boetticherus quidem coniecit: *qua in commune fatetur.* At quid sibi velit illud *in commune* aut ad quem Aprinae orationis locum referatur, vix assequare. Haasius, qui omnium mihi videtur proxime ad id quod verum sit accessisse, scripsit *qua non sine convitiis fatetur,* recordatus puto quae Aper c. 18 dixit: *vitio autem malignitatis humanae vetera semper in laude, praesentia in fastidio esse.* Vix tamen Messalla credi potest dicere haec non sine convitiis ab Apro esse prolata, tamquam ille de vitio non omnium hominum communi, sed eorum quibuscum disputat proprio locutus sit. Ego *cominus* sanum habeo et Messallam hoc loco Apri illa verba carpere puto: *agere enim fortius iam et audentius volo,* quae quidem ita comparata sunt, ut adversarii irrisionem moveant. Atque in eandem sententiam etiam Nissenus incidit, qui in diurn. antiqu. a. 1842 mensis Mai ad sententiam felicissime, ceteroqui praeter probabilitatem scribendum proposuit: *si comminans* (sive *cum minis*) *fatetur,* comparatis Apri eisdem illis verbis. Mihi autem videntur post *cominus* duo vocabula intercidisse, quibus suppletis restituitur illa quam restituendam dixi sententia. Velut haec potuerunt dici a scriptore huius libelli: *qua quasi cominus proelium commissurus fatetur* e. q. s. Fieri enim potuit, ut librarius similitudine litterarum

deceptus exarato *cominus* vocabulo omitteret verba *proelium commissurus.* Aptissima autem lepidissimaque irrisione is proelium cominus commissurus dicitur, qui iam fortius se atque audacius agere velle pronuntiavit. Eadem autem imagine idem scriptor usus est c. 26 p. m.: *quorum neminem Aper nominare et velut in aciem educere sustinuit.* Egregie etiam Ciceronianus locus huc adhibetur qui est de div. II, 10: *sed haec fuerit nobis tamquam levis armaturae prima orationis excursio, nunc cominus agamus*: collata epist. ad Att. II, 2: *qui me epistula petivit, ad te ut video cominus accessit.* Fatendi autem verbum exquisitius positum est nec sine gravissima irrisione. Legitur c. 17 p. m.: *nam ipse ego in Britannia vidi senem, qui se fateretur ei pugnae interfuisse, qua* é. q. s. Hoc loco *fateretur* illud idem valere atque *narraret* demonstrant quae statim secuntur: *proximo quidem congiario ipsi vidistis plerosque senes, qui se a divo quoque Augusto semel atque iterum accepisse congiarium narrabant.* Adde Iuven. 10, 172: *mors sola fatetur, Quantula sint hominum corpuscula.* Eadem significatione a grammaticis indicativus vocatur *fatendi* modus. Ita eo de quo agimus loco Messalla dicit Aprum ceteris qui adsunt tamquam nesciis et ignaris rem notissimam et apertissimam narrasse, quasi recondita prolata scientia adversarios omnes uno ictu profligaturus.

10.

Cap. 25 med. Messalla de vario antiquorum oratorum dicendi genere locutus haec addit: *omnes tamen eandem sanitatem eloquentiae ferunt.* Quam hoc loco in verbo ferendi inesse dicunt significationem, ea exemplis caret. Comparant quae apud Tacitum Hist. II, 65 leguntur: *laetitiam et gratulationem voltu ferens*; at hoc loco id ipsum, quod eo de quo agimus loco desideramus, vocabulo *voltu* significatur. Idem perspexit Acidalius, cui ne in hac quidem causa quisquam obtemperavit. Proposuit autem: *candem sanitatem eloquentiae praeferunt,* non inepte id quidem. Sed quoniam in libris omnibus *serunt* potius quam *ferunt* scriptum est (quo ipso testimonio vulgata scriptura in dubitationem vocatur), nescio an verius restituatur *prae se ferunt,* id quod ad Ciceronianum dicendi genus etiam propius accedit.

11.

Eodem cap. 25, ubi de mutua invidia et malignitate verba facit, qua veterum oratorum plerique non quidem eloquentiae suae, sed morum virtutisque famam imminuerint, Messalla *nam et Calvum* inquit *et Asinium et ipsum Ciceronem credo solitos et livore et ceteris humanae infirmitatis vitiis affici* (sic enim scribendum puto, probata Ritteri elegantissima emendatione, qua *livere* mutavit in *livore*, eiectisque verbis *et invidere*, quae ex glossemate nata sunt). Dein sic pergit: *solum inter hos arbitror Brutum non malignitate nec invidia, sed simpliciter et ingenue iudicium animi sui detexisse.* In his verbis aliquid intercidit. Nam si certam rationem secutus eris, non poteris ea non ita construere, ut inter se opponantur verba: *non malignitate nec invidia* et *simpliciter et ingenue,* utque utrique sententiae communia sint verba: *iudicium animi sui detexisse.* Apparet autem neminem recte dici malignitate aut invidia iudicium animi sui detegere, quoniam qui alteri invidet, virtutes eius, quas intimo animo admiratur, se admirari numquam profitetur. Iam vero quoniam vix ullum scriptorem esse constat, in quo nihil inveniatur quod cum logicae rationis severvitate non prorsus conveniat, videamus sitne vulgari scripturae aliunde aliqua parata excusatio. Quae quidem ita tantum parari poterit, ut e verbis *iudicium animi sui detexisse*, quae cum altera tantum sententiae parte conveniunt, quasi mente hauriatur aliquod verbum quod cum priore parte conveniat. Res autem ipsa docet ad prioris partis sententiam consummandam requiri haec vel similia: *non malignitate nec invidia id quod senserit celasse*, quae vide quo iure e verbis *iudicium animi sui detexisse* recte menti informari dicas. Qua de causa intercidisse mihi videtur vocabulum, quod verborum *non malignitate nec invidia* sententiam absolvat. Ergo ut unum ex multis eis, quibus uti licuit scriptori, afferam, potest haec scripsisse: *solum inter hos arbitror Brutum non malignitate nec invidia fuisse commotum, sed simpliciter et ingenue iudicium animi sui detexisse.* Similiter Nastius: 'Brutus allein sagte seine Meinung, wie ich glaube, freimüthig und offen, ohne sich von Eifersucht und Neid blenden zu lassen'. Accurate quidem, sed ob id ipsum inepte Rothius: 'der nicht aus Uebelwollen und nicht aus Missgunst, sondern mit Redlichkeit und Offenheit seine Herzensmeinung kund gegeben hat'. Illa autem emendatione hoc

quoque effecimus, ut totae inter se opponantur sententiae, non, id quod fit in vulgata scriptura, singula vocabula, in quibus offensioni est, quod neglecta qua opus est oppositorum concinnitate duo ablativi duobus adverbiis opponuntur.

12.

Aper postquam artificiis potius quam argumentis eandem esse Ciceronis et suam ceterorumque quibuscum disputat aetatem demonstrare studuit, initio cap. 18 *haec* inquit *ideo praedixi ut, si qua ex horum oratorum fama gloriaque laus temporibus adquiritur, eam docerem in medio sitam et propiorem nobis quam Servio Galbae, Gaio Carboni quosque alios merito antiquos vocaverimus; sunt enim horridi et impoliti et rudes et informes* e. q. s. Ad haec Apri verba ea spectant, quae Messalla dicit in ea oratione, qua Aprum veteris eloquentiae contemptorem refellit, cap. 25 extr.: *quod ad Servium Galbam et Gaium Laelium attinet et si quos alios antiquorum agitare non destitit, non exigit defensorem, cum fatear quaedam eloquentiae eorum ut nascenti adhuc nec satis adultae defuisse.* Nunc autem non curo, num liceat ex Messallae verbis colligere scriptorem illo Apri orationis loco dedisse *quam Servio Galbae aut Gaio Laelio aut Gaio Carboni,* quod Rittero placuit. Mihi hoc potius nunc propositum est, ut in verbis Messallae: *et si quos alios antiquorum agitare non destitit*, duo menda latere ostendam. Ac primum quidem quem Messalla dicat non destitisse antiquos agitare, id nemini dubium esse potest, qui praecedentem huius Dialogi partem et Apri orationem legerit. Quam etiamsi quis non statim recordetur, tamen spectato consilio totius Messallae orationis mox intelleget Aprum dici implacabili odio antiquos agitasse. At aliud est aliquid colligendo et cogitando vel recordando intellegere, aliud inter legendum perspicere. Vel ut idem aliis verbis dicam, optimi et simplicissimi cuiusque scriptoris est, ut per se solam quaeque sententia intellegatur, nulla aliorum locorum ratione habita. Itaque mea quidem sententia laudandus esset hic scriptor, si dixisset *et si quos alios antiquorum Aper agitare non destitit.* Ac vero Nastius, cuius iudicium haud parvi facio, Apri nomine opus esse existimavit, cum sic interpretaretur: 'denen Aper so gar übel mitspielt'. Quin persuasissimum habeo invitis libris Apri nomen inserendum esse ac tibi me idem persuasurum spero, si hos locos comparaveris, quorum egregiam

similitudinem uno obtutu agnosces: c. 26 med.: *quem solum Aper noster nominare ausus est*, et paullo post: *quorum neminem Aper nominare et velut in aciem educere sustinuit*; cap. 24 med.: *nec quemquam nostrum, quamquam modo laudati sumus, eis quos insectatus est Aper, comparamus*; cap. 12 in.: *et secretum ipsum, quod Aper increpabat*; cap. 9 in.: *nam carmina et versus, quibus totam vitam Maternus insumere optat.* His omnibus locis eodem modo atque eo de quo agimus facillime perspiceremus quis intellegeretur, etiamsi nomen ipsum additum non esset, ut qui totum huius libelli et singularum orationum conexum noverimus. Nihilo minus scriptor nomina addenda esse existimavit; neque ullus locus similis invenitur, ubi nomen proprium omissum sit. Itaque non dubito hoc quoque loco scribere: *et si quos alios antiquorum Aper agitare non destitit.*

Sed hac lacuna suppleta ipsum hunc locum persanatum esse non puto. Nam qui sunt illi, qui vocantur antiqui, quos hoc loco Aper dicitur agitasse? Nimirum Servius Galba, Gaius Laelius tertiusque Gaius Carbo. Atque hos quidem illo capitis 25 loco recte antiquos vocari nego. Nam per totum librum antiqui oratores intelleguntur Cicero eiusque aequales. Sed antequam hoc demonstrem, mihi refellendum esse video quod nescio an forte mihi obicias. Messalla enim videri potest hoc loco Ser. Galbam et C. Laelium iusta ratione antiquos vocare, spectans ille quidem ad Apri verba: *quosque alios merito antiquos vocaverimus.* Sed quis tandem aut eorum, qui Messallae sermoni intersunt, aut nostrum intelleget his verbis Messallae ea carpi, quae Aper de antiquorum oratorum aetate protulerat? Quod ut perspiceretur, debebat saltem *antiquorum suorum* dici, vel *eorum quos recte antiquos vocari contendit,* vel simile quid. Sed ne sic quidem plane perspici potest, quos Messalla ex Apri sententia intellegat antiquos. Aper enim non unam, sed diversissimas oratorum aetates antiquas sibi videri professus est. Cap. 16 enim medio Ulixem et Nestorem sibi antiquos videri dicit, Demosthenem autem et Hyperidem nomine antiquorum indignos esse contendit. Rursus cap. 17 in. Menenium Agrippam posse videri antiquum concedit, deinde cap. 18 in. Ser. Galbam et C. Carbonem eiusque aequales merito antiquos vocari dicit. Postremo idem Aper Ciceronem et eius aequales antiquos nominat in. cap. 19, in. cap. 21, cap. 23 p. m. Praeterea per se a probabilitate abhorret credere Messallam cum dicat: *et si quos alios antiquorum agitare non destitit,* spectare

ad Apri de antiquorum nomine sententiam; ipse enim Messalla in ipso initio orationis suae cap. 25 sibi de vocabulo pugnam non esse professus est. Quomodo igitur existimare licet eum in media oratione id ipsum perstringere, de quo sibi pugnam non esse statim in initio pronuntiavit?

Iam vero si hoc recte disputavi, reliquum est ut Messalla ex sua ipsius de aetate antiquorum oratorum sententia Servium Galbam et C. Carbonem antiquos vocare putetur. Id autem fieri nullo modo potest. Neque enim solum a Messalla, sed per totum librum, si Apri nugas illas omiseris, antiqui vocantur Cicero et eius aequales, id quod antea dixi. Testes hi loci: cap. 1: *neque enim ita appellamus nisi antiquos*; cap. 24 in.: *quam copiose et varie vexavit antiquos*; extr.: *igitur exprome nobis non laudadationem antiquorum*; cap. 26 sub fin.: *nunc detrectasse nominatim antiquos oratores contentus*; cap. 32 p. m.: *cur in tantum ab eloquentia antiquorum oratorum recesserimus*; cap. 33 med.: *quibus artibus antiqui oratores institui erudirique soliti sint*; cap. 36 in.: *eadem ratio in nostra quoque civitate antiquorum eloquentiam provexit*; cap. 39 med.: *qualia quotidie antiquis oratoribus contingebant*: ut omittam eos locos, ubi Cicero eiusque aequales v e t e r e s oratores vocantur. Quare quoniam antiquos nostro quoque loco Ciceronem et eius aequales intellegendos esse certum est, nec Servium Galbam aut Gaium Laelium huic aetati attribuere licet per temporum rationem, nec Messalla acerrimus Ciceronis admirator ullo modo credi potest concedere Ciceronis ceterorumque eiusdem aetatis disertorum eloquentiae ut nascenti adhuc nec satis adultae quaedam defuisse: emendatione opus erit. Et vero lenissima mutatio tamquam invito se offert: scribendum est enim *antiquiorum* pro *antiquorum*. Nimirum aptissime antiqui qui sunt Cicero et eius aequales, ab antiquioribus qui sunt Ser. Galba et C. Laelius et C. Carbo, distinguuntur. Ergo totus locus emendatus hic erit: *quod ad Ser. Galbam et C. Laelium attinet, et si quos alios antiquiorum Aper agitare non destitit, non exigit defensorem* e. q. s.

Prorsus eisdem emendationibus huic loco opus esse putavit Peder Voss, qui quas alias in tomo VII annalium philol. et paed. Havn. coniecturas protulit, earum ne unam quidem mihi probavit.

13.

Cap. 34 med. Messalla etiam ex inimicorum iudicio oratori discendum esse docens haec dicit: *scitis enim magnam illam et duraturam eloquentiae famam non minus in diversis subselliis parari quam suis.* Scribendum est *quam in suis,* quod in nulla editione legere me memini. Nec tamen quidquam hac coniectura certius est. Nec minus cap. 28 med. scribendum est: *non in cella emptae nutricis, sed in gremio ac sinu matris educabatur,* cum in libris sit *sed gremio*: (cf. Cic. Brut. 58, 211: *apparet filios non tam in gremio educatos quam in sermone matris*; Tac. Agr. 4: *in huius* [matris] *sinu indulgentiaque*). Quae mutationes cum communi omnium scriptorum usu commendentur, tum eis confirmantur quae Weissenbornius ann. philol. et paed. XXXIII p. 47 congessit. Ex his enim intellegi potest, Dialogi scriptorem praepositione semel posita non contentum fuisse, nisi si duo vocabula simplici particula *et* coniungeret, excepto uno loco qui legitur cap. 10 p. m.: *in forum et ad causas et ad vera proelia voco,* ubi praepositionis iteratio optime quadrat ad commotum Apri animum. Deinde quattuor locis simplicibus *vel* et *aut* particulis semel praepositionem apposuit: cap. 9 med.: *intra unum aut alterum diem*; cap. 10 in.: *ex Hispania vel Asia*; cap. 20 in.: *pro Marco Tullio aut Aulo Caecina*; cap. 40 in.: *ne a Publio quidem Scipione aut Sulla aut Gnaeo Pompeio.* Reliquis locis omnibus bis posita est praepositio, id quod eis de quibus diximus locis quam maxime necessarium fuit, quippe quibus oppositio contineatur.

14.

Cap. 28 Messalla maiorum in educandis formandisque liberis severitate ac disciplina paucis descripta, cap. 29 ad eam educandorum liberorum rationem pergit quae sua aetate obtineat. Atque nunc infantes vilibus servis committi dicit: *horum* inquit *fabulis et moribus teneri statim et rudes animi imbuuntur.* Ita sine dubio hic locus emendandus est, cum in libris sit *fabulis et erroribus et virides teneri* e. q. s., ita tamen, ut verba *et virides* ab altera manu Perizoniani deleta sint. *erroribus* ferri non potest, quamquam a paucis tantum de integritate huius scripturae dubitatum est. Plerique enim errores hoc loco idem esse dicunt atque vitia, comparato Hor. A. P. v. 308: *quid deceat, quid non; quo virtus, quo ferat error.* At fabulae et errores

iuxta poni nullo modo possunt. Nam quamquam fabulae, quae hoc loco dicuntur, quin nullius pretii sint et ita comparatae ut infantium animos corrumpant, nemo dubitat, tamen quod vituperationis cum hoc vocabulo coniunctum est, id nos ex totius sententiae natura interpretando asciscimus, cum in ipsa voce per se spectata nihil insit reprehensionis. Nec vox quam dicunt mediam, i. e. in qua ipsa nihil inest aut laudis aut vituperationis, cum altera, in cuius notione inhaeret vituperatio, eo loco coniungi potest, ubi utramque vocem eiusdem generis esse oportet. Quare *erroribus* mutandum est in *moribus*, quam coniecturam mihi cum adulescentulo quodam apud Classenum ('Eos' I p. 12) communem esse gaudeo. Sic utrumque vocabulum eiusdem generis est. Praeterea emendata scriptura egregie respondet eis quae subsecuntur: *nec quisquam in tota domo pensi habet, quid coram infante domino aut d i c a t aut f a c i a t,* in quibus vel idem ordo harum duarum notionum servatus est. Atque satis constat inter omnes saepissime fabulas et mores vel similes notiones coniungi et inter se opponi. Sic apud Ciceronem Orat. 40, 138 legitur: *hominum sermones moresque.* Postremo comparanda sunt, quae cap. 28 med. leguntur: *eligebatur autem maior aliqua natu propinqua, cuius probatis spectatisque m o r i b u s omnis eiusdem familiae suboles committeretur, coram qua neque d i c e r e fas erat, quod turpe d i c t u, neque f a c e r e, quod inhonestum f a c t u videretur.* Ritterus autem hoc tantum nomine laudandus est, quod depravatam esse librorum scripturam perspexit; nam quod ipse scribendum proposuit *horum fabulis et amoribus*, risum movet. Schurzfleischii *terroribus* ne intellegi quidem potest. Iam vero secuntur vocabula *et virides* ab altera manu Perizoniani deleta omnique sensu destituta. Sine dubio haec duo vocabula ex dittographia verborum *et rudes* nata sunt, ut rectissime ea manus altera Perizoniani deleverit, quam sententiam Hauptius quoque amplexus est Hermae a. 1869 p. 31. Novissimus editor in textum recepit Ecksteinii coniecturam, qui scripsit *horum fabulis et erroribus et vitiis teneri* e. q. s., parum ille quidem probabiliter (ut ex eis apparet, quae supra disputavi) et neglecta auctoritate alterius manus codicis Leidensis.

Haec de infantium educatione dicta sunt; deinde de propriis et peculiaribus urbis Romae vitiis sermo est (velut de histrionali favore et gladiatorum equorumque studiis), quae consentaneum est iuvenili maxime aetate comparere. Atque de iuvenibus et

adulescentibus potissimum sermonem esse confirmatur eis quae secuntur: *quos alios* a d u l e s c e n t u l o r u m *sermones excipimus, si quando auditoria intravimus?* Nec minus omnis reliqua Messallae oratio est de adulescentium institutione. Ob hanc causam offensioni est quod prorsus in universum haec dicuntur: *quotum quemque invenies, qui domi quidquam aliud loquatur?* Sermo est enim de iuvenum et adulescentium, non de omnium cuiusvis aetatis hominum moribus. Quare conicio scriptum fuisse: *quotum quemque* i u v e n u m *invenies, qui domi quidquam aliud loquatur?* Ita iuxta ponuntur in hac sententia *iuvenum* atque in ea quae sequitur *adulescentulorum.* Quantopere autem sententia coniecturam meam commendet, vel ex eis verbis patet quibus Nastius hunc locum in patrium sermonem transtulit: 'wie viel findet man wohl j u n g e L e u t e, die zu Hause von was anderem sprechen?' Lenissime denique *iuvenum* ante *invenies* inseri nemo non videt.

15.

C a p. 30 Ciceronis maxime exemplo docetur, quam laetos fructus oratori ferat quam plurimarum rerum scientia omniumque artium varietas. *Ita enim est,* inquit Messalla cap. 30 extr., *ita: ex multa eruditione et plurimis artibus et omnium rerum scientia exundat et exuberat illa admirabilis eloquentia; neque oratoris vis ac facultas, sicut ceterarum rerum, angustis et brevibus terminis clauditur, sed is est orator, qui* e. q. s. In his gravissimae offensioni sunt verba: *neque oratoris vis ac facultas, sicut ceterarum rerum.* De quorum insolentia adhuc nemo quidquam dixit; atqui quis suscipiet partes demonstrandi, recte et rationi convenienter oratoris vim ac facultatem cum ceterarum rerum vi ac facultate, sive quod eodem redit, oratorem cum ceteris rebus comparari? Tamquam orator in rerum, non in hominum numero habendus sit. Neque vero *ceterae res* recte dicuntur quaecumque in orbe terrarum praeter oratorem exstant: ea enim dici debebant *cetera,* quamquam ne hoc quidem perspicuitati suffecisset. Certe non ullo modo recte orator cum ceteris rebus comparatur, si quidem ea tantum comparare licet quae eiusdem generis sunt. Iam ut tollatur haec discrepantia, fac scriptorem huius libelli pro *oratoris* posuisse *orationis,* quid iudicabis? Primum debebat *eloquentiae* potius esse quam *orationis*; deinde, id quod etiam maioris momenti est, incertissimam atque adeo perversam notionem efficiunt verba *ceterarum rerum vis ac*

facultas: tamquam eis omnibus, quae exstant praeter eloquentiam, vis ac facultas aliqua recte tribuatur. Immo haec eorum tantum est quae ab hominibus exercentur, i. e. artium. Itaque eo de quo agimus loco hanc nobis videmur summo iure exspectare sententiam, ut eloquentiae vis ac facultas, quae nullis finibus circumscripta sit, cum ceterarum artium vi ac facultate comparetur, quae angustis et brevibus terminis includatur. Iam ut hanc sententiam emendando restituamus, adiuvabimur loco Ciceroniano qui legitur de orat. I, 12, 52: *nam si quis erit, qui hoc dicat esse quasdam oratorum proprias sententias atque causas et certarum rerum forensibus cancellis circumscriptam scientiam, fatebor equidem in his magis assidue versari hanc nostram dictionem.* Itaque nostro quoque loco dicere licuit: *certarum rerum angustis et brevibus terminis clauditur.* Sed quid reliquis fiet? Non satis videtur rationi convenire haec scriptura: *neque oratoris vis ac facultas, sicut ceterarum artium, certarum rerum angustis et brevibus terminis clauditur*, quoniam cum ceteris artibus eloquentia potius quam orator comparari debebat, quamquam provocare licet ad ea quae cap. 7 medio leguntur: *fama et laus cuius artis cum oratorum gloria comparanda est?* Sed nihil videtur in hac emendatione displicere: *neque oratoris vis ac facultas, sicut ceterae artes, certarum rerum brevibus et angustis terminis clauditur.* Comparare licet etiam quae Cicero dicit de orat. I, 16, 70: *est enim finitimus oratori poeta —, in hoc quidem certe prope idem, nullis ut terminis circumscribat ius suum, quominus ei liceat eadem illa facultate et copia vagari qua velit*; II, 2, 5: *bene dicere autem, quod est scienter et perite et ornate dicere, non habet definitam aliquam regionem, cuius terminis saepta teneatur.* De emendationis meae externa probabilitate vix opus est quidquam addere. Nec non ex re esse puto addere versiones Nastii Rothii Teuffelii. Nastius enim ita interpretatur: 'das Talent des Redners ist nicht, wie bei andern Gegenständen, in enge und schmale Gränzen eingeschlossen', similiterque Rothius; Teuffelius autem: 'ist nicht, wie bei andern Dingen, auf knappe und enge Gränzen beschränkt'. Quae si intellexeris, nihil me dixisse facile concedam.

16.

Cap. 31 docet Messalla, quam utilis et adeo necessaria sit oratori naturae humanae cognitio; neminem enim de bonis et malis, de honesto et turpi, de iusto et iniusto copiose et varie et ornate dicere posse, nisi qui cognoverit naturam humanam; facilius deinde iram et misericordiam iudicis movere, qui sciat quid sit ira et misericordia. Sermo igitur est de universa natura humana, cuius cognitione bonus orator carere non possit, non de singulorum hominum, apud quos oratori aliquando dicendum sit, propria indole atque ingenio. Idque et facile mihi concedes et quanti momenti sit ad ea quae subsecuntur recte intellegenda, mox videbis. Secuntur enim haec: *in his artibus exercitationibusque versatus orator, sive apud infestos sive apud cupidos sive apud invidentes sive apud tristes sive apud timentes dicendum habuerit, tenebit venas animorum, et prout cuiusque natura postulabit, adhibebit manum et temperabit orationem.* Ex eis quae proxime praecedunt apparet Messallam non loqui de uno iudice, apud quem oratori dicendum sit, sed de compluribus auditoribus, quos is tantum felici successu permovere posse dicitur qui naturam humanam perspexerit. Quo factum est ut Nastius non sine fraude quadam ita interpretaretur: 'und er wird sich seiner Kunst nach der besonderen Denkart seiner Zuhörer zu bedienen wissen'. Itaque totius loci sententiae repugnant haec: *et prout cuiusque natura postulabit.* Nemo enim erit qui, quando de compluribus dicatur, *cuiusque naturam* interpretetur propriam cuiusque auditorum indolem; nam nec potest re vera ullus orator in temperanda oratione sua complurium diversae indolis hominum rationem habere, nec propriae cuiusque hominis indoli commemorandae, ut diximus, in hac sententia ullus locus est. Itaque vel ob has causas scripturam in libris proditam non posse ferri demonstrasse mihi videor; sed accedunt multo graviora. Nam non solum propria cuiusque indoles hoc loco commemorari non debebat, sed ne universa quidem natura humana. Unde enim cognoscit orator, si quam causam agit, quo sibi vertendi sint animi, ubi et quomodo sit adhibenda manus, quibus modis temperanda oratio? Ex naturae humanae cognitione nihil discit nisi quomodo affectus aliquis aut augeatur aut minuatur aut alius in alium mutetur; sed utrum affectus augendus sit an minuendus an mutandus an invertendus, id discit demum ex cuiusque causae

natura et condicione. Quae si vera est huius loci sententia, scribendum est: *et prout cuiusque causae natura postulabit.* Atque haec e manu scriptoris prodiisse etiam libentius mihi concedes, si comparaveris quae paullo post leguntur: *ne Epicuri quidem et Metrodori honestas quasdam exclamationes adsumere eisque prout res poscit uti alienum erit oratori.* Adde cap. 23 sub fin.: *ea quotiens causa poscit ubertas*; Quint. IX, 4, 147: *usus pro natura rerum quas dicimus*; IX, 4, 139: *quid? non vox et gestus accommodatur naturae ipsarum de quibus dicimus rerum?* Cic. de orat. II, 27, 115: *ut animos eorum ad quemcunque causa postulabit, motum vocemus*; Brut. 80, 279: *inflammare animos audientium et quocunque res postulet modo flectere*; Orat. 36, 125: *et sic afficiet ut volet, i. e. ut causae natura et ratio temporum postulabit.*

17.

Cap. 32 extr. Messalla cum locum, qui est de multarum rerum artiumque scientia oratori necessaria, ad finem perducens tarditatem illam et segnitiem, qua recentiores oratores ceterarum artium notitiam neglegere soleant, corruptae eloquentiae primam esse causam dicit: *ergo hanc primam et praecipuam causam arbitror, cur in tantum ab eloquentia antiquorum oratorum recesserimus. si testes desiderantur, quos potiores nominabo quam apud Graecos Demosthenem, quem studiosissimum Platonis auditorem fuisse memoriae proditum est? et Cicero his, ut opinor, verbis refert, quidquid in eloquentia effecerit, id se non rhetorum officinis, sed academiae spatiis consecutum.* Huic enuntiato deest concinnitas sententiae et structurae. Nam verbis *apud Graecos* nihil est in sequentibus quod opponatur; deinde cum *quos potiores* legatur potius quam *quem potiorem*, ea quae de Cicerone dicuntur cum eis quae de Demosthene legimus unius constructionis vinculo conexa esse debent. Quamobrem mihi nulla prorsus videtur esse dubitatio, quin qui hunc Dialogum composuit sic scripserit: *si testes desiderantur, quos potiores nominabo, quam apud Graecos Demosthenem, quem — proditum est, et apud nos Ciceronem, qui his ut opinor verbis* e. q. s. Nec umquam adducar ut credam codicum scripturam ita posse defendi, ut scriptor hoc loco sententias liberiore modo nexuisse putetur; ad hanc enim explicandi rationem in tam eleganti tamque polito scriptore cavendum est ne confugiamus. Quid autem

temeritatis habet illa coniectura in eo libro, quo vix alius ullus plures gravioresque saeculorum iniurias perpessus est? Quin etiam hic ipse locus esse documento potest, quo usque arti criticae in mutandis eis, quae prodita sunt in huius Dialogi codicibus, progredi liceat, dum modo de sententia nulla sit dubitatio. Ceterum ut confirmetur verborum *apud nos* quae inserui fides, comparandus est similis locus qui legitur cap. 25 a. m.: *set quomodo inter Atticos oratores primae Demostheni tribuuntur — sic apud nos Cicero* e. q. s. Adde quae in fine cap. 3 leguntur: *etiamsi non novum tibi ipse negotium imperasses* (sic vel *imposuisses* Acidalius), *ut Domitium et Catonem, id est nostras quoque historias et Romana nomina Graecorum fabulis adgregares.* Hoc loco *ut,* quod abest a libris, inseruit Niebuhrius, recte me iudice, quamquam alius nemo ei assensus est.

Neque hoc tacendum est, iam Pichenam proposuisse *et Ciceronem,* addito ut videtur pronomine *qui,* qua coniectura partem veri assecutus est.

18.

Cap. 36 exponitur, quanta olim libera re publica fuerit vis eloquentiae quantaeque opes et quanti fructus ex ea in oratores redundaverint: nec quemquam sine eloquentia aut assequi potuisse in civitate aut tueri conspicuum et eminentem locum. Iam in omnibus editionibus haec secuntur: *nec mirum, cum etiam inviti ad populum producerentur, cum parum esset in senatu breviter censere, nisi quis ingenio et eloquentia sententiam suam tueretur.* At in eis libris, quorum fide nititur huius scriptionis memoria, legitur: *nisi qui ingenio — tuerentur.* Quae scriptura mihi in emendando hoc loco gratum auxilium feret: persuasissimum enim habeo vulgatam scripturam non posse defendi. Qua perversissima haec efficitur sententia: 'cum non sufficeret in senatu breviter sententiam suam proferre, nisi quod breviter censere tum satis erat, si quis ingenio et eloquentia sententiam suam tuebatur'. Aliter enim haec explicari plane non possunt, veramque enuntiati structuram neglegeret qui ita interpretaretur: 'cum eis tantum conspicuum se in civitate locum adepturos sperare licuit, qui ingenio et eloquentia sententiam suam tuerentur'. Hanc autem ipsam sententiam, quam Rothius invitis libris sic reddidit: 'da es — durchaus nicht genügte, im Senat in der Kürze abzustimmen, sondern jeder mit Talent und Beredsamkeit seine Abstimmung vertreten musste', vel cum necessitate quadam

hoc loco exspectari quis est quin concedat? Voluit dicere neminem auctoritatem et honorem assequi potuisse, nisi qui ingenio et eloquentia sententiam suam tueretur. Huius sententiae posterior pars servata est, prior in libris intercidit. Sic autem mihi videbatur quanta fieri potest probabilitate suppleri: *cum parum esset in senatu breviter censere, nec quisquam auctoritate floreret, nisi qui ingenio et eloquentia sententiam suam tueretur.* Ut autem sic potius scribam, vocabulo *tuerentur* mutato in *tueretur*, quam *nec auctoritate florerent nisi qui — tuerentur*, quod cuipiam fortasse in mentem veniat, similium me locorum comparatio movet. Legimus enim cap. 21: *nec fere quisquam — legit nisi qui — miratur*; cap. 31: — *nemo dicere potest nisi qui cognovit*; cap. 32: *quem non posse alium existere nisi eum qui* —; cap. 41: *quod municipium — venit nisi quod — agitat?* Praefert tamen Ritschelius brevius supplementum tale: *nec probaretur, nisi qui ingenio* e. q. s.

19.

Claras orationes de magnis rebus haberi demonstrat Messalla cap. 37 med., hoc exemplo usus: *non, opinor, Demosthenem orationes illustrant, quas adversus tutores suos composuit, nec Ciceronem magnum oratorem P. Quinctius defensus aut Licinius Archias faciunt: Catilina et Milo et Verres et Antonius hanc illi famam circumdederunt.* Hoc loco nescio an tota interciderit sententia. Nominantur enim primum eae orationes, quibus immortalitatem non adeptus sit Demosthenes, deinde eae quibus Ciceronis gloria nec parta nec aucta sit, postremo eiusdem Ciceronis eae orationes, quae illi sempiternam praestiterint memoriam. Itaque nulla mentio facta est earum orationum, quibus summa dicendi laus Demostheni contigit; nec tamen causa perspicitur, cur de his orationibus taceat scriptor, quae non minus quam Ciceronis pro Milone, in Catilinam, in Antonium orationes demonstrent verum esse illud quod antea dixit, neminem claram et illustrem orationem efficere posse nisi qui causam parem invenerit. Summa concinnitas ita tantum efficitur, ut bina utriusque oratoris orationum genera nominentur, i. e. utriusque et inferiores orationes et clarissimae. Hanc concinnitatem si emendando restituendam esse censueris, poteris velut haec intercidisse conicere: *non, opinor, Demosthenem orationes illustrant, quas adversus tutores suos composuit, sed quas adversus Aeschi-*

nem et Philippum, nec Ciceronem magnum oratorem P. Quinctius defensus aut Licinius Archias faciunt: Catilina et Milo e. q. s. Illa quae inserui ab eisdem fere verbis incipiunt atque ea quae praecedunt. Sic aliquid externae probabilitatis illi coniecturae paratum est, qua non contenderim ita opus esse, ut de necessitate lacunae statuendae nequeat dubitari. At qui summam huic scriptori restituere concinnitatem conetur, id aget ut eum reddat sui similiorem.

20.

Iam brevius de aliis tribus locis dicemus.

Cap. 34 videtur summam probabilitatem habere haec scriptura: — *nec adversarii et aemuli ferro, non rudibus dimicantes, nec auditorium semper plenum, semper novum, mixtum ex invidis et faventibus, ut nec bene nec minus bene dicta dissimularentur. nec* certa emendatione restituerunt Schelius et Haasius; *mixtum* per coniecturam inserui, quia nec latine dicitur aliquid novum esse ex aliqua re, nec tam elegans scriptor dixisse credi potest *non deerat auditorium ex invidis et faventibus,* nullo addito participio. Postremo *nec minus bene* paullo probabilius inseruisse me puto, quam aut Pithoeum *nec male* aut Schopenum *nec secus,* quia illud ex Messallae veterum oratorum patroni animo mitius et prudentius dictum est, haec asperius et incautius.

Cap. 37 cum scribendum esse coniecissem: *nam quo quis saepius steterit tamquam in acie quoque plures* e. q. s., in eandem coniecturam Michaelem incidisse vidi. Quo fit, ut certa mihi videatur haec esse emendatio. Parique modo etiam cap. 5 med. proponerem: *qua quis semper armatus — ferat,* nisi praeferenda esse videretur Lipsii coniectura, qui scripsit *qua semper armatus — feras.*

21.

Postremo de amplioribus quibusdam lacunis disserendum est. Cap. 28—33 Messalla de eis artibus disputat, quibus antiqui oratores institui soliti sint; porro inde a cap. 33 med., hortante Materno, eorundem exercitationes enarrat et ita quidem, ut nusquam huius orationis finis compareat. Sed sub exitum huius libelli cap. 42 legimus: *finierat Maternus,* unde efficitur ea quae proxime praecedant esse Materni, non Messallae. Itaque dubitari nequit quin finis orationis Messallae et initium orationis Materni in libris manu scriptis interciderint, id quod iam diu

perspexerunt viri docti. Hoc autem quaeritur, quo loco Maternus credendus sit Messallam dicendo excepisse, quod vulgo putant factum esse in eis quae extremo cap. 35 perierunt. Hoc enim loco sex pagellas vetustate consumptas interiisse ipsi librarii testantur. Itaque quae ante cap. 36 leguntur, Messallae attribuunt, Materno autem, quaecunque ab initio cap. 36 usque ad finem cap. 41 legimus. Hanc tamen sententiam, quamvis eis quae codices de ampla illa lacuna testantur commendari videatur, veram esse persuadere mihi non potui. Quaerendum est enim, quae et quales sint Messallae et Materni in disputatione provinciae: quod si perspexerimus et utriusque indolem, mores, loquendi consuetudinem, de eloquentia iudicium dignoverimus, satis certo indicare poterimus, utri attribuenda sint quae inde ab initio cap. 36 leguntur. Et primum quidem dubitari nequit, quin Messallae provincia haec sit, ut corruptae eloquentiae causas exponat. Est enim homo frugi et strenuus, liberalium artium studiosissimus, veteris eloquentiae admirator et talis quidem, qui et teneat et reddere possit causas, cur antiquam eloquentiam recentiori longe anteponat. Itaque is est, qui in posteriore Dialogi parte primas partes suscipiat atque de ea re agat, in qua totius libelli argumentum consistere plus uno loco affirmatur. Materni autem quale sit ingenium ex eis apparet, quae cap. 11—14 et ante cap. 42 loquitur. Ex his intelleges Maternum nihil umquam de depravatae eloquentiae causis proferre, sed animum conferre ad sanctum poeticae studium, omissis orationibus et causis, quae ex malis moribus natae sint et in bene constitutis civitatibus non nascantur. Itaque per totum libellum haec est Messallae provincia, ut reddat causas depravatae eloquentiae, Materni autem, ut omnem eloquentiam in malis hominum moribus tamquam fundamento niti demonstret neque ullum illi locum in ea civitate concedat, quae ex optato composita sit. Ad hanc Materni indolem atque provinciam non quaecumque ab initio cap. 36 usque ad finem cap. 41 exstant, sed ea tantum accommodata sunt, quae legimus a cap. 40 inde a verbis *non de otiosa et quieta re loquimur.* Quae igitur ab initio cap. 36 usque ad hunc cap. 40 locum leguntur, Messallae attribuo; dicta enim sunt de causis corruptae eloquentiae, quas exponere Messallae solius esse vidimus, et quam longissime differunt ab eis quae et hoc loco et initio Dialogi Maternus dicit. Itaque ante verba quae sunt *non de otiosa* e. q. s. non pauca interciderunt, quibus Messallae

orationis finis et Materni initium continebatur. Ac reapse hic locus is est, qui de lacuna cogitare etiam invitos nos iubeat: id quod vel eo confirmatur, quod Heumannus, nihil ille quidem de mutata persona coniciens, multa hoc ipso loco intercidisse suspicatus est. Initio enim cap. 40 exponitur, quantopere vis eloquentiae aucta sit unicuique concesso iure potentissimum quemque vexandi; dein subito affirmatur omnem eloquentiam esse alumnam licentiae et ex corruptis hominum moribus natam, quae sententiae nullo vinculo coniunguntur; priorem autem si Messallae, posteriorem Materno dederis, nihil erit quod vituperes.

Ac ne illis quidem assentior, qui in eis, quae cap. 35 extr. perierunt, Secundi quaedam verba fuisse putent. Nam quamquam Maternus cap. 16 eas partes se et Secundum executuros promittit, quas intellexerint Messallam ipsis reliquisse, crediderim tamen hominem audaciae inimicissimum, metu ne quid minus vere diceret commotum, nihil de suo proferre ausum esse. Atque in fine libelli, ubi ceteri omnes commemorantur, Secundi nulla prorsus mentio fit.

Iam vero cap. 36, quod modo Messallae vindicavimus, duobus locis quaedam in libris deesse videntur. Sermo est in hoc capite de rei publicae perturbatione, qua mirum in modum provecta sit antiquorum eloquentia, ut quanto quisque plus dicendo potuerit, tanto plus sibi auctoritatis et gratiae paraverit. Iam secuntur haec: *hi clientelis etiam exterarum nationum redundabant, hos* e. q. s. Sed qui tandem sunt illi, qui hoc pronomine significentur? cum omne pronomen demonstrativum habere oporteat, quo ad grammaticae rationis normam referatur. Neque ulla in eis omnibus, quae capitis 35 lacunam secuntur, mentio fit clarorum liberae rei publicae oratorum, nedum in eis quae nostrum locum proxime praecedunt. Itaque intercidisse quaedam conicio, in quibus horum oratorum mentio fieret: nam sic demum pronomina *hi* — *hos* — *hos* — *hos* — *hi* poterimus explicare.

Eadem sententia ita continuatur: *hi ne privati quidem sine potestate erant, cum et populum et senatum auctoritate regerent; quin immo sibi ipsi persuaserant* (malim equidem *omnes quin immo sibi persuaserant*) *neminem sine eloquentia aut assequi posse in civitate aut tueri conspicuum et eminentem locum.* Huic sententiae tanquam causam subiungens haec addit: *nec mirum, cum etiam inviti ad populum producerentur, cum parum esset in senatu breviter censere, (nec probaretur) nisi qui ingenio et*

eloquentia sententiam suam tueretur. Quae sententia quaerendum est qua ratione cum ea quae praecedit coniuncta sit. Atque ut nulla remaneat dubitatio de verborum *nec mirum* significatione, conferas similem locum qui legitur cap. 19 med.: *quodsi quis odoratus philosophiam videretur, — in caelum laudibus ferebatur. nec mirum: erant enim haec nova et incognita.* Hoc loco dubitari nequit quin illis verbis eorum quae antea dicta sunt causa significetur; at nulla ratione eo de quo agimus loco necessitas dicendi causa fuisse dicitur, cur veteres sibi persuaserint neminem sine eloquentia assequi posse in civitate aut tueri conspicuum et eminentem locum. Neque enim de dignitate et praemiis eloquentiae quidquam inde concludi poterit, quod iuvenes sua voce uti cogebantur. Immo hac extrema sententia causa affertur, cur laudis cupidissimus quisque aliquam saltem dicendi facultatem adeptus sit: nam etiam invitus ad populum producebatur e. q. s. Itaque ut verbis *nec mirum* iusta paretur explicatio, nonnulla ante haec verba excidisse suspicor, in quibus summam dicendi facultatem veteres in administranda re publica assecuti esse dicerentur, ut totius loci hic sit ordo: verba *quae singula — eminentem locum* ad praemia olim eloquentiae proposita spectant (ita tamen ut in medio hoc loco quaedam interciderint); deinde periit ea sententia, qua ad necessitatem dicendi transitus pararetur, de qua Messalla loquitur verbis *nec mirum — cogerentur.* Atque hanc esse sententiarum seriem plane confirmatur eis quae secuntur: *ita ad summa eloquentiae praemia magna etiam necessitas accedebat.*

III.

De glossematis et interpolationibus.

1.

Non minus fere quam vocabulorum depravationibus et lacunis Dialogus de oratoribus videtur glossematis et interpolationibus inquinatus esse, quamquam integrae alicuius sententiae interpolatae et rara nec prorsus certa exempla esse fatendum est. Dubia autem graviorum interpolationum natura eo maxime exsistit, quod insignem illam, qua scriptor huius libelli utitur, dicendi copiam a molesta, qua interpolator prodi solet, verborum ubertate rudique sen-

tentiae usque ad siccitatem exprimendae more distincte secernere plerumque difficillimum est. Multo confidentius de eis glossematis iudicare licet, quae uno vocabulo continentur, explicandi alius vocabuli causa plerumque adscripto. Quamquam non omnium vocabulorum, quibus eiectis sententiae elegantia et concinnitas restituitur, ea natura est, ut explicandi studio nata esse credi possint; quin adeo inveniuntur in hoc libello eiusmodi vocabula, quae in exilium mitti sententia iubeat, cum origo sit obscurissima. Huius generis inprimis duo sunt vocabula, quorum alterum legitur cap. 10 extr., ubi Aper Materno pericula exprobrans, quae Catone tragoedia componenda sibi ipse paraverit, *nobis* inquit *satis sit privatas et nostri saeculi controversias tueri, in quibus expressis si quando necesse sit pro periclitante amico potentiorum aures offendere, et probata sit fides et libertas excusata*. Ibi *expressis* vocabulum nec explicare nec emendare cuiquam contigit. Nam Orellius et Doederlinus, qui librorum scripturam retinuerunt, in explicando illo vocabulo notionem defensionis tacite substituunt controversiae, quae quidem nullo pacto recte dicitur oratori exprimi sive extorqueri. Emendationum autem nulla probari potest. Artificiose enim Lipsius: *in quibus expressit si quando necessitas*, nec melius (comparato Tac. Ann. I, 19) alii: *in quibus expressum si quando necessitate sit*, praesertim cum de integritate verborum *si quando necesse sit*, in quibus nulla offensio est, dubitare non liceat. Ergo tutissimum erit Halmium sequi, qui illud vocabulum ut aut depravatum aut interpolatione adiectum uncis inclusit, et exspectare, dum felicior aliquis probabilem de eius origine coniecturam proferat. Nam ne Acidalius quidem plus affirmare ausus est, cuius haec sunt verba: 'vocem *expressis* non capio satis nec quid ea faciam scio.'

Alterum huius generis vocabulum legitur cap. 21 med., ubi de Caelii orationibus haec iudicat Aper: *quid? ex Caelianis orationibus nempe eae placent, sive universae sive partes earum, in quibus nitorem et altitudinem horum temporum agnoscimus; sordes autem illae verborum et hians compositio et inconditi sensus redolent antiquitatem*. Hic *illae* ex deterioribus codicibus in editiones transiit, nam in Leidensi est *regulae*. Itaque *illae* coniectura natum est, quae cum a litterarum similitudine parum habeat probabilitatis, etiam alia de causa spernenda est, nisi me fallunt quae de pronominis *ille* usu apud hunc scriptorem

observasse mihi videor. Observavi autem hoc pronomen cum substantivo aliquo coniunctum aut id significare de quo antea disputatum est, aut id de quo constat. Iam vero ubi id significat, de quo antea disputatum est, plerisque locis illi substantivo additur adiectivum aliquod vel enuntiatum relativum, his quidem: cap. 4 extr. 9 med. 12 med. 13 in. 15 med. 19 in. 25 p. in. 26 in. 34 in. p. m.; rarius *ille* cum nudo substantivo coniungitur: 31 in. 36 in. 36 a. m. 37 a. m. extr. (sed quae cap. 19 in. leguntur: *transtulisse se ad illud dicendi genus,* ea supra emendavimus p. 119). Omnes autem hi loci, quos totius rei complectendae causa attuli, ad eum de quo agimus locum non pertinent, qui est alterius generis. Nam *sordes illae verborum* non dicuntur eae sordes, de quibus antea dictum sit, sed quibus Caelii orationes inquinatas esse inter omnes constet. At ubicumque pronomen *ille* cum substantivo coniunctum id significat de quo constat, numquam hoc substantivum aut adiectivo aliquo aut enuntiato relativo aut utroque caret. Testes hi loci: cap. 10 med.: *immanes illos et ad pugnam natos lacertos*; cap. 12 p. in.: *in illa casta et nullis contacta vitiis pectora*; cap. 12 p. m. 17 med.: *illum Galbae et Othonis et Vitellii longum et unum annum* (noli enim dubitare, quin *illum* recte restitutum sit ab Halmio pro eo quod in libris est *ipsum*); cap. 19 p. in. 20 in. 23 in. med. 26 a. med. 28 in. 30 extr. 34 p. med. 38 in. 40 a. m. 41 extr. Quibus accedit c. 7 p. in., ubi legitur *ipsos illos libertos et procuratores principum*: nam hoc loco *ipsos* eodem munere fungitur, quo ceteris fere locis adiectivum. Itaque *illae* pronomini eo loco qui legitur cap. 21 omne demptum est praesidium, ut ad codicum scripturam *regulae* revertendum sit. Sed quid hoc vocabulo fiat, nescio. Omissum non desideratur, sed unde invectum sit, obscurissimum est: Ritteri enim et Michaelis coniecturae parum habent probabilitatis.

2.

Pergimus ad aliud glossematum genus, vel ut verius dicam, eorum vocabulorum quibus omissis restituitur sententia. Dicam autem de tribus locis, ubi id vocabulum in quo offendimus aut ex eis quae praecedunt, aut ex eis quae secuntur irrepsisse probabile est. In horum numero ante omnia, ut mihi videtur, habendus est ille, de quo permulta disputata sunt, locus qui legitur cap. 10 sub fin.: *nec excusatur offensa necessitudine officii aut fide advocationis aut fortuitae et subitae dictionis impetu;*

meditatus videris aut elegisse personam notabilem et cum auctoritate dicturam. Ibi tertiam *aut* particulam, quae sensu prorsus destituta est, variis coniecturis emendare conati sunt viri docti, quarum tamen nulla probabilis est, nedum certa. Ad litterarum similitudinem proxime accesserunt Steinerus, Thomas (Münchener gel. Anz. a. 1853), Bursianus (Liter. Centralbl. 1858 p. 315), qui coniecerunt *meditatus videris ante elegisse* (i. e. antequam ipsam fabulam componeres), quod vehementer langnet, et Orellius, qui suspicatur *meditatus videris ut elegisse* (i. e. quasi dedita opera elegisse), quod vereor ut sit latinum. Ceterae scripturae a librorum memoria satis longe recedunt. Et Haasius quidem coniecit *meditatus videris hanc elegisse personam*: at hoc ipsum pronomen abundat; Halmius autem *meditatus videris etiam elegisse* (i. e. non casu in hanc personam incidisse, sed, quod multo plus est, dedita opera elegisse), ad quam coniecturam firmandam huius *etiam* particulae usus exempla desiderantur; denique Schopenus *meditatus videris ultro elegisse* (quod Ritterus nescio qua ratione ductus in hanc speciem corrupit: *meditatus videris aut ultro elegisse*). At nonne *meditatus* illud in initio sententiae cum gravitate positum alia omnia similis notionis vocabula abundare et vim sententiae debilitare clamat? Atque huius vocabuli pondus simul et collocatio prima et praecipua causa est, cur Puteolani et Lipsii sententiam secutus hunc scriptorem nihil nisi haec scripsisse putem: *meditatus videris elegisse* e. q. s. Quod si verum est, videtur illud *aut* ex eis quae praecedunt irrepsisse.

Cap. 10 med. Aper Maternum ad oratoriam eloquentiam his verbis revocat: *ut, si in Graecia natus esses, ubi ludicras quoque artes exercere honestum est, ac tibi Nicostrati robur ac vires dei dedissent, non paterer immanes illos et ad pugnam natos lacertos levitate iaculi aut iactu disci vanescere, sic* e. q. s. Ibi *pugnam* possis conicere mutandum esse in *pugilatum*, quod rem ipsam de qua agitur accuratius significet. Sed ut aliquam probabilitatem habeat haec mutatio, ita necessariam esse non contenderim. Immo confitentius *iactu* delendum esse contendo, id quod non ego primus intellexi. Absurda est enim oppositio verborum *iactu disci* et *levitate iaculi*, quia diversissimi generis sunt levitatis et iactus notiones. Natum est autem *iactu* ex dittographia vocabuli *iaculi*.

Similem dittographiam Ritterus indagasse mihi videtur in cap. 25 a. m., ubi haec leguntur: *sed quomodo inter Atticos*

oratores primae Demostheni tribuuntur, proximum a u t e m *locum Aeschines et Hyperides et Lysias et Lycurgus optinent, omnium autem consensu haec oratorum aetas maxime probatur, sic apud nos e. q. s.* Duplex enim autem particula tantae offensioni est, ut unum hoc quaeratur, utro loco eam deleri oporteat. Delenda est autem priore loco, quo sine ulla particula optime ac iucundissime fluit oratio, cum posteriore abesse prorsus nequeat. Ceterum in editionibus omnibus ex Lipsii emendatione hoc loco legimus *et Brutus suo iure* e. q. s., cum in codicibus verborum *suo iure* loco scriptum sit *si uere,* cui in Perizoniano a correctore superscriptum est *si iure.* Unde facilius eruitur *iure* quam *suo iure*: nam *s* littera post extremam antecedentis vocabuli litteram errore iterata est. Perizoniani autem correctio utriusque litterae *s* et *i* geminatione nata esse videtur.

Sed ut redeamus ad glossemata, in quibus resecandis nunc versamur, prorsus similem eius quem modo tractavimus locum repperisse mihi videor c a p. 6 in. Hoc loco Aper eloquentiam summis laudibus ornans *ad voluptatem* inquit *oratoriae eloquentiae transeo, cuius iucunditas non uno aliquo momento, sed omnibus* p r o p e *diebus ac prope omnibus horis contingit.* Ibi nemo in adverbio *prope* bis posito offendit, de quo, quantum ego sapio, prorsus idem indicandum est, quod de duplici *autem* particula illo cap. 25 loco Ritterus iudicavit, nisi quod eo de quo agimus loco aliud quiddam accedit. Nam logicam rationem nimia audacia neglegit, qui aliquid et plerisque (i. e. non omnibus) diebus et prope omnibus horis evenire dicit. Quippe etiam in eis gradationibus, quae rhetorico more iunguntur, aliqua veri similitudo vel, si hoc magis placet, veri species tuenda est inque primis hoc curandum, ut singula gradationis membra concinnitatis vinculo nectantur. Quae quidem ab hoc loco abest: neque enim debebant diei et horae notiones, quae diversissima temporis spatia significant, eodem vocabulo quasi artioribus finibus circumscribi. Quare sic scribendum est: *sed omnibus diebus ac prope omnibus horis contingit.*

3.

Iam transeundum est ad ea glossemata, quae hoc nomine re vera digna sunt, qualia haud pauca offendis in hoc libello, et nonnulla quidem de quibus nullus dubitationi locus sit. In horum numero habendum est *oderunt* vocabulum, quod Heumannus delevit c a p. 23 a. m.: *qui rhetorum nostrorum commentarios fasti-*

diunt oderunt, Calvi mirantur. Nec minus recte Nipperdeius Mus. Rhen. vol. XIX p. 573 delevit verba *et invidere* cap. 25 sub fin.: *credo solitos et invidere et livere et ceteris humanae infirmitatis vitiis affici.* Deinde cap. 28 sub fin., ubi haec leguntur: *sic Corneliam Gracchorum, sic Aureliam Caesaris, sic Atiam Augusti matrem praefuisse educationibus ac produxisse principes liberos accepimus,* Sauppium secuti (Philol. vol. XIX p. 262) *matrem* tollimus. Ita enim id efficitur, ut genetivi *Gracchorum Caesaris Augusti* e voce *educationibus* pendeant, quae, nisi adiungitur genetivus, non satisfacit sententiae. Ne hoc quidem videtur in dubitationem vocari posse, quin cap. 10 extr. verba *ex his* e glossemate nata sint, quamquam quomodo totus locus sanandus sit admodum dubium est.

Similiter de eis iudico quae Aper dicit cap. 10 a. m.: *neque hunc meum sermonem sic accipi volo, tamquam eos, quibus natura sua oratorium ingenium denegavit, deterream a carminibus.* In his *sua* pronomen communi cogitandi ac dicendi rationi repugnat. Neque enim sua quemque natura aut indoles facultate aliqua aut ingenio ornat, sed alma illa, quam omnium animalium matrem appellare solemus, natura, quae singulis bona sua distribuit et suam cuique dat indolem atque ingenium. Res conficitur exemplis, e quibus numquam non firmissimum praesidium petitur. Apud Ciceronem enim legimus pro Quinctio 2, 8: *cui summam copiam dicendi natura largita est*; de orat. I, 29, 132: *quae quibus a natura minora data sunt*; II, 29, 126: *ut ei nihil neque a natura denegatum neque a doctrina non delatum esse videatur*; apud Ovid Her. 15, 31: *Si mihi difficilis formam natura negavit, Ingenio formae damna rependo meae.* Quare nescio an eo de quo agimus loco delendum sit pronomen possessivum. Unde tamen irrepserit, non audeo affirmare; nec vero id potius ago, ut corruptelarum originem aperiam quam ut emendem.

Cap. 17 sub fin. haec legimus: *proximo quidem congiario ipsi vidistis plerosque senes, qui se a divo quoque Augusto semel atque iterum accepisse congiarium narrabant.* Huius sententiae et gravitas et venustas deleta *quoque* particula sine dubio augetur. Sed tamen quoniam illa aliquam saue habet explicationem nec satis, unde irrepserit, intellegitur, non contendo eam tollendam esse, praesertim cum etiam aliud quiddam non inepte conici videatur. Nihil enim displiceret, si haec in libris scripta essent: *qui se a Gaio non modo et Tiberio, sed a divo*

oratores primae Demostheni tribuuntur, proximum *a u t e m* *locum Aeschines et Hyperides et Lysias et Lycurgus optinent, omnium autem consensu haec oratorum aetas maxime probatur, sic apud nos* e. q. s. Duplex enim *autem* particula tantae offensioni est, ut unum hoc quaeratur, utro loco eam deleri oporteat. Delenda est autem priore loco, quo sine ulla particula optime ac iucundissime fluit oratio, cum posteriore abesse prorsus nequeat. Ceterum in editionibus omnibus ex Lipsii emendatione hoc loco legimus *et Brutus suo iure* e. q. s., cum in codicibus verborum *suo iure* loco scriptum sit *si uere,* cui in Perizoniano a correctore superscriptum est *si iure.* Unde facilius eruitur *iure* quam *suo iure*: nam *s* littera post extremam antecedentis vocabuli litteram errore iterata est. Perizoniani autem correctio utriusque litterae *s* et *i* geminatione nata esse videtur.

Sed ut redeamus ad glossemata, in quibus resecandis nunc versamur, prorsus similem eius quem modo tractavimus locum repperisse mihi videor c a p. 6 in. Hoc loco Aper eloquentiam summis laudibus ornans *ad voluptatem* inquit *oratoriae eloquentiae transeo, cuius iucunditas non uno aliquo momento, sed omnibus* *p r o p e* *diebus ac prope omnibus horis contingit.* Ibi nemo in adverbio *prope* bis posito offendit, de quo, quantum ego sapio, prorsus idem iudicandum est, quod de duplici *autem* particula illo cap. 25 loco Ritterus iudicavit, nisi quod eo de quo agimus loco aliud quiddam accedit. Nam logicam rationem nimia audacia neglegit, qui aliquid et plerisque (i. e. non omnibus) diebus et prope omnibus horis evenire dicit. Quippe etiam in eis gradationibus, quae rhetorico more iunguntur, aliqua veri similitudo vel, si hoc magis placet, veri species tuenda est inque primis hoc curandum, ut singula gradationis membra concinnitatis vinculo nectantur. Quae quidem ab hoc loco abest: neque enim debebant diei et horae notiones, quae diversissima temporis spatia significant, eodem vocabulo quasi artioribus finibus circumscribi. Quare sic scribendum est: *sed omnibus diebus ac prope omnibus horis contingit.*

3.

Iam transeundum est ad ea glossemata, quae hoc nomine re vera digna sunt, qualia haud pauca offendis in hoc libello, et nonnulla quidem de quibus nullus dubitationi locus sit. In horum numero habendum est *oderunt* vocabulum, quod Heumannus delevit c a p. 23 a. m.: *qui rhetorum nostrorum commentarios fasti-*

diunt oderunt, Calvi mirantur. Nec minus recte Nipperdeius Mus. Rhen. vol. XIX p. 573 delevit verba *et invidere* cap. 25 sub fin.: *credo solitos et invidere et livere et ceteris humanae infirmitatis vitiis affici.* Deinde cap. 28 sub fin., ubi haec leguntur: *sic Corneliam Gracchorum, sic Aureliam Caesaris, sic Atiam Augusti matrem praefuisse educationibus ac produxisse principes liberos accepimus,* Sauppium secuti (Philol. vol. XIX p. 262) *matrem* tollimus. Ita enim id efficitur, ut genetivi *Gracchorum Caesaris Augusti* e voce *educationibus* pendeant, quae, nisi adiungitur genetivus, non satisfacit sententiae. Ne hoc quidem videtur in dubitationem vocari posse, quin cap. 10 extr. verba *ex his* e glossemate nata sint, quamquam quomodo totus locus sanandus sit admodum dubium est.

Similiter de eis iudico quae Aper dicit cap. 10 a. m.: *neque hunc meum sermonem sic accipi volo, tamquam eos, quibus natura sua oratorium ingenium denegavit, deterream a carminibus.* In his *sua* pronomen communi cogitandi ac dicendi rationi repugnat. Neque enim sua quemque natura aut indoles facultate aliqua aut ingenio ornat, sed alma illa, quam omnium animalium matrem appellare solemus, natura, quae singulis bona sua distribuit et suam cuique dat indolem atque ingenium. Res conficitur exemplis, e quibus numquam non firmissimum praesidium petitur. Apud Ciceronem enim legimus pro Quinctio 2, 8: *cui summam copiam dicendi natura largita est*; de orat. I, 29, 132: *quae quibus a natura minora data sunt*; II, 29, 126: *ut ei nihil neque a natura denegatum neque a doctrina non delatum esse videatur*; apud Ovid Her. 15, 31: *Si mihi difficilis formam natura negavit, Ingenio formae damna rependo meae.* Quare nescio an eo de quo agimus loco delendum sit pronomen possessivum. Unde tamen irrepserit, non audeo affirmare; nec vero id potius ago, ut corruptelarum originem aperiam quam ut emendem.

Cap. 17 sub fin. haec legimus: *proximo quidem congiario ipsi vidistis plerosque senes, qui se a divo quoque Augusto semel atque iterum accepisse congiarium narrabant.* Huius sententiae et gravitas et venustas deleta *quoque* particula sine dubio augetur. Sed tamen quoniam illa aliquam sane habet explicationem nec satis, unde irrepserit, intellegitur, non contendo eam tollendam esse, praesertim cum etiam aliud quiddam non inepte conici videatur. Nihil enim displiceret, si haec in libris scripta essent: *qui se a Gaio non modo et Tiberio, sed a divo*

quoque Augusto semel atque iterum accepisse congiarium narrabant. Quae si scripsit auctor huius libelli, oculi librarii a verbis *se a Gaio* ad verba *sed a divo* aberraverunt. Sed hoc quoque dubium esse ingenue confiteor.

Deinde cap. 18 med., ubi Aper suorum temporum eloquentiam defendit, haec leguntur: *hoc interim probasse contentus sum, non esse unum eloquentiae vultum, sed in illis quoque, quos vocatis antiquos, plures species deprehendi, nec statim deterius esse quod diversum est; vitio autem malignitatis humanae vetera semper in laude, praesentia in fastidio esse. num dubitamus inventos, qui prae Catone Appium Caecum magis mirarentur?* Totius huius loci sententia, quam Orellius aliique editores non perspexerunt, haec est, ut communis illa sententia, qua vetera semper in laude, praesentia in fastidio esse dicuntur, exemplis ex historia eloquentiae Romanae petitis comprobetur. Itaque quoniam praesentia in fastidio esse Aper ait, Catonis temporibus fuisse dicuntur, qui prae Catone Appium Caecum magis mirarentur, i. e. multi Catonis aequalium Appium Caecum priscorum temporum oratorem Catoni praeferebant. Itaque recte Nastius: 'können wir zweifeln, dass es zur Zeit des alten Cato Leute wird gegeben haben, denen Appius der Blinde besser gefiel als ihr Zeitgenosse?' Iam de scriptura dicendum est. In libris est *qui pro Catone*, quod, ut recentiorum editorum verbis utar, correxit Groslotius scribens *prae Catone*. Ego tantum abest ut hanc coniecturam correctionis nomine dignam esse putem, ut ea depravatam librorum scripturam etiam magis depravari censeam. Quod in libris est, ferri non posse concedimus, quoniam *pro* significat illos homines Catonem omnino non miratos, *magis* autem, eos Catonem minus quam Appium Caecum miratos esse. Sed Groslotii coniectura intolerabilis efficitur *magis* adverbii pleonasmus. Eadem enim comparativi notio, quae inest in eo vocabulo, *prae* praepositione satis superque significata est. Quid? quod Osannus illam coniecturam eis confirmare sibi videtur, quae leguntur Cic. II Verr. 13: *res haec est ita populo grata, ut ipse consul in hac causa prae me minus etiam quam privatus esse videatur.* Quodsi *magis* sustulerimus, efficiemus haec: *num dubitamus inventos qui pro Catone Appium Caecum mirarentur,* prorsus similia illa quidem eis quae cap. 23 p. in. leguntur: *qui Lucilium pro Horatio et Lucretium pro Vergilio legunt.* Qui locus nostram scripturam melius tuebitur

quam librorum memoram Sophoclis versus Trach. 577 a Doederlino huc adscitus.

Cap. 20 in. in libris haec scripta sunt: *praecurrit hoc tempore iudex dicentem et nisi aut cursu argumentorum aut colore sententiarum aut nitore et cultu descriptionum invitatus et corruptus est, aversatur dicentem.* Quod in fine sententiae molestum in modum, quamvis multa interiecta sint, repetitur *dicentem,* delendum est, id quod ante me Schelium intellexisse postea vidi. Sic etiam hoc efficitur, ut illud vocabulum, quo summa oratoris a proposita re digredientis poena significatur, cum gravitate et pondere quodam in fine totius sententiae collocetur.

Cap. 26 med. Mesalla de Cassio Severo, quem Aper iudicio et intellectu se ad aliud dicendi genus contulisse praedicavit, haec dicit: *equidem non negaverim Cassium Severum — si iis comparetur, qui postea fuerunt, posse oratorem vocari, quamquam in magna parte librorum suorum plus vis habeat quam sanguinis.* Ibi *vis,* quod a plerisque recentiorum editorum servatum esse miror, depravatum esse non solum huius genetivi insolentia, sed etiam res ipsa eaque, quae Quintilianus et Tacitus de hoc oratore tradunt, luculentissime demonstrant. Denique quam inepte inter se opponantur vis ac sanguis, vel ea demonstrant quae in Cic. Orat. 23, 76 leguntur: *etsi enim non plurimi sanguinis est, habeat tamen sucum aliquem oportet, ut, etiamsi illis maximis viribus careat, sit, ut ita dicam, integra valetudine.* Requiritur autem aliquod vocabulum, quod acerbitatem huius oratoris propriam eadem imagine significet, qua sanguis ei defuisse dicitur. Non sat probabiliter coniecerunt *irae* Gronovius, *puris* Schurzfleischius, *fellis* Peerlkampius: probabilius *viri* Luenemannus, quod in textu posuit Michaelis (conf. Cic. Lael. c. 23. Sil. Ital. IX, 476. XI, 560. Mart. 13, 2). Ipse *bilis* conieci, quod etiam Wopkensio ante me in mentem venit: atque hauscio an haec scriptura Luenemanni coniecturae praestet (cf. Plin. Ep. IV, 11, 2. VI, 8, 8). — Dein paucis interiectis haec secuntur: *ceterum, ut dixi, sequentibus comparatus et varietate eruditionis et lepore urbanitatis et ipsarum virium robore multum ceteros superat, quorum* c. q. s. Sanae rationi repugnant haec: *sequentibus comparatus — ceteros superat*: 'mit seinen Nachfolgern verglichen ist er den andern weit überlegen' vel 'gegenüber den Späteren steht er weit über den andern' (sic Rothius et Teuffelius, inepte scilicet, sed codicum potius quam sua culpa). Dici debebat aut *sequentibus comparatus* —

multum eos superat, aut *multum ceteros superat.* Atque tamquam revera *eos* potius quam *ceteros* legerit, Nastius ita hunc locum vertit: 'übrigens übertrifft er, wie gesagt, in Vergleichung mit seinen Nachfolgern an mannigfaltiger Wissenschaft, an echtem Weltton und selbst an innerer Stärke dieselben ungemein'. *ceteros* autem non sollicitandum esse docet illud quod sequitur enuntiatum relativum. Qua de causa verba *sequentibus comparatus* ab interpolatore inserta et uncis includenda esse existimo. Meminit enim hic eorum quae supra exscripsimus: *si iis comparetur qui postea fuerunt.* Quamquam in ipsis verbis nihil inest, quod huius scriptoris dicendi generi repugnet: nam *sequentes* eidem homines paullo infra appellantur. Praeterea conferas quae cap. 18 in. leguntur: *sic Catoni seni comparatus C. Gracchus plenior et uberior.* Sed nonne permulta eaque certissima glossemata ita comparata sunt, ut forma eorum nihil praebeat offensionis?

Postquam Messalla exposuit, mutata rei publicae forma etiam eloquentiae vim et oratorum auctoritatem aut augeri aut imminui, cap. 38 in: *transeo* inquit *ad formam et consuetudinem veterum iudiciorum, quae etsi nunc aptior est veritati, eloquentiam tamen illud forum magis exercebat* e. q. s. At de veteribus iudiciis non plura dicit quam quae hoc ipso capite comprehenduntur: nam extremis huius capitis verbis transitum parat ad formam et consuetudinem recentiorum iudiciorum enarrandam, de quibus iam disseritur usque ad capitis 39 finem. Itaque in eo offendo, quod Messalla, cum et de veterum et de suae aetatis iudiciorum forma et consuetudine dicturus et utriusque aetatis iudicia inter se comparaturus sit, eo de quo agimus loco ad veterum tantum iudiciorum formam et consuetudinem transire se dicit. Huc accedit aliud, quod etiam maiori offensioni est. Nam forma et consuetudo veterum iudiciorum cum nunc aptior veritati esse dicitur, hanc sententiam contra se ipsam pugnare nemo negabit. Ratio enim grammatica vetat ad explicandum *quae* pronomen ex verbis quae sunt *ad formam et consuetudinem veterum iudiciorum* assumi haec: *ad formam et consuetudinem iudiciorum,* ut difficultatem celaverit Teuffelius ita vertens: 'ich gehe weiter zu der Gestaltung und Sitte der Gerichte in der früheren Zeit. Mag diese in der Gegenwart auch sachgemässer geworden sein' e. q. s. Nihilo minus hanc rationem omnes editores tacite videntur secuti esse. Utramque autem offensionem deleto vocabulo *veterum* removebis. Haec

igitur vox aut ab interpolatore adiecta est, qui hunc scriptorem in eis quae proxime secuntur de veterum iudiciorum forma et consuetudine loqui perspexit, aut ex dittographia ita nata, ut posterior antecedentis vocis *consuetudinem* pars per errorem bis scriberetur.

4.

Graviorum interpolationum haec in promptu sunt exempla.

Cap. 19 Aper ea enumerat, quae olim homines in oratore maxima laude digna existimaverint, his verbis usus: *iam vero longa principiorum praeparatio et — quidquid aliud aridissimis Hermagorae et Apollodori libris praecipitur, in honore erat; quod si quis odoratus philosophiam videretur atque ex ea locum aliquem orationi suae insereret, in caelum laudibus ferebatur.* In his quamquam perversi aut inepti nihil inest, tamen minus eleganter atque adeo moleste dicta sunt haec: *atque ex ea locum aliquem orationi suae insereret,* quibus arido ac frigido dicendi genere repetitur, quod eis quae antecedunt, *si quis odoratus philosophiam videretur,* elegantissime dictum est. *odorari philosophiam* non multa habet exempla, qua de causa huic locutioni explicatione opus esse homo doctior aliquis putavit. Nec excusatur prodita in libris scriptura summa illa, quam dicunt huius libri propriam esse, copia dicendi: neque enim ullus elegans scriptor, quae exquisitius dicta sunt, eadem statim tenui annalium sermone iterat. Itaque pro genuinis haec tantummodo habenda sunt: *quodsi quis odoratus philosophiam videretur, in caelum laudibus ferebatur.*

Cap. 38 in. de antiquorum temporum foro haec dicit Messalla: *in quo nemo intra paucissimas horas perorare cogebatur et liberae comperendinationes erant et modum dicendi sibi quisque sumebat et numerus neque dierum neque patronorum finiebatur.* Non omnibus huius enuntiati membris novi aliquid affertur: nam verba *in quo nemo intra paucissimas horas perorare cogebatur* idem significant quod postea verbis *et modum dicendi sibi quisque sumebat* dicitur. Quare haec verba, quippe quae propius ad quotidianum dicendi genus accedant quam priora illa, interpolatori tribuenda esse tamquam explicationis gratia adscripta conici potest. Sed quoniam eorum, quae et antea et postea leguntur, vis ac sententia illis de quibus agimus verbis non infringitur et aliqua certe copia dicendi hunc scriptorem delectari negari non potest, rem in medio relinquo. Quodsi tamen haec

verba sustuleris, apte comparabitur Plin. Ep. VI, 2, 6: *quae* (i. e. leges) *tot horas, tot dies, tot comperendinationes largiuntur.*

Cap. 39 medio de suae aetatis iudiciis haec dicit Messalla: *ipsam quin immo curam et diligentis stili anxietatem contrariam experimur, quia saepe interrogat iudex quando incipias, et ex interrogatione eius incipiendum est; frequenter probationibus et testibus silentium patronus indicit.* Vocabulo *patronus* quid fiat admodum dubium est, sed nihil hoc ad nos. Mihi enim offensioni sunt verba *ex interrogatione eius incipiendum est*, quae deleri velim: sententiarum enim seriem turbant. Nam verba *frequenter — indicit,* quae sine ullo vinculo superioribus quasi adglutinantur, rursus de iudice dicuntur (nam de patrono non possunt dici), ad quem pertinent verba *quia saepe interrogat iudex quando incipias.* Praeterea per se intellegitur ex interrogatione iudicis incipiendum esse, quippe qui (cap. 19) vi et potestate, non iure aut legibus cognoscat nec accipiat tempora sed constituat e. q. s. Scribendum est igitur, ut uno tenore fluat oratio: *quia saepe interrogat iudex, quando incipias, et frequenter probationibus et testibus silentium † patronus indicit.*

Cap. 41 extr. Maternus eam orationem, quam de eloquentia ex malis hominum moribus nata habuit, his praeclaris verbis claudit: *credite, optimi et in quantum opus est disertissimi viri, si aut vos prioribus saeculis aut illi quos miramur his nati essent, ac deus aliquis vitas ac vestra tempora repente mutasset, nec vobis summa illa laus et gloria in eloquentia neque illis modus et temperamentum defuisset.* Hic verbis quae sunt *ac deus aliquis vitas ac vestra tempora repente mutasset* nihil aliud nisi quod eis quae antecedunt significatur: *si — essent.* Haec autem tam perspicua sunt, ut causa non inveniatur cur scriptor eandem sententiam etiam pluribus illustrandam esse putaverit. Deinde in prioribus verbis nihil est quod vituperes, in posterioribus complures insunt offensiones. Primum omnibus displicuit collocatio verborum *vitas ac vestra tempora.* Itaque Bekkerus scribi iussit *vitas vestras ac tempora*, Haasius *vitas ac tempora vestra*, Weinkauffius dissert. I p. 36 *vitas vestras ac vestra tempora*, Ritterus *vestras vitas ac vestra tempora.* Sic sane tollitur primum illud vitium; mox autem non satis commode explicari poterit pronomen possessivum. Nam et illis verbis *si aut vos prioribus saeculis* et his *nec vobis summa illa laus* ceteros qui adsunt Maternus compellat; itaque vix posse fieri videtur quin pronomine *vestra*

eosdem alloquatur. At ita parum dicitur: Maternus enim non solum de Apri Secundi Messallae, sed etiam de antiquorum mutatis temporibus loquitur. Itaque si *vestra* pronomine eosdem compellat Maternus quos pronominibus *vos* et *vobis* alloquitur (quam interpretationem concinnitate commendari nemo negabit), verbis *ac deus aliquis vitas ac tempora vestra repente mutasset* non tota illa quae praecedit sententia illustratur, sed prior tantum pars, quae quidem continetur verbis *si aut vos prioribus saeculis* (*nati essetis*). Sin pronomine *vestra* non solum Aper Secundus Messalla, sed etiam antiqui significantur (cui explicationi sententia favet), concinnitas dicendi tollitur, cum *vestra* pronomine alii sive plures significentur quam pronominibus *vos* et *vobis*. Postremo inter duas huius sententiae hypotheticae partes haec quoque discrepantia intercedit, quod in priore de alterius utrius aetatis (id quod significant particulae *aut — aut*), in posteriore de utriusque aetatis mutatione sermo est. Itaque non solum abundant illa de quibus dicimus verba, sed etiam complures habent offensiones. Quare verba *ac deus aliquis vitas ac vestra tempora repente mutasset* interpolatori tribuo, nec quidquam tibi in ea scriptura displicebit, quae iam deleto illo posterioris alicuius additamento evadit: *si aut vos prioribus saeculis aut illi quos miramur his nati essent, nec vobis summa illa laus et gloria in eloquentia neque illis modus et temperamentum defuisset*, praesertim si cognoveris, quam egregie in hac scriptura invicem sibi respondeant singulae protasis et apodosis partes.

Sub finem cap. 31 de antiquis oratoribus haec dicuntur: *ideoque* (i. e. ut sapientis nomine quam maxime digni evaderent) *et iuris civilis scientiam veteres oratores comprehendebant et grammatica musica geometria imbuebantur.* Honesta profecto et idonea causa, cur etiam eis artibus pectora implerent, quae ad munus oratorium ipsum non videbantur pertinere. Nihilo minus harum artium colendarum protinus alia causa affertur haec: *incidunt enim causae plurimae quidem ac paene omnes, in quibus iuris notitia desideratur, pleraeque autem, in quibus haec scientia requiritur.* Ibi *pleraeque* emendavit altera Perizoniani manus: in libris est *plerumque,* praeterea in Farnesiano *haec quoque scientia.* Vides hanc prorsus aliam causam esse atque eam quae supra particula *ideo* significata est. In quo primum hoc offendit, quod posterior haec causa nulla particula priori tamquam nova adnectitur. Deinde ambigi nequit, utra causa totius loci naturae

accommodatior sit. Neque enim de eis artibus Messalla loquitur, quarum scientia oratori in agendis causis quotidie opus est, sed de omnium rerum scientia et plurimis artibus et multa eruditione, e qua cap. 30 extr. exundare et exuberare dicit illam admirabilem eloquentiam. Ex quo efficitur eam causam, quae particula *ideo* significatur, sententiae Messallae esse multo accommodatiorem quam posteriorem. Cuius enuntiati forma quoque ea est, ut ab scriptore Dialogi vix credi possit esse profectum. Nam si accurate haec spectaveris: *incidunt enim causae plurimae quidem ac paene omnes, quibus — desideratur, pleraeque autem, in quibus — requiritur,* intelleges hoc loco ea incidere dici, quae plerumque et fere semper eveniunt. Postremo molestissima sunt extrema verba, sive *haec scientia* sive *haec quoque scientia* scripseris. His enim verbis grammaticam musicam geometriam significari nemo intelleget nisi qui accurate totius loci nexum perpenderit. Tam et frigida haec sunt et obscura, ut elegantissimo Dialogi scriptori non possint tribui. Itaque genuina haec tantum reliqua sunt: — *et grammatica musica geometria imbuebantur. nec quisquam respondeat sufficere ut ad tempus simplex quiddam et uniforme doceamur.*

Similiter de eis sentiendum est, quae cap. 24 extr. leguntur, quamquam hoc loco paullo minus confidenter iudicare tutum erit. Maternus enim Messallam hortatur, ut missa laudatione antiquorum memor potius promissi causas expromat, cur in tantum ab eloquentia eorum recesserit aetas recentior, his verbis usus: *igitur exprome nobis non laudationem antiquorum (satis enim illos fama sua laudat), sed causas, cur in tantum ab eloquentia eorum recesserimus, cum praesertim centum et viginti annos ab interitu Ciceronis in hunc diem effici ratio temporum collegerit*: (quae spectant ad cap. 17, ubi Aper dixit: *centum et viginti anni ab interitu Ciceronis in hunc diem colliguntur*). Itaque eam rem, de cuius causis per reliquam Dialogi partem paene totam accuratissime disseritur, multo magis miram et dignam quaestione evadere dicit eo, quod secundum Apri computationem inter Ciceronis mortem et illum ipsum diem non plus quam centum et viginti anni intercedant, ut recte F. A. Wolfius *praesertim* propter ipsam paucitatem annorum adiectum dicat. Huic tamen sententiae ea quae in libris sunt minime respondent. Primum enim non prorsus apte hoc enuntiatum particulis *cum praesertim* superioribus adiungitur. Nam cum rei insolentia temporum computatione

augeri dicatur, verba *cum praesertim* c. q. s. referas necesse est ad aliquam sententiam qua insolentia rei significetur. At eiusmodi sententia in eis quae libri produnt desideratur, ut cogitatione adsciscenda sit velut in hunc modum: *sed causas cur in tantum ab eloquentia eorum recesserimus [id quod quaestione dignissimum est*, vel: *id quod insolentissimum debet videri], cum praesertim* c. q. s. Eiusmodi aliquid etiam Ernestius sensisse videtur, qui ad verba *cum praesertim* adnotat: 'frigida ratio haec'. Ad hanc autem primam offensionem alia accedunt, quae ipsa tam gravia sunt, ut de origine huius loci dubitatio aliqua oriatur. Ea enim notio, in quam summa vis sententiae cadit, nullo vocabulo significatur. Nimirum dictum non est, n o n p l u r e s quam CXX annos inter Ciceronis mortem et hunc diem intercedere, id quod significari oportuit, quoniam brevitate demum intervalli mira insolensque evadit recentiorum oratorum a veteribus differentia. Itaque deest mea sententia aliquod vocabulum quale est *vix* vel *tantum*. At hanc notionem ex latini sermonis consuetudine saepissime supprimi dicunt, ubi nostrae linguae ratio eam vix unquam omitti patiatur. Et sic F. A. Wolfius, cum eo de quo agimus loco *tantum* subaudiri dicit. Verum solet eadem illa notio aut in ipsis vocabulis latere aut pronuntiatione significari, id quod in hunc locum non cadit. Ernestius igitur *tantum* vel *modo* excidisse dicit: potuit addere *vix*. Sed vide num omnino eo loco emendatione utendum sit, qui tot tantasque praebeat offensiones. Nondum enim omnia exhausta sunt quae in illo displiceant. Nam primum prorsus caret exemplis horum vocabulorum coniunctio: *ratio temporum collegerit*. Conferre solent nostrum 'die Berechnung der Zeit hat ergeben': sed ita nihil proficitur. Parum feliciter me iudice *ratione temporum collegerit* proposuerunt Fr. Iacobus et Ernestius, qui verba *ratio temporum collegerit* sibi non valde placere fatetur; at ita Apri nomen ipsum addi oportebat, id quod supra p. 152 sq. demonstrasse mihi videor. Eaque fortasse causa fuit, cur Schultingius coniceret *ratione temporum Aper collegerit*, sed in tantum idem a prodita scriptura discedens, ut verum vidisse credi non possit. Ac ne Halmio quidem assentiere, qui Farnesiani scripturam, in quo est *colligitur*, praeferens haec proposuit: *ratione temporum colligatur*. Sed ut hanc offensionem emendando tolli posse concedamus, quemadmodum eam, quam alteram protulimus, inserta *vix* particula removeri posse concessimus: nulla mutatione levabitur molestissima illa verborum copia,

qua CXX annos ab interitu Ciceronis in hunc diem effici ratio temporum collegisse dicitur. Atqui simplicissima locutio in promptu erat. Plinius: *ad quos a regno Numae colliguntur anni DXXXV*; Tacitus: *ducenti ferme et decem anni colliguntur*, et is ipse in quo versamur scriptor cap. 17 med.: *centum et viginti anni ab interitu Ciceronis in hunc diem colliguntur*. Itaque eo quoque de quo agimus loco, ut nunc non curemus *ratio* vocabulum tamquam personam positum, ex omnium scriptorum consuetudine dicendum erat: *centum et viginti annos ab interitu Ciceronis in hunc diem ratio temporum collegerit*. Postremo vide quam accurate ea, quae cap. 17 legimus, hoc loco aut eisdem aut simillimis vocabulis repetantur. Hanc ipsam verborum similitudinem, quam de tempore, quo hic de corruptae eloquentiae causis sermo habitus sit, testimonio esse putant, eo nos adducit ut, num illud quod cap. 17 legimus testimonium hoc capitis 24 loco revera confirmetur, dubitemus, quippe qui ab auctore huius libelli omnino scriptus non sit. Atque si postea adscripta esse haec verba statuerimus, etiam particulae *vix* vel *tantum* omissio, de qua ante diximus, explicari poterit. Interpolator enim Apri illa verba, quae cap. 17 exstant, tam auxie imitatus est, ut eiusmodi particulam immutata sententia requiri ne sentiret quidem.

Itaque demonstrasse nobis videmur in eis quae cap. 24 extr. leguntur quinque inesse offensiones. Primum hic locus eis quae praecedunt ita tantum recte adiungitur, ut in confiniis utriusque sententiae aliquid mente subaudiatur; deinde ut intellegatur, qua sententia positus sit annorum numerus, desideratur *vix* vel *tantum*; porro *ratio temporum collegerit* exempla non habet; quo accedit vocis *effici* molestissima abundantia; postremo totus locus eius qui cap. 17 legitur tam similis est, ut ad exemplum illius loci confictus esse videatur. Quibus de causis totum locum interpolatori tribuere vix dubitarem, nisi sententia quae his verbis exprimitur in omnem illius conexum optime quadraret. Quod quoniam concedendum est, rem in medio relinquo, omnia significasse contentus quae eo in loco nemini non offensioni erunt.

Index locorum tractatorum

ACTA

SOCIETATIS PHILOLOGAE LIPSIENSIS

EDIDIT

FRIDERICVS RITSCHELIVS

TOMVS I

LIPSIAE
IN AEDIBVS B. G. TEVBNERI
MDCCCLXXII

ACTA

SOCIETATIS PHILOLOGAE LIPSIENSIS

EDIDIT

FRIDERICVS RITSCHELIVS

TOMI PRIMI FASCICVLVS II

LIPSIAE

IN AEDIBVS B. G. TEVBNERI

MDCCCLXXII

ACTA

SOCIETATIS PHILOLOGAE LIPSIENSIS

EDIDIT

FRIDERICVS RITSCHELIVS

TOMVS I

LIPSIAE
IN AEDIBVS B. G. TEVBNERI
MDCCCLXXII

ACTA

SOCIETATIS PHILOLOGAE LIPSIENSIS

EDIDIT

FRIDERICVS RITSCHELIVS

TOMI PRIMI FASCICVLVS II

LIPSIAE
IN AEDIBVS B. G. TEVBNERI
MDCCCLXXII

LIPSIAE: TYPIS B. G. TEVBNERI

Alteri horum Actorum fasciculo non habeo quod praemittam nisi pauca haec quae subieci ad fasciculum priorem spectantia.

Ac primum quidem de Isigoni Nicaeensis 'rebus mirabilibus' e codice Vaticano ab Ervino Rohdio p. 35 sqq. in lucem protractis ipse nuper editor denuo disputavit in Fleckeiseni Annalibus t. CIII p. 577 sqq. Vbi Detlefseni monitu docuit et quaedam capita, ut 41—43 et 62—67, non suam nunc sedem tenere, et illa potissimum quae a 45 ad 61 leguntur, valde ea congruentia cum Nicolai Damasceni narratiunculis ab Ioanne Stobensi excerptis, suo quodam continuo ordine eoque geographico disposita esse, repetenda autem ex aliquo rerum scriptore videri, quem ille fuisse Ephorum ratiocinatur. — De 'Splenio' autem, cuius περὶ γενέσεως ἀνθρώπου commentariolum ex eodem codice Vaticano Rohdius tamquam in transcursu publicabat in ima parte paginae 28, acer ei atque adeo iusto acerbior adversarius Ludovicus Dindorfius exstitit in eisdem illis Annalibus p. 330 sqq.: ubi non modo persimilia iam esse in Ioannis Laurentii Lydi de mensibus libris vulgata ostendit, sed ipsum Σπλήνιος nomen ridiculo errore natum esse e 'C. Plinius' valde speciosa coniectura (quam tamen iam Lambecius praeierat) adseveravit: succurritque fratri fratris Guilelmi doctrina ibidem p. 580 sq. Quibus quae argumenta quamque ratiocinationem Rohdius opponat, ex ipsius verbis p. 578 perscriptis intellegetur.

In 'Quaestionibus Fulgentianis' Aemilius Iungmannus ipsius Fulgentii verba Mythol. praef. p. 6 ed. Munck., quibus *Galagetici impetus* memorantur, ita tractavit p. 51 sqq., ut *Gallogetici* substitui iuberet cum Salmasio: nomine explicato quidem aliquo modo, sed tamen non satis vel firmato vel

probabili, ut visum est Martino Hertzio in Fleckeiseni Annalibus t. CIII p. 273. Itaque is monstrum illud nominis e tali

ge

potius dittographia ortum esse suspicatur: *galatici* (vel fortasse *galagetici*), unde in unum conflatis et librarii errore et correctoris emendatione prodiisse *galagetici* scripturam. Aliam viam ingressum constat Lucianum Muellerum eorundem Annalium t. XCV (a. 1867) p. 794 *Gallaeci* vel *Gallaecici* nomen commendasse.

A Guilelmo Roschero in 'Satura critica' tractatus p. 93 sq. Q. Ciceronis versiculus praeter Buecheleri ipsiusque Roscheri emendationes tertiam quandam expertus est, quam in Diariis gymnasiorum Austriacorum t. XXI p. 826 Iac. Maehlyus proposuit: *Tanta supra circaque vigent tibi lumina mundi.*

De Taciti dialogo, qui est de oratoribus, utiliter in scholis tractando Georgium Andresenum vidi nuper perbene disserentem in aliquo fasciculo Diariorum gymn. Berolinensium (ipsam enim commentationem non habeo mecum communicatam). Qui quod in his Actis p. 173 sq. capitis 26 medii verba, qualia codices exhibent *plus uis habeat quam sanguinis,* substituto pro *uis* non *irae* nec *puris* nec *fellis* nec *uiri*, sed *bilis* sanari sibi persuasit, nunc ipse viderit num forte magis placeat ab Alfredo Schoenio Musei Rhenani t. XXV (a. 1870) p. 640 ex *plusuishabeat* erutum *plus suci habeat.*

Scr. Lipsiae m. Oct. a. MDCCCLXXI.

INDEX COMMENTATIONVM
TOMI PRIMI

QUAESTIONES SALLUSTIANAE

MAXIME AD LIBRUM VATICANUM 3864 SPECTANTES

SCRIPSIT

ALFREDUS WEINHOLD

DRESDENSIS

Sallusti editionem perfecto absolutoque apparatu critico instructam, qualis ab omnibus quorum in hac re iudicium est requiritur, etiamnunc desiderari inter viros doctos constat[1]). Ex qua inopia etiam hoc sequitur, ut, quae ratio inter singulos libros manu scriptos intercedat, plane diiudicari nondum possit. Quamquam minime abnuerim omnes, qui in libris Sallustianis legendis explicandis emendandis versantur, summam gratiam debere Henrico Iordano, qui Sallusti Catilinae, Iugurthae, orationum et epistularum ex historiis excerptarum nitidissimum exemplar anno h. s. sexagesimo sexto prodire iussit. Nec mehercule reticere nunc possum, sperare me fore ut, quam primum fieri possit, hic vir doctus maiorem editionem ea qua insignis est accuratione diligentiaque paratam in publicum emittat. Quod dum spero, non abs re fore putavi de nonnullis rebus, in quibus ab Iordano aliisque viris doctis dissentirem, sive de librorum scripturis vere aestimandis aliam sententiam ferendam esse censerem sive putarem locis quibusdam coniectura subveniendum esse, accuratius disputare. Cum autem multa in hac artis criticae Sallustianae parte sint, de quibus disserere operae pretium sit, tum satis ampla dignaque illa mihi quaestio videtur, quae quantaque auctoritas libro Vaticano 3864 (= *V*) tribuenda sit, de cuius fide novissimis temporibus longe aliter atque antea iudicari coeptum est; post quam disputationem nonnulla proferam, quae cum omnino in libris manu scriptis non recte prodantur, a viris doctis vel prorsus intacta relicta vel non satis evidenter emendata sunt.

Iam autem primum et pium et utile videtur eos viros doctos commemorare, qui de codice *V* sententias protulerunt. Quo-

1) cf. Dietschium ed. a. 1859 praefat. p. VIII magna profecto cum modestia haec scribentem: 'incohata potius quam perfecta me proferre sentio'; item in Commentat. cap I p. 12: 'disputatio (de librorum mscr. origine) ad certum finem iam adduci non potest, quoniam nondum omnes codices diligenter explorati sunt'. Adde Iordanum Herm. vol. I p. 229: 'von einer abschliessenden Bearbeitung sind wir weit entfernt'.

rum in numero primus est C. L. Rothius. Is enim Museo Rhenano[2]) disputationem inseruit, qua et ad libros Sallusti manu scriptos examinandos atque in quasdam classes distribuendos primus impulit et ipse lineamenta quaedam huius divisionis designavit: quae distinguendi ratio, quamvis eam mox ipse non esse veram intellexerit[3]), initii tamen et rationis ac iudicii laude etiamnunc digna est. Hac autem in dissertatione ille primus statuit in scriptis Sallustianis edendis praecipuam libri Vaticani rationem habendam esse[4]). Neque aliter iudicavit Linkerus, qui Vaticanum in orationibus et epistulis recensendis constanter secutus est, quamvis ipse in praefatione p. VI extr. fateatur: 'et fortasse magis etiam sequi debebam'. Quocum consentit Dietschius, qui etiam accuratius de libro *V* disputavit[5]): is vero illius scripturas saepissime in verborum ordinem recepit omninoque hanc artis criticae legem sibi scripsit ut, ubi neque sensus neque sermonis recti et integri leges obstarent, Vaticanum ducem atque auctorem sequeretur. Neque vero hoc solum Dietschius l. s. s. proposuit, sed etiam, quae ratio inter librum *V* et codices primae familiae intercederet, his verbis significavit: 'Vaticanum ante omnia ad examinandam reliquorum librorum fidem adhibendum esse nemo infitiabitur'. Quae disputatio ex parte laudem Woelfflini tulit[6]): cui tamen id esse vituperandum visum est, quod Dietschius non tanta quanta opus esset consilii constantia libri *V* scripturas recepisset eundemque quod ad examinandam reliquorum librorum fidem adhibendum esse dixisset. Woelfflinum autem secutus est Iordanus, qui luculentissime docuit[7]) orationum et epistularum, quae ex historiarum libris manserunt, nullum fontem exstare praeter *V*, ex quo libri *B* i. e. Urbinas 411 (Vat. 2) et *C* i. e. Vat. 3415 descripti essent. Qui post hos de Sallusti libris manu scriptis disputavit Brentano[8]), de ipso Vaticano nihil novi protulit, ita ut continuo iterum nobis Iordanus appellandus sit. Atque hic quidem docere studuit[9]) codicem Vaticanum originem quidem duxisse e libro manu scripto satis bono ac vetusto, qui multis in rebus cum eo, ex quo Parisinus Sorbonicus n. 500 (*P*)

---

2) Mus. Rhen. vol. IX p. 129—135. 3) ibid. p. 630. 4) ibid. p. 129 annotat. 1. 5) in ed. mai. a. 1859. Commentat. cap. I p. 11 sq.

6) Philol. vol. XVII p. 519—548, ubi v. potissimum p. 526.

7) Mus. Rhen. vol. XVIII p. 584—590.

8) 'De C. Sallusti Crispi codicibus recensendis. Diss. inaug. scr. Aemilius Brentano', ed. Francofurti a. 1864 9) Herm. vol. I p. 231—240.

aliique derivati essent, consentiret, eundem autem codicem iam antiquissimis temporibus a grammatico aliquo suopte arbitrio mutatum esse atque interpolatum. Vnde alterum quoque hoc consequi dicit, ut in arte critica factitanda eis locis, ubi Vaticanus et libri primae classis, cuius longe optimum exemplum *P* sit[10]), discrepent, Vaticani auctoritate posthabita liber *P* sit sequendus, dum modo salva sit sententia scripturaque a sermone latino non aliena. Quod iudicium valde placuit Eussnero[11]), qui illud ut solum verum praedicavit: ac Dietschius quoque, qui olim prorsus aliter de *V* senserat, meliora hac disputatione edoctum facere se non potuisse fatetur[12]), quin in locis omnibus, de quibus iudicium e fide librorum penderet, Iordani exemplum sequeretur. Novissime denique Gerlachius paucis et cautius Iordano assensus est, ut qui in iudicio, quod de Iordani et Dietschii novissima editione fecit[13]), dictu difficile esse profiteatur, quae ratio inter libros ceteros et Vaticanum intercedat, quem librum Iordanus arbitrio grammatici mutatum et corruptum esse *fortasse non sine causa* contenderit: quamquam hanc quaestionem in eis, quae postea disputavit, non est longius persecutus. Atque ego quoque, cum primum ad Sallusti libros accuratius pertractandos accessissem, hanc Iordani sententiam amplexus sum; sed iterum iterumque disputatione illa examinata et librorum scripturis in universum aestimatis vix illi assentiendum esse mihi visus sum intellegere. Ad quod iudicium quibus rationibus atque argumentis adductus sim, nunc quam paucissimis exponam.

Itaque primum de Iordani argumentis exemplisque disputan-

---

10) Aliam sententiam proposuit Io. Caspar Wirz in commentatione 'de fide atque auctoritate codicis Sallustiani qui Parisiis in bibliotheca imperiali n. 1576 asservatur', Aroviae edita a. 1867, libro Parisino 1576 maiorem auctoritatem tribuens: cuius sententiam Eussnerus non plane refutasse mihi videtur. Quamquam hanc laudabilem operam et egregium Wirzii studium iniuria despexit Gerlachius, qui rursus alium codicem optimum esse putat, Basiliensem I: ita ut, quem quisque accuratius librum inspexerit, optimum habere videatur.

11) 'Exercitationes Sallustianae scr. Adam Eussner' p. 5. Quae disputatio bis in publicum prodita est: prius in libello quo societas philologica Wirceburgensis philologos a. 1868 eo convenientes salutavit p. 158—194: iterum quattuor paginis aucta ad veniam legendi impetrandam Wirceburgi a. 1868.

12) init. praefat. edit. IV, quae Lipsiae a. 1868 prodiit.

13) Annal. Heidelb. a. 1868 p. 881—907 et a. 1869 mens. April.

dum esse videtur; tum de eis locis dicendum erit, quibus liber *V* veram scripturam servarit; tertia autem disputationis parte ei loci afferendi erunt, quibus *V* non meliorem, postremo quibus etiam deteriorem ceteris scripturam exhibeat, inquirendum autem erit, utrum hae scripturae certo grammatici consilio an errori librariorum ac stultitiae tribuendae sint. Qua quidem dispositione fieri non potest quin prima pars in refutandis et reiciendis virorum doctorum sententiis constet: qua tamen in re ne quid vitio vel superbiae a quoquam mihi vertatur precor, cum quidquid dixi veritatis studio ac litterarum amore me dixisse asseverare possim.

Ac praeter cetera illud Iordanus cum Orellio[14]) vere statuisse videtur, librum *V* ex dilectu quodam orationum et epistularum e Sallusti libris descriptarum originem ducere, cuius dilectus auctor fortasse ipse epistulas sermone Sallustiano compositas scripserit. Sed ea, quae ex harum condicione scripturaeque genere Iordanus efficere studuit, concedere non possum. Consequi enim inde ille alterum hoc putat, editori huius dilectus libros manu scriptos non mediocriter corruptos in manibus fuisse, quos ut scholarum usui apti essent emendavisset, ea quae insolita et singularia essent cum consuetis cotidianisque mutans: quod autem ad recte scribendi rationem attinet, rhetorem illum aut verba iam emendata repperisse aut ipsum restituisse. Ex quibus duo tantum nunc teneamus: unum hoc, quod Iordanus dicit elegantioris sermonis studio hunc grammaticum, quidquid mutaverit, mutavisse. Quid igitur, si saepius reperimus in Vaticano vetustiorem neque tam elegantem quam in ceteris scripturam servatam, putandumne est his locis correctorem elegantiorem dicendi rationem alio rursus consilio cum obsoletiore vel duriore mutavisse? Quid enim verbi causa de Iug. 14, 11, ubi liber *V* solus recte *non quit,* reliqui omnes *nequit,* de Iug. 31, 25, quo loco *V amittatis,* ceteri vel *omittatis* vel *obmittatis,* de Iug. 85, 23, ubi *V neque mala neque bona,* ceteri *neque bona neque mala* praebent, statuendum est? Hoc enim in genere si rationis iudiciique constantia uti voluerimus, omnino tam late patere campum illarum mutationum nobis dicendum sit, ut hanc universam de gram-

14) in Iahnii nov. annal. philol. et paedagog. vol. III (a. 1831) p. 40 sqq. et in 'Historia critica eclogarum ex Sallusti hist. libris' Turici a. 1833 edita.

matico aliquo sententiam Eussneri exemplo verbisque sic comprehendere possimus: ab ipso illo rhetore in colligendis Sallusti orationibus sermonem usui scholastico ita accommodatum esse, ut verba cum subinde eicerentur vel immutarentur, tum haud raro, quo elegantius existeret dicendi genus, transponerentur: hoc est, ut paucis complectar, nullum mutandi studium etiam alienissimo consilio susceptum ab illo homine alienum fuisse. Quod quam rationi non sit consentaneum, facile apparet. Alterum autem, quod animadvertendum esse putamus, hoc est, quod Iordanus ex epistularum illarum compositione consequi dicit, ut liber, ex quo Vaticani fons descriptus sit, iam fuerit ita correctus. Aut enim nihil in hac causa video aut Iordanus errat; nam si rhetor ille ipse in epistulis scribendis Sallustium imitabatur, certe nullo modo in eis orationibus et epistulis, quas a Sallustio ipso traditas habebat, formas Sallustianas deleturus fuerat. Multo autem magis alterum veri esse simile mihi videtur, quod saepissime factum nemo ignorat, ut imitator etiam studiosius quam scriptor ipse rariora et singularia adamavisse atque adscivisse credatur, nullo autem modo ille ipse rhetor Sallustianas formas delevisse, sed si quae in dilectu deletae erant, eas haud dubie iam ante hunc rhetorem ibi non inventas esse. Sed hanc rem, cum per se tam lubrica sit neque pro ipso fundamento esse debeat, quo innisi de librorum auctoritate iudicemus, nunc relinquamus: sufficit enim significasse certis de causis ab Iordano nos dissentire atque meliorem et simpliciorem rationem invenisse nobis videri, qua hanc rerum ad recte scribendi rationem pertinentium discrepantiam explicaremus. Omnino autem quid ab hac parte praesidii codicibus paretur, non apparet, neque id Iordanus apertis verbis demonstravit: summum enim momentum in ipsis verbis positum esse quivis videt; itaque exempla, quibus Vaticanum corruptum esse doceri Iordanus putat, accurate diligenterque examinanda sunt.

Iam primum igitur, quomodo ex Cat. 20, 7, de quo loco infra pluribus dicemus, appareat Vaticani correctorem veram scripturam turbavisse, prorsus me fugit. Nullum enim profecto argumentum hoc est: in *V boni atque strenui, nobiles et ignobiles* legi, primae autem classis libros optimos praebere *strenui boni nobiles atque ignobiles,* id quod ne Iordanus quidem ut verum agnoscit. Sin vero *strenui*, quae Iordani opinio est, e glossemate sit, difficile iudicatu est utrum rectius post *boni* vocem an ante eam id glossema in verborum ordinem irrepserit: in hac autem, quam

Iordanus rectissime detexit, verborum confusione si *et* et *atque* particulae inter se permutatae sunt, nemo interpolationis exemplum deprehendere sibi videbitur: nam quam frequenter illud factum sit dici vix potest, ut Iug. 14, 11 quo loco *V scelere et audacia* praebet, ceteri *atque* particulam exhibent, in eodem capite § 15 e contrario in Vaticano *maerore atque luctu* legitur, reliqui vero libri *et* tradunt: quibus in locis utra vera sit scriptura, ne ex usu quidem Sallustiano cognosci potest. Sic etiam Cat. 51, 5 pro *infida et advorsa*, vera quae in *V* aliisque est scriptura, liber *P* cum aliis *infida atque advorsa* praebent; Cat. 52, 33 in *P* et nonnullis aliis *dis aut hominibus,* in Vaticano et reliquis recte *dis atque hominibus* scriptum est. Hoc igitur Iordano concedimus, librorum scripturam Cat. 20, 7 non leviter esse perturbatam; alterum autem negamus, posse ex his quidquam de librorum auctoritate concludi. Si enim duae codicum familiae vitiis affectae sunt, non alteri idem laudi, alteri vitio vertere licet, id quod paullum abest quin Iordanus fecerit.

De altero exemplo Cat. 52, 1 dicere nunc supersedeo, cum infra argumentis satis idoneis me demonstraturum sperem, solum ibi librum *V* veram scripturam servasse.

Nec vero magis Iug. 31, 28 in *V* verborum quae sunt *beneficii memorem esse quam maleficii* hunc ordinem libidini tribuendum esse concesseris veramque ceterorum librorum scripturam habueris *beneficii quam maleficii memorem esse*, si quidem Iordani exemplis comparaveris haec: Cat. 23, 2 *huic homini non minor vanitas inerat quam audacia*; Cat. 47, 1 *Volturcius . . . docet . . . se . . nihil amplius scire quam legatos*; Iug. 19, 2 *silere melius puto quam parum dicere.* Accedit autem etiam alterum argumentum, minime id quidem spernendum. Multo enim gravius sententiaeque aptius totius orationis momentum est Vaticani verborum ordine recepto: non enim in vocibus *immemorem esse* quidquam inest quod a Memmio gravius efferatur, sed in eo, quod beneficii memoria et maleficii inter se opponuntur. Hoc autem eo pluris aestimandum esse apparet, quod Sallustius cum in toto sermone tum in orationibus componendis summus est verborum artifex, qui inprimis in vocibus collocandis eximia utatur diligentia et consilio; neque satis illud Granii Liciniani respici potest, Sallustium non ut historicum, sed ut oratorem legendum.

Sed haec tria exempla non magni momenti esse Iordanus

ipse concessit[15]), concedetque opinor, disputationi nostrae pro argumentis adhiberi illa omnino non debuisse: multum autem quarto Cat. 52, 35 tribuit, quo loco *V* solus *intra moenia atque in sinu sunt hostes* praebet, in reliquis omnibus *in sinu urbis sunt hostes* legitur. Qua in Iordani disputatione hoc magnopere laudandum est, quod et Linkeri[16]) coniecturam, quamvis sagacem et profecto speciosam, et Hertzii[17]) sententiam reiecit; ab eis autem quae ipse protulit prorsus dissentio. Ac primum quidem, ut concedamus Sallustium *in sinu urbis* scripsisse, mirum esse mihi videtur, si quis in omissa *urbis* voce vestigium consilii libros Sallustianos ad arbitrium restituendi et corrigendi deprehendi putaverit: nam hoc profecto nullo tempore illorum grammaticorum fuit, quid fortasse omitti potuerit quaerere et delere; neque omnino credo vel ipsum illum grammaticum, cuius propemodum effigiem Iordanus nobis ante oculos posuit, si *in sinu urbis* proditum legisset, emendandi studio *urbis* vocem deleturum fuisse: sin quis *urbis* vocabulum necessarium putaverit, non ei erit ad tam artificiosam explicationem confugiendum, sed sine ulla ut opinor offensione simplicissime dicendum errore librarii et neglegentia hanc vocem in *V* intercidisse. Neque tamen sic ego statuerim: nam eis potius assentior qui *urbis* vocem prorsus supervacaneam et explicandi studio adscriptam putant. Quorum causam tam bene defendit Dietschius[18]), ut et inutile et immodestum sit hanc quaestionem retractare, quae aptius explicari vix poterit. Sunt autem *moenia* nihil aliud nisi *urbs*, quem usum exemplis confirmem vix necesse est. Pauca tantum adscripsi: Verg. Aen. II, 252 *fusi per moenia Teucri conticuere*; Aen. VI, 549 *moenia lata videt triplici circumdata muro*; Vitruv. VIII, 4 *Zama*

---

15) Itaque cum Iordanus p. 235 hoc fassus esset, nollem eum p. 236 sic perrexisse: 'cum iam compluribus locis Vaticanum condemnaverimus, etiam hoc loco (Cat. 52, 35) veram scripturam non habet': haec enim, ut dicam quod sentio, petitio quae dicitur principii esse mihi videtur eaque nata ex praeiudicata de inferiore libri *V* pretio opinione.

16) Emendationum Sallustianarum ex actis acad. Vindobon. a. 1855 seorsum editarum p. 18—20: '*Catilina cum exercitu in faucibus Etruriae agit, alii intra moenia atque in senatu sunt hostes*'. (In Herm. vol. I p. 236 mero errore, ut ex Iordani ipsius disputatione apparet, typis expressum est Linkerum scripsisse '*C. cum exercitu in faucibus Etruriae urget*'.)

17) Philol. vol. XII p. 378: '*Catilina cum exercitu faucibus urget, alii in sinu sunt hostes*'.

18) Commentat. cap. IV p. 69 sq. ed. a. 1859.

est civitas Afrorum, cuius moenia rex Iuba iriplici muro saepsit; Flor. I, 4 *hic moenia muro amplexus est*. Itaque quicumque haec legerit *intra moenia atque in sinu*, statim *urbis* notionem, quae quidem *moenia* voce iam satis significata est, menti informabit: quod cur fieri non possit, aegre intellegas. Quod igitur Iordanus libro *V* vitio vertit, in laude potius ponendum esse puto, existimoque hoc quoque exemplo doceri posse Vaticanum solum veram scripturam servasse, reliquos omnes vili interpretis additamento corruptos esse. Unum autem hac oblata occasione statim adiciam, cui alius locus vix aptior erit. Valde enim miror, quod Dietschius Iordani de *V* iudicium amplexus, tamen hoc loco, cui Iordanus tantum quantum nulli fere alii tribuit, sententiam quam olim defendit etiamnunc veram esse iure putat, ut qui in novissima Sallusti editione haec scribat: '*urbis* etiamnum glossema iudico'. Vnde, quam paullum hic quoque vir doctus reapse sibi constiterit, manifestum est. Sed quamvis haec ita sint, tamen ut eam quam defensurus sum de *V* sententiam veram esse probem, haud mediocriter ipsa Dietschii in constituendis verbis ratione adiuvor. Is enim, quem Sallusti loquendi consuetudinis peritissimum sanissimique iudicii virum esse nemo aequus infitiabitur, sedecim locis Vaticani scripturam recipiendam esse vidit, quibus Iordanus librum *P* secutus est, atque sex locis huius libri scripturam optimam vel ipse Sallustio digniorem esse dicit, quamvis Iordani de *V* sententiam amplexus Parisini scripturam in ordinem verborum receperit: propter quod obsequium eum sane vituperandum esse puto, ut Cat. 58, 12 ubi haec scripsit: '*adgrediamini* c. J. Quamquam imperativus gravior et Catilinae ingenio aptior videtur'; et Iug. 31, 25 '*omittatis* c. J.] *amittatis* quod nescio annon proprium fuerit Sallusti'.

Unum ex omnibus quae Iordanus attulit exemplis aliquid valere concedo, quamvis non id sit, ex quo sequatur librum *V* consilio mutatum esse, sed hoc potius, eum ut vel optimum quemque codicem librariorum vitiis non plane vacare. Itaque non tantum huic loco quantum Iordanus tribuerim. Res autem haec est. Iug. 85, 16 in omnibus praeter Vaticanum libris haec leguntur: *ac si iam ex patribus Albini aut Bestiae quaeri posset mene an illos ex se gigni maluerint, quid responsuros creditis, nisi sese liberos quam optumos voluisse*, liber *V* autem *matre*, *possit*, *maluisse* praebet. Qua in scripturae discrepantia iure, ut mihi quidem videtur, Dietschius etiam in novissima editione *possit*

retinuit, a qua forma salva dicendi ratione vix recedi posse videtur; tum autem *maluisse,* quod sententia omnino carere ipse Iordanus profitetur, nullo certe modo rhetoris consilio tribui potest, quem haud indoctum verborum iudicem nec sermonis latini imperitum ipse Iordanus finxit, sed merus librarii error credendus est, sive oculi ad *maluerint* quod paullo antea legitur aberrarunt, sive librarius illius vocabuli recordatione etiam hoc loco *maluisse* pinxit. Restat igitur solum illud *matre,* quod utrum alicui corrigendi libidini tribuere malis an calami errore in Sallusti verba irrepsisse putes, haud multum interest; verum etiam hoc loco ut errorem, non consilium vitii causam esse credam eo adducor, quod in *V* singularis numerus, in ceteris autem pluralis est: nam si quis corrigendi studio traditam scripturam mutare voluisset, vix puto eum etiam pro plurali numero singularem, qui omni sententia caret, substituturum fuisse.

De Iug. 102, 6, quem locum Iordanus accuratius tractavit, disputare abs re esse puto, cum ex eo in nullam partem quidquam decerni posse prorsus mihi cum illo conveniat. Post hunc autem locum quattuor scripturae discrepantias nobis proposuit, quas per se quidem non magni momenti esse dicit, sed inter se comparatas suspitionem mutationis consilio atque arbitrio susceptae vel sic confirmare arbitratur. Quorum e numero exemplorum tertium statim excipiendum est, cum severa, nisi egregie fallor, et iusta artis criticae ratione usi ad aliud certe indicium perveniamus. Legimus enim in omnibus fere libris ms. Iug. 24, 3: *ferro an fame acrius urgear incertus sum*; in *V* vero (et p^5, cuius omnino ratio non habenda est) *incertum est* scriptum exstat, id quod Dietschius olim recte tutatus est [19]), quem nunc ab hac sententia discessisse magnopere doleo. Iure enim olim contenderat *incertum esse* eum dici qui consilii inops sit, ut Iug. 14, 23. 67, 1. 74, 1. 101, 2: id quod ab hoc loco prorsus alienum esse; alterum autem quod adiecerat argumentum minime verum est: multo gravius Adherbalem dicere 'neminem discernere posse ferro an fame acrius urgeatur', quam 'se non posse hoc discernere'. Maxime autem illud respiciendum esse videtur, Sallustium tam sibi constare solere, ut vix invenias eum quinto quopiam loco aliam notionem voci vel loquendi formulae alicui tribuentem, quam qua quattuor ceteris locis usus esset.

---

19) Commentat. cap. V p. 118 ed. a. 1859.

Nam haec, ut iam significavi, ratio haud dubie verior videbitur, ut verba ad scriptoris consuetudinem restituamus, quam ut, si quattuor locis aliquis usus confirmetur, quinto autem scriptura fluctuet, hoc loco aliam legem scriptorem secutum esse statuamus. Quodsi Iordanus ex Cic. ep. ad Att. I, 9, 1 *cum incertus essem ubi esses* auctoritatem sententiae suae accedere existimat, non plus hoc valere unum quemque mihi concessurum puto, quam cum Sallustium Iug. 49, 5 similiter *dubius* voce usum esse dicit.

Neque magis Iordano assentiri possum de Iug. 14, 12, quo loco *V multum laboris*, ceteri *multum laborem* praebent, quod facillime ex *multum laboris* oriri postea demonstrabo. Eadem autem ratio est Cat. 28, 2, ubi Wirzius[20]) recte *quantum periculi* ad P_1 et P_2 fidem edendum esse docuit — atque profecto multo id est elegantius —, quamquam Iordanus hoc quoque loco *quantum periculum* ex *P* recepit; neque enim arbitror eum etiam P_1 et P_2 libros viri cuiuspiam non indocti opera hic inquinatos vel potius correctos credere. Errorem autem librariorum ut subesse statuam, causam idoneam vel explicationem haud incommodam me habere existimo. Numquam enim invenias hunc librariorum errorem vel, si Iordani sententiam amplectare, hanc dicendi rationem in substantivis femininis usu venire, sed tantum in vocabulis masculini et neutri generis, quippe quibus usurpatis *quantum, multum* etc. utrumque, vel substantivum vel adiectivum, esse posset; librarii autem *quantum* et similia adiectiva esse rati *periculum* eodem casu per inscitiam adiecerunt atque ita verba scriptoris corruperunt. Ad quod vitiorum genus etiam libri *P* ceterorumque scriptura Iug. 85, 31 pertinet, quem locum Iordanus alterum eorum esse dicit, quibus *V* solus veram scripturam servaverit. Legimus enim in *V* (et g^2 nullius auctoritatis libro atque in margine codicis *P*) *parvi id facio*, quod Nonii testimonio confirmatur; reliqui omnes *parum id facio* exhibent, ita ut hoc loco *parum* ex *parvi* propter *id* pronomen quod sequitur ortum esse manifestum sit. Sic etiam Iug. 14, 9 *V id potissumum* pro *is potissumum* praebet, *id* autem propter *potissumum* quod sequitur irrepsisse nemo non videt.

In duobus aliis quae Iordanus attulit exemplis non tanta mihi cum illo intercedit iudicii discrepantia: videntur enim hi loci Iug. 24, 9 et 24, 1 ad eius libri fidem edendi esse, quem

---

20) de fide atque auctoritate cod. Sall. Paris. n. 1576 p. 6.

quisque altero praestantiorem crediderit. Nam nihil certe interest, utrum Iug. 24, 9 *scribo* quod *PC*[21]) et Servius Cassellanus scriptum exhibent, an *scripsi* quod in *V* legitur verum esse arbitremur. Neque utrum facilius aut errore aut consilio (quale tamen consilium mirum videatur) ex altero oriri potuerit, intellegitur. Nec magis Iug. 24, 1 causam invenias, cur aut librorum *PC* scriptura *non mea culpa saepe ad vos oratum mitto* melior sit quam libri *V* memoria *non mea culpa saepe vos oratum mitto* — utrumque enim rectissime dicitur —, aut rhetor quispiam consilio *ad* praepositionem delevisse videatur: nam nullum profecto argumentum hoc futurum sit, videri eum in praepositione offendisse.

Iam de ultimo exemplo dicendum est: affert enim Iordanus Iug. 85, 29, quo doceat semper se, ubi scripturae librorum *P* et *V* discrepantes pari bonitate essent, librum *P* secutum esse. Hoc autem ipsum concedere vix possumus, pari utramqùe scripturam bonitate esse. Res enim haec est. In *V* legitur *praeterea cicatrices advorso pectore*, idemque in libro Basiliensi[22]), superscripto tamen *corpore*; libri *PC corpore* praebent, in *P pectore* superscriptum est[23]). Ac primum quidem non solum verissime sensit Dietschius 'volnera, quae pectore advorso excepta essent, multo laudabiliora et gloriosiora esse quam quae advorso corpore, ergo vel ventre vel pedibus', sed — alia ut omittam — maxime ipsa *pectore* vox confirmatur Quintiliani auctoritate, qui II, 15, 7 haec habet: *Manium Aquilium defendens Antonius, cum scissa veste cicatrices, quas is pro patria pectore advorso suscepisset, ostendit.* Illud autem laudi sibi ducit Marius, se ut fortissimum

21) *C* sunt, ut in Iordani editione, primae familiae codices vel omnes vel aliquot; qua nota, quamquam non ignoro ex parte vera esse quae Gerlachius contra monuit, eis locis usus sum, quibus vel de discrepantia totius primae classis (*PC*) et libri *V* agebatur, vel omnino singularum scripturarum aut certa mihi notitia in promptu non erat aut omnino ratio habenda esse non videretur; reliquis locis omnibus Dietschii notas usurpavi.

22) Hunc librum cum Gerlachius (annal. Heidelb. a. 1868) omnium praestantissimum dixerit, miror quod huius loci mentionem non fecit. Quamquam talis qualis haec est scripturae condicio non immerito contaminationis suspitionem movere videtur.

23) De eis, quae in libro *P* superscripta vel in margine adscripta sunt, vide quae infra disputabimus: unde recte a nobis horum rationem non habitam esse intelleges.

Nam haec, ut iam significavi, ratio haud dubie verior videbitur, ut verba ad scriptoris consuetudinem restituamus, quam ut, si quattuor locis aliquis usus confirmetur, quinto autem scriptura fluctuet, hoc loco aliam legem scriptorem secutum esse statuamus. Quodsi Iordanus ex Cic. ep. ad Att. I, 9, 1 *cum incertus essem ubi esses* auctoritatem sententiae suae accedere existimat, non plus hoc valere unum quemque mihi concessurum puto, quam cum Sallustium Iug. 49, 5 similiter *dubius* voce usum esse dicit.

Neque magis Iordano assentiri possum de Iug. 14, 12, quo loco *V multum laboris*, ceteri *multum laborem* praebent, quod facillime ex *multum laboris* oriri postea demonstrabo. Eadem autem ratio est Cat. 28, 2, ubi Wirzius[20]) recte *quantum periculi* ad P_1 et P_2 fidem edendum esse docuit — atque profecto multo id est elegantius —, quamquam Iordanus hoc quoque loco *quantum periculum* ex *P* recepit; neque enim arbitror eum etiam P_1 et P_2 libros viri cuiuspiam non indocti opera hic inquinatos vel potius correctos credere. Errorem autem librariorum ut subesse statuam, causam idoneam vel explicationem haud incommodam me habere existimo. Numquam enim invenias hunc librariorum errorem vel, si Iordani sententiam amplectare, hanc dicendi rationem in substantivis femininis usu venire, sed tantum in vocabulis masculini et neutri generis, quippe quibus usurpatis *quantum, multum* etc. utrumque, vel substantivum vel adiectivum, esse posset; librarii autem *quantum* et similia adiectiva esse rati *periculum* eodem casu per inscitiam adiecerunt atque ita verba scriptoris corruperunt. Ad quod vitiorum genus etiam libri *P* ceterorumque scriptura Iug. 85, 31 pertinet, quem locum Iordanus alterum eorum esse dicit, quibus *V* solus veram scripturam servaverit. Legimus enim in *V* (et g^2 nullius auctoritatis libro atque in margine codicis *P*) *parvi id facio*, quod Nonii testimonio confirmatur; reliqui omnes *parum id facio* exhibent, ita ut hoc loco *parum* ex *parvi* propter *id* pronomen quod sequitur ortum esse manifestum sit. Sic etiam Iug. 14, 9 *V id potissumum* pro *is potissumum* praebet, *id* autem propter *potissumum* quod sequitur irrepsisse nemo non videt.

In duobus aliis quae Iordanus attulit exemplis non tanta mihi cum illo intercedit iudicii discrepantia: videntur enim hi loci Iug. 24, 9 et 24, 1 ad eius libri fidem edendi esse, quem

20) de fide atque auctoritate cod. Sall. Paris. n. 1576 p. 6.

quisque altero praestantiorem crediderit. Nam nihil certe interest, utrum Iug. 24, 9 *scribo* quod *PC*[21]) et Servius Cassellanus scriptum exhibent, an *scripsi* quod in *V* legitur verum esse arbitremur. Neque utrum facilius aut errore aut consilio (quale tamen consilium mirum videatur) ex altero oriri potuerit, intellegitur. Nec magis Iug. 24, 1 causam invenias, cur aut librorum *PC* scriptura *non mea culpa saepe ad vos oratum mitto* melior sit quam libri *V* memoria *non mea culpa saepe vos oratum mitto* — utrumque enim rectissime dicitur —, aut rhetor quispiam consilio *ad* praepositionem delevisse videatur: nam nullum profecto argumentum hoc futurum sit, videri eum in praepositione offendisse.

Iam de ultimo exemplo dicendum est: affert enim Iordanus Iug. 85, 29, quo doceat semper se, ubi scripturae librorum *P* et *V* discrepantes pari bonitate essent, librum *P* secutum esse. Hoc autem ipsum concedere vix possumus, pari utramqûe scripturam bonitate esse. Res enim haec est. In *V* legitur *praeterea cicatrices adverso pectore*, idemque in libro Basiliensi[22]), superscripto tamen *corpore*; libri *PC corpore* praebent, in *P pectore* superscriptum est[23]). Ac primum quidem non solum verissime sensit Dietschius 'volnera, quae pectore adverso excepta essent, multo laudabiliora et gloriosiora esse quam quae adverso corpore, ergo vel ventre vel pedibus', sed — alia ut omittam — maxime ipsa *pectore* vox confirmatur Quintiliani auctoritate, qui II, 15, 7 haec habet: *Manium Aquilium defendens Antonius, cum scissa veste cicatrices, quas is pro patria pectore adverso suscepisset, ostendit.* Illud autem laudi sibi ducit Marius, se ut fortissimum

21) *C* sunt, ut in Iordani editione, primae familiae codices vel omnes vel aliquot; qua nota, quamquam non ignoro ex parte vera esse quae Gerlachius contra monuit, eis locis usus sum, quibus vel de discrepantia totius primae classis (*PC*) et libri *V* agebatur, vel omnino singularum scripturarum aut certa mihi notitia in promptu non erat aut omnino ratio habenda esse non videretur; reliquis locis omnibus Dietschii notas usurpavi.

22) Hunc librum cum Gerlachius (annal. Heidelb. a. 1868) omnium praestantissimum dixerit, miror quod huius loci mentionem non fecit. Quamquam talis qualis haec est scripturae condicio non immerito contaminationis suspitionem movere videtur.

23) De eis, quae in libro *P* superscripta vel in margine adscripta sunt, vide quae infra disputabimus: unde recte a nobis horum rationem non habitam esse intelleges.

quemque pectus hostibus sine timore praebuisse, cuius rei cicatrices testimonia sint.

Sed haec hactenus: iam enim satis apparere puto Iordani iudicium vix stare posse nec probabiliter librum *V* credi a rhetore esse correctum: exempla enim, quae ut hoc evinceret attulit, ex parte in ipso *V* solo recte scripta leguntur, in aliis utrum Vaticani an Parisini scriptura praestet, diiudicari nequit, nullo autem loco manifesta consilio et arbitrio corrigentis atque mutantis grammatici vestigia deprehenduntur. Itaque ad alteram quaestionis partem adgredimur, in qua de locis disputaturi sumus, qui sine dubitatione ad libri *V* auctoritatem edendi sint.

Horum autem primum esse puto Cat. 20, 2, ubi in *V* legitur: *spectata mihi foret*, in *C spectata mihi forent*, in *P expectata forent* (*mihi* inseruit manus prima, *probata* — *foret* s. s. *p.*). In qua librorum discrepantia Vaticanum veram scripturam servasse iam Ernestus de Leutsch monuit[24]; attamen vel recentissimi editores codices primae classis pluris aestimaverunt: utrumque autem dici posse Langius ad Cat. 31, 1 et Kritzius ad Cat. 10, 1 ed. mai. docuerunt. Aliam vero sententiam Badstuebnerus[25]) amplexus est, qui hanc legem posuit: si praedicatum vel pronomen ad plura nomina appellativa feminini generis pertineat, Sallustium numero plurali neutri generis solere uti: quam de praedicato legem — nam in pronomine alia quoque respicienda sunt — et hoc et tribus ex bello Iugurthino depromptis exemplis confirmare studet. Legimus enim Iug. 38, 8 *nox atque praeda castrorum hostis, quominus victoria uterentur, remorata sunt*; Iug. 52, 4 *plerosque velocitas et regio hostibus ignara tutata sunt*; Iug. 68, 1 *ubi ira et aegritudo permixta sunt*. Neque vero vidit vir ille doctus paulo aliter in illis locis atque in hoc rem se habere, cum in illis diversae res coniungantur, quae deinde numero plurali neutri generis comprehenduntur: utitur autem Sallustius ibi *et* vel *atque* particula, quae voces copulatas quodammodo distinet, hoc vero loco *que* particula (*virtus fidesque*), cuius vocis vim usumque qui perspexerit, certe quanta in his diversitas sit facile intelleget. Quam distinctionem si quis forte subtiliorem et iusto paucioribus exemplis Sallustianis compro-

---

24) Philol. t. XXI p. 19. 25) p. 5 commentationis 'de Sallustii dicendi genere' Berolini a. 1863 editae in progr. gymnasii Friderico-Guilelmii.

batam dixerit, respondendum est ita omnino ullam in hoc genere legem ne ex altera quidem parte constitui potuisse, huius autem, quae particulas respiciat, veritatem ex ipsa earum natura apparere. Accedit denique testis locupletissimus Servius Cassellanus ad Verg. Georg. I, 260, qui, ut iam Leutschius l. s. s. verissime monuit, eo pluris habendus est, quod Vergilii verba haec sunt: *Multa forent quae mox caelo properanda sereno*; in Vergilii igitur carmine numerus pluralis legebatur, Servius autem, ut locum Sallustianum explicaret, *esset* adiecit, quod nequaquam facturus fuisset, si memoriter vel leviter verba Sallustiana afferret, sed ipse quoque numero plurali usus esset. Quam autem saepe in libris numerus singularis et pluralis inter se permutentur, multis exemplis docuit Brentano p. 16.

Alter huius capitis locus, in quo libri *V* auctoritas pluris quam primae familiae librorum habenda est, § 6 legitur, ubi *V nisi nosmet ipsi vindicamus in libertatem*, reliqui omnes *ipsos* scriptum exhibent. De quo loco, quia praestantia Vaticanae scripturae vix dubia est, omnino non essem disputaturus, nisi Kvičala[26]) multis pro libri *P*[27]) et ceterorum scriptura dixisset. Illud autem, quod veri simile esse negat, si *ipsi* vox a Sallustio profecta esset, *ipsos* pro *ipsi* in verborum ordinem irrepere potuisse, ut iam missum faciamus (nam id nihili esse quivis videt), ne sententiae quidem huius loci *ipsos* accusativus aptus est: nam verbis *nosmet ipsos vindicamus in libertatem* contrarium est *alios* vindicasse in libertatem, neque vero illud, quod Kvičala proposuit 'usque ad hoc tempus alios eis, quae iniuria parta habebant, frui quiete passi estis'. Quod tamen gravissimum est, repugnat Kvičalae explicatio sermoni non solum Sallustiano, sed omnium scriptorum latinorum. Est enim notissimum in tali genere hos rarissime nec sine causa gravissima, quam hic nullam esse modo vidimus, *ipse* pronominis casu obliquo usos esse, quam consuetudinem Sallustium quoque sequi his exemplis docemur: Cat. 31, 1. 52, 2. Iug. 6, 1. 14, 4. 18, 7. 41, 9. 58, 6. 62, 9. 85, 31. 113, 1. 113, 3. Hist. III, 61, 6.

Ita § 10 quoque *in manu vobis est* libri *V* scripturam contra *PC* auctoritatem omniumque editorum sententiam ipse Iordanus

26) in Diurn. gymnas. Austr. a. 1863 tom. XIV p. 604.

27) Miror quod hic vir doctus falso dicit *ipsi* in libris *V* et *P* legi, cum ex Dietschii et Linkeri editionibus, quae vera scriptura esset, cognoscere potuerit.

in verborum ordinem recepit, iniuria ob id ab Eussnero vituperatus[28]). Nam iam allocutus est Catilina coniuratos: 'quae quo usque patiemini fortissumi viri? nonne emori per virtutem praestat quam vitam miseram atque inhonestam, ubi alienae superbiae ludibrio fueris, per dedecus amittere?' itaque appellatio ei continuanda est dicendumque *vobis est*, non *nobis*, cum de illis blande verba faciat neque melius vel acrius ad bellum civile eos adhortari possit quam fortitudine eorum viribusque praedicatis.

Neque minus § 15 *hortantur* libri *V* scriptura sola vera est, quam editores praeter Linkerum, Dietschium, Iordanum neglexerunt. Nam quae res sint, quibus socii ad coniurationem perficiendam adducantur, Catilina paucis eisque gravissimis verbis monet: itaque indicativus hic non minus locum habet quam in oratione huic simillima, qua milites ut fortiter et strenue proelium ineant hortatur: qua quidem in oratione (58, 19) haec legimus: 'animus aetas virtus vostra me hortantur, praeterea necessitudo, quae etiam timidos fortes facit'; prorsus autem eis, de quibus disputamus, similia sunt haec: 'res tempus pericula egestas belli spolia magnifica magis quam oratio mea vos hortantur' (20, 15). Quibuscum artissime proxima cohaerent: *vel imperatore vel milite me u t e m i n i:* in quibus miror quod Iordanus hanc librorum *VC* scripturam *utimini* formae, quae in *PC* est, posthabuit. Ita autem ut sentiam, duae sunt causae: una, quod futurum multo maiorem quam imperativus vim habet, quam rem tantum significasse satis est: (Sallustius enim Catilinam iam facit vaticinantem, quod revera evenisse 60, 4 tradit: 'strenui militis et boni imperatoris officia simul sequebatur'); altera haec, quod locus huic simillimus exstat Iug. 85, 47: 'egomet in agmine aut in proelio consultor idem ac socius periculi vobiscum adero meque vosque in omnibus rebus iuxta geram'. Accedit quod veri similius videtur futurum in imperativum mutatum, quam hunc ex illo factum esse.

In his autem locis numerare possumus etiam Cat. 33, 2, ubi *V*, etsi non ex omni parte verum servavit, leviore tamen quam ceteri vitio affectus est. Nam *saepe maiores vestrum miseriti* 'scripturam sincerissimam' Gellius N. A. XX, 6, 14 dicit, quae in plerisque libris oblita sit *vestri* pronomine superscripto. Liber *V* autem hoc *vestri* servavit, quod ceteri ignorantia formae

---

28) Exercit. Sall. p. 24 (181) annotat. 1.

quae exstabat genuinae *vostri* cum alterius personae pronomine mutaverunt, quamquam haec a sententia plane abhorret. Opponuntur enim inter se seditiosi Catilinarii et pristini temporis, opponendi igitur sunt ex altera parte maiores senatus aetatis Catilinariae et ei qui antea fuerunt: neque vero, qui tam humilibus precibus senatum adeunt, eos decet commemorare quid sui maiores fecerint, sed, ut senatui consilium suum persuadeant, docere quid maioribus senatus pristinaeque optimatium factioni olim placuerit.

Cat. 35, 1 *V* veram verborum collocationem servavit *in magnis meis periculis*, cum Sallustius nusquam fere praepositionem inter adiectiva [29]) et substantiva ex illa pendentia interponat neque hoc loco ulla talis collocationis causa in promptu sit. Omnia enim quae exstant exempla haec sunt: Cat. 37, 11 *id adeo malum multos post annos in civitatem revorterat*; Iug. 9, 4 *paucos post annos*; ibid. 42, 4 *paucos post annos*: in quibus sermoni vulgari, quo haec tamquam dicendi formulae in communem consuetudinem abierant, Sallustium cessisse apparet; alia autem, quae olim legebantur ut Cat. 37, 2 *multis de causis*, Hist. III, 73 *ut solet extremis in rebus,* nunc ad optimorum librorum fidem communi virorum doctorum consensu correcta sunt. Restat unum, quod non eadem ratione atque ea quae supra attuli explicari potest: Hist. II, 82 *nam procul et divorsis ex regionibus.* Sed hoc exemplum Charisio (II p. 215 K.) debetur: in eis autem, quae a grammaticis petuntur, solum id verbum omni dubitatione carere de quo agit grammaticus, cetera saepe sat neglegenter afferri notum est: ut ille quidem locus prorsus nihil probet. Est autem idem luculentissimum exemplum, quo perspiciatur librum *V* pristinum verborum ordinem servasse nec elegantiorem potius quam simpliciorem scripturam prodere, quae in reliquis demum eisque optimis mutata sit.

Novo autem exemplo praestantia libri *V* atque integritas apparet Cat. 51, 4, ubi in illo haec exstant: *magna mihi copia est memorandi, patres conscripti, q u a e reges atque populi ira aut misericordia inpulsi male c o n s u l u e r u n t* e. q. s. [30]), in *P* autem *qui . . . . . . consuluerint* legitur, ceteri bonae notae libri aut *qui* aut *quae* exhibent, in omnibus autem *consuluerint* scriptum est.

29) De substantivis cum pronominibus coniunctis hanc legem valere ne ego quidem dixerim.

30) Sic in *V* legi etiamnunc puto: quamquam Wirzius p. 8 scribit in *V* esse *quae . . consuluerint.*

Ac primum libri *P* scripturam multo minus aptam esse ex eis quae sequuntur apparet: *sed ea malo dicere, quae maiores nostri contra lubidinem animi sui recte atque ordine fecere*: ita ut nullo modo, si severius sententiam examinaveris, *qui* pronomini opponere possis haec: *quae maiores nostri recte fecere*; nam hoc omnino non agitur, qui reges quive populi odio vel ira commoti res male gesserint, sed id premitur, quid illis animi affectibus haud recte factum sit: quam veram sententiam esse vel ex eo elucet, quod Caesar hac oratione, quid statuendum sit, monere vult. Indicativo autem hic locum esse proximae enuntiationis verbum atque ipsius loci sententia declarat: nulla enim causa est cur coniunctivus ponatur, cum totum enuntiatum non aliam vim habeat nisi hanc: 'possum commemorare male a regibus atque populis decreta et facta'. Itaque etiam ea quae Iordano placuit interpungendi ratio non tam apta videtur quam Linkeriana: non enim puncto quod dicunt separandae sunt hae duae enuntiationes, sed levius distinguendae, cum artissime inter se nexae sint. Eam autem scripturam cur Eussnerus repudiet non intellego, quamvis diligenter lectis relectisque his eius verbis[31]: 'cum vero hoc loco indicativus positus sit (*fecere*), dubitatione caret quin in priore quoque enuntiato, pronomine *quae* pro interrogativo *qui* substituto, indicativus ponendus eaque lectio restituenda esset, quam praebet *V*: quam ob rem hic quoque exemplum deprehendere mihi videor, quod Sallustianum variandi studium a Vaticano correctore minus intellectum structurae, quo concinnior existeret oratio, mutandae fuit causa'. Nam variandi studium in Sallusti libris nemo, qui diligenter id genus persequatur, deprehendat, ut qui scriptor multo magis illud sectetur, ut vim orationis augeat enuntiationibus inter se similibus et procul positis, ut huius ipsius capitis § 3; luculentissimo autem exemplo sunt prooemia, quibus id quod dixi apprime confirmari facile unus quisque pro se ipse experiri poterit. Contra illius variandi studii exempla neque Eussnerus attulit neque mihi satis manifesta praesto sunt.

Aliter autem res se habet statim proximo exemplo Cat. 51, 5, ubi cum in *P* et nonnullis aliis primae familiae libris legatur *Rhodiorum civitas magna atque magnifica, quae populi Romani opibus creverat, infida atque adversa nobis fuit*, *V* cum P_1 et

31) nimirum nulla littera mutata a me transcriptis ex Exercit. Sall. p. 15 (172).

P2 et pro *atque* servat. Quam scripturam ut elegantiorem, cum *magna atque magnifica* praecedat, iam Wirzius p. 8 praetulit, ab Eussnero hac de causa valde vituperatus[32], ut qui neget 'a singularum quarundam lectionum elegantia ad codicum bonitatem concludi debere' (sic enim scribit). Verum primum non sunt singulae quaedam scripturae elegantiae, e quibus de libri *V* praestantia iudicatur, sed multae, neque omnino alia via de librorum ms. auctoritate decerni potest; deinde certe alterum illud multo audacius est, e nonnullis erroribus, qui vel inscitiae vel neglegentiae librariorum debentur, codicem sibi informare ab aliquo rhetore mutatum et interpolatum. Hac autem in causa quamvis ante omnia exempla conferenda essent, tamen neque Wirzius, cuius hoc certe erat, neque Eussnerus ulla attulit. Qui enim in hanc quaestionem intentus Sallusti libros perlegerit, non sane plane inusitatam esse eiusdem coniunctionis iterationem inveniet: (velut similiter legitur Iug. 14, 19 'magni estis *et* opulenti, omnia secunda *et* oboedientia sunt'; ibid. 43, 1 'acri viro *et* quamquam adverso populi partium, fama tamen aequabili *et* inviolata'): verum idem tamen intelleget multo et elegantiorem et usitatiorem varietatem particularum esse, ut ib. 35, 5 'itinera egressus*que* eius, postremo loca *atque* tempora cuncta explorat'; ib. 36, 2 'Iugurtha trahere omnia *et* alias deinde alias morae causas facere, polliceri deditionem *ac* deinde metum simulare'; ib. 92, 1 'magnus *et* clarus antea maior *atque* clarior haberi coepit'. Accedit etiam alterum, meo quidem sensu haud plane spernendum. Consentiunt enim, ut supra iam significavi, cum Vaticano *P1* et *P2*, quorum priorem Wirzius (p. 2) gemellum libri *P* dicit, quod ipse Iordanus non plane improbavit[33]), ita ut vix persuaderi mihi patiar *atque* particulam et in *V* et in *P1* (et *P2*) cum *et* voce mutatam esse, Parisinum n. 500 autem solum veram scripturam servasse. Itaque cum animadvertissem librum *V* cum Parisino 1576 (*P1*) non semel tantum vel bis consentire discrepante Parisino 500 (*P*), non abs re esse putavi haec exempla diligenter collecta in posteriore parte huius commentationis aspectui proponere, ratus fortasse vel in hac ipsa re viros doctos commendationem auxiliumque eius, quam defensurus sum, sententiae esse inventuros.

Nunc vero ad Cat. cap. 51 redeamus, ubi etiam § 9 libri *V* scriptura multo quam ceterorum aptior est: ille enim cum praebeat

32) Exercit. Sall. p. 8 (165). 33) Herm. vol. III p. 460.

plerique eorum qui ante me sententiam dixerunt, in reliquis *sententias* legitur. Quae, quamvis fortasse utrumque a Sallustio dici potuerit, ita tamen inter se differunt, ut *sententias dixerunt* hoc significet: 'cum suam quisque sententiam exponeret et qua in re aliis non assentiendum aliterque statuendum esset explicaret', *sententiam dixerunt* vero simplicem notionem hanc contineat: 'cum sententiam rogati essent': neque aliud quicquam Caesar potest hoc loco dicere velle.

Neque plus § 15 libro *P* dari potest, unde Iordanus contra librorum *V* et P_1 auctoritatem, qui *severior* exhibent, *saevior* edidit: id quod ferri prorsus nequit, cum nullo modo, ut iam Herzogius verissime monuit, *saevior* adiectivum cum *paulo* adverbio conciliari possit: qua quidem voce Caesar consulto utitur, ut doceat mediocrem quoque ac per se iustissimam severitatem, qua contra homines sceleratos magistratus aliquis utatur, ab aliis magnopere reprehendi ac vituperari. Quodsi *saevior* dixisset, iam aliquid culpae magistratum in se commisisse concederet, id quod nullo pacto dicere vel vult vel potest: nam Catilinarios morte multare minime saevum esse ipse profitetur (§ 17), sed severius. Itaque haud dubie *severior* scriptura recipienda est, e qua (quamquam hoc levius esse largior) facilius *sevior* oriri poterat, quam *sevior* cum *severior* forma mutari. De hoc autem loco uberius dixi non solum quo praestantiam libri *V* ostenderem, sed ut simul docerem nimis sedulo Iordanum aliquando iustoque cupidius vel mediocris bonitatis libri *P* scripturam in ordinem verborum recepisse: quae ratio num consilio libri *P* quam constantissime sequendi satis excusetur, affirmare non ausim.

Huic loco adicio § 21, ubi *PC in sententiam*, *VP_1E in sententia* exhibent, neque tamen quisquam monuit, si strenue et considerate verba examinaveris, *in sententiam* ferri omnino non posse. Nam si Silanus id quoque statuisset, uti prius verberibus in Catilinarios animadverteretur, hoc ipsum eius sententia iam esset comprehensum vel ipsa potius sententia fuisset: itaque cum Silanus ipse hanc severam sententiam tulisset, Caesar interrogare eum non potuit, cur alterum non addidisset. *in sententia* autem, quod Herzogius nullo argumento adiecto ne latinum quidem esse voluit, nihil aliud est nisi 'cum sententiam diceres'. Haec autem scriptura cum maiorem difficultatem quam librorum plurimorum primae classis verba praebere videretur, multo veri similius est in his libris difficiliorem et exquisitiorem lectionem cum faciliore

et cotidiana loquendi forma mutatam esse: quae tamen a sententia abhorret. Itaque nos in his ipsis libris manum emendatricem deprehendere non iniuria nobis videmur: id quod de hoc solo loco indicasse satis erit, quamvis idem cadere in Cat. 52, 35. Iug. 14, 1. 9. 85, 14 al. demonstrari possit.

Sic etiam, quam rationem artis criticae factitandae Iordanus aliique editores secuti sint in § 25, minus perspicio, ubi ex solo *P neglegeris* ediderunt: quod tamen fundamentum valde infringitur loco Iug. 40, 1, ubi in *P* ceterisque bonis praeter *P3B* libris *neglexisset* legitur: ut, si sibi constare voluerint, hoc quoque de quo disputamus loco C. 51, 25 *neglexisset* edendum fuerit. Cum vero hi loci soli sint, in quibus formae a perfecto huius verbi derivatae in Sallusti libris leguntur, neque satis firmam codicum scripturam esse utroque loco manifestum sit, solum probandum hoc puto, ut Cat. 51, 25 in *P*, Iug. 40, 1 in *B3P* erratum esse a librariis, non esse his formis ipse Sallustius usus credatur: quamquam non ignarus eorum quae apud Lachmannum in Lucret. p. 350 exstant.

Neque magis credendum est § 33 libros *PC* veram verborum collocationem servasse: *ea res magnae initium cladis fuit*, cum nullus locus exstet quo Sallustius sic sit locutus, eiusque dicendi generi sola apta et usitata sit Vaticani scriptura *initium magnae cladis* fuit.

In § 40 quoque verum soli Vaticano debetur. Ubi quod reliqui omnes *circumvenire* exhibent, id quomodo Gerlachius[34]) defendere possit non video, ut recte Iordanum, Dietschium, Iacobsium *circumveniri* edidisse prorsus persuasum habeam.

Nunc vero, ut supra promisimus, repetenda est nobis loci Cat. 52, 1 memoria, qui in eorum numero est, quos Iordanus protulit ut librum *V* a grammatico aliquo correctum esse doceret. Sed id immerito, ut videtur: nam dubitari vix posse arbitror, utra vera verborum collocatio sit. *V* enim hunc ordinem praebet: *longe alia mihi mens est*, quem etiam Servius Fuld. ad Verg. Aen. I, 13 testatur: primae autem classis libri habent *longe mihi alia mens est*: sic autem recte verba collocata esse Iordanus propterea putat, quod Sallustius pronomen personale primae

34) Annal. Heidelb. 1868: '*circumvenire* ist um so weniger zu ändern, als das Begehen der Thaten viel stärker als das Geschehen den Sinn des Schriftstellers ausdrückt, daher *circumvenire* nicht mit *fieri*, sondern mit *alia* parallel steht'.

enuntiationis voci subiungere soleat. Quam legem num Sallustius sibi imposuisset ut cognoscerem, omnes Sallusti locos perscrutatus nonnulla subtiliora haud esse neglegenda inveni. Nam cum omnino aliquid intersit inter ea exempla in quibus nominativus pronominis reperitur, atque illa in quibus casus obliquus legitur, tum in sententia atque in vi, quam quoque loco pronomen habet, summum momentum positum est. Si enim intra primam et alteram enuntiationis vocem inseritur, vis et gravitas eius minuitur neque aliam illud quam graeci sermonis encliticae vim habet [35]): itaque hanc collocationem saepissime (XI locis) reperimus, ubi *mihi* ad *videtur* verbum pertinet neque ullius fere ponderis est. Quod quidem in hunc locum nequaquam cadit: nam iam initio orationis Cato longe aliter atque Caesarem omnesque eos, qui leniter de crimine et poena Catilinariorum statuant, sese sentire dicit. Itaque *mihi* pronomen non eum locum obtinere potest, quo positum omni vi privatur, sed recte sic tantum scribitur: *longe alia mihi mens est.* Sententiae autem rationem diligentissime a Sallustio habitam esse neque legem illam pronomen altero enuntiationis loco ponendi constanter eum esse secutum hi loci docent: Cat. 2, 9 *verum enim vero is demum mihi vivere atque frui anima videtur*; Hist. I, 41, 1 *plurumum timoris mihi faciunt*; ibid. I, 41, 18 *at obiectat mihi possessiones* e. q. s.; ib. I, 41, 26, aliique similes: quibus exemplis, quanta cum cura Sallustius sic scripserit, optime intellegi potest. Itaque etiam Cat. 51, 35 librum *V* solum pristinam scripturam servasse puto *atque haec ego* (ceteri *atque ego haec* praebent), cum in *haec* voce summum momentum positum sit, quod *ego* pronomine interposito haud paullum debilitari manifestum est. Caesar enim ut senatum impediat quominus in Catilinam eiusque socios gravius animadvertat, quantae calamitatis atque miseriae Sullae victoria eiusque proscriptiones, laetissimo animo primo receptae, causae fuerint describit, monetque quanta in mala tam severae animadversiones vertere possint; ne tamen Ciceronem eiusque factionem offendat, statim subicit *atque haec ego* (tanta mala tantamque calamitatem) *non in M. Tullio neque his temporibus vereor, sed in magna civitate multa et varia ingenia sunt.*

Sic etiam 52, 18 sola vera est libri *V* memoria *intentius*, quamvis omnes reliqui *attentius* exhibeant: idque non una de

35) cf. R. Klotzium ad Cic. Lael. 4, 16 p. 113.

causa. Nam *intentius* requiritur propter ea quae opponuntur: in eodem enim enuntiato animus *infirmior* pro contrario est, cui in priore parte vix respondere *attentius* potest, quod ad sensus tantum pertinet neque vires quoque efficaces significat; tum in altera enuntiatione *languere*, quod pigritiam atque inertiam in agendo denotat, *intentius* ut contrarium, non *attentius* flagitat. Altera autem non spernenda, ut mihi quidem videtur, causa haec est, quod *attentus* in Sallusti libris omnino non exstat, quem *intentus* vocabulo persaepe usum esse haec exempla docent: Cat. 2, 9. 4, 1. 6, 3. 16, 5. 27, 2. 54, 4. 60, 3. Iug. 23, 1. 30, 3. 40, 3. 44, 3. 46, 5. 49, 3. 53, 5. 55, 3. 57, 3. 76, 2. 89, 3. 91, 4. 93, 4. 94, 3. 5. 100, 4.

Idem de *V* iudicium faciamus necesse est § 29, ubi *V* et *P1 prospere omnia cedunt* scriptum exhibent, in *PC prospera omnia cedunt* legitur. Vaticanum et *P1* sequendos esse recte Wirzius p. 8 demonstravit his locis allatis: Tac. ann. I, 28 *prospere cessura, quae pergerent*; Cic. Phil. XIII, 19, 40 *quasi ei pulcherrime priora processerint*; Cic. ad fam. XII, 9, 2 *ut omnia prospere procedant*; Sall. Cat. 26, 5 *neque insidiae prospere cessere*; Iug. 63, 1 *cuncta prospere eventura*: (item Liv. V, 51, 5 *omnia prospere evenisse*). Contra quae exempla ut libri *P* scripturam defenderet Eussnerus, non satis erat attulisse 'similem similium' verborum structuram Cat. 20, 2 *opportuna res cecidisset* et Cat. 26, 5 *quae occulte temptaverat aspera foedaque evenerant*: quae quantum ab eo, in quo cardo rei vertitur, distent nemo non intellegit.

Sic etiam § 32 causa non est cur *atque* librorum *VB* scripturam neglegamus, quam Dietschius olim sententiae aptiorem esse recte sensit[36]): nam *di atque homines* unam notionem efficiunt, ita ut Lentulus ea commisisse dicatur quibus di simul et homines laederentur.

Etiam caput 58 habet, quo libri *V* auctoritas confirmetur. Ac primum quidem § 11 ille cum aliis veram verborum collocationem praestat *pugnare pro potentia paucorum*, quem ordinem multo quam ceterorum librorum pulchriorem esse, qui hanc enuntiationem semel legerit, statim agnoscet: vix autem, nisi forte arbitramur nihil non scribi potuisse a Sallustio, hic putandus est tam claudicantem enuntiationem, qualem *PC* praebent, compo-

36) ed. a. 1859. Commentat. cap. V p. 113.

suisse. Hanc autem collocationem non ab illo, quem Iordanus finxit, rhetore profectam esse ex eo apparet, quod eandem alii quoque libri praebent.

Sic etiam § 12 *V adgredimini* cum aliis servavit, *PC* autem *adgrediamini* exhibent, quod minus probabile esse iam Dietschius vidit, imperativum graviorem Catilinaeque ingenio aptiorem dicens[37]: quod quamvis verissimum sit, alterum tamen adiciendum esse hoc videtur, Sallustium in talibus cohortationibus contionantes semper imperativo utentes introducere, nusquam coniunctivo. Sic verbi causa factum videbis Cat. 52, 33. Iug. 10, 8. 14, 6. 25. 85, 47. alibi.

§ 13 vix monendum esse puto librum *V* cum paucis (eisque haud bonae notae vel potius interpolatis) verum prodere *vobis*, quod recte in verborum ordinem recipitur; nam primae personae pronomen vel propter ea quae sequuntur a bona atque integra sententia prorsus abhorret.

Nunc ad eos locos, quibus in libro de bello Iugurthino Vaticani auctoritas praestat, nobis veniendum est. Quorum primum ex Iug. 10, 1 promo. Ibi enim haud dubie vera est verborum collocatio quam *V* (cum paucissimis eisque deterrimis, ex illo ipso subinde correctis[38]) exhibet: *parvom ego te, Iugurtha, amisso patre sine spe, sine opibus in regnum meum accepi*: quo loco ab Iordano, Dietschio, Iacobsio ad librorum *PC* auctoritatem *ego, Iugurtha, te* editum non probo, exemploque hoc esse puto quam certo Sallusti dicendi genere diligenter explorato non pauca paullo rectius conformari possint. Nam cum omnino lex sermonis latini sit, ut bina in eadem enuntiatione pronomina quam proximo intervallo se excipiant, cuius rei exempla innumerabilia in promptu sunt, tum Sallustium vix aliter locutum esse apparet vel ex Cat. 52, 5. Iug. 31, 6. ib. 10, 7: *ceterum ante hos te, Iugurtha, qui aetate et sapientia prior es, ne aliter eveniat providere decet*; maxime autem si contuleris ex oratione Memmi Iug. 31, 27 haec: *neque ego vos, Quirites, hortor.* Conferri potest etiam or. Phil. hist. I, 48, 9 *quod ego vos oro atque obsecro, patres conscripti.*

Quam autem male saepius res geratur libri *V* auctoritate neglecta, luculentissimo exemplo Iug. 10, 2 probatur, ubi ille

37) ed. a. 1868. praef. p. VII.

38) Adieci haec, ut indicarem quales essent libri qui in Iordani editione *C* littera notantur.

solus Sallusti manum servavit: nisi quis forte in codice *t*[39]) quidquam esse fidei putaverit. Omnibus enim, quae mihi quidem in manibus sunt, in editionibus quod *PC* tradunt legitur: *novissume rediens Numantia meque regnumque meum g l o r i a h o n o r a v i s t i*, id quod viri docti satis bene, usitate, eleganter dictum esse putaverunt his exemplis adscriptis: Cat. 12, 4 *verum illi delubra deorum pietate, domos suas g l o r i a d e c o r a b a n t*; ibid. 35, 3 *non dignos homines h o n o r e h o n e s t a t o s videbam.* Neutrum tamen exemplum satis aptum esse omnes fugisse videtur: nam aliud est 'decorare', aliud 'honorare', aliud est 'honore honestare', aliud 'gloria honorare'; 'honorare' enim, siquidem et lectione mea et lexicis satis confidere licet, magis definitam et specialem sententiam habet, quae omnibus fere locis non multum ab illo sermonis nostri 'eine Ehre erweisen' distat. Quod tamen summum est, multo exquisitius totiusque loci sententiae (quippe quae in summis, sed eis falsis laudibus adulationibusque Iugurthae a Micipsa tributis constet) multo aptius est quod *V* praebet *onerare*, quam vocem librarii, cum vel mori[40]) sui temporis addendae *h* litterae indulgerent, vel prope positi *gloria* vocabuli notione moverentur, cum *honorare* verbo mutaverunt. *onerandi* autem verbum, quod longe exquisitius est et graviorem sententiam atque concinniorem reddit, sic usurpari ex his locis cognoscitur quos adscripsi: Plaut. Capt. IV, 17 (774) *ita hic me amoenitate amoena amoenus oneravit dies*; Stich. IV, 1, 27 (532) *nos potius oneremus nosmet vicissatim voluptatibus*; Liv. IV, 13 *onerare alqm laudibus*; cf. Liv. X, 14. XXXV, 11; Plin. ep. I, 8 *onerat te quaesturae tua fama, onerat testimonium principis, onerat tribunatus*; III, 3 extr. *a te meque monebitur, quibus imaginibus oneretur, quae nomina et quanta sustineat.* Adde ipsius Sall. Iug. 12, 3 *promissis onerat impellitque.*

Quot bonae scripturae ex *V* peti possint, etiam paullo post 14, 1 apparet, ubi cum in reliquis libris omnibus vel *in adfinium locum* vel *in adfinium loco* legatur, *V* solus *adfinium loco* exhibet. Quam scripturam cum omnes praeter Gerlachium editores germanam iudicaverint, supervacaneum esse puto pluribus explicare, cur eam infra in numero locorum a *V* recte traditorum

39) *t* est codicis Turicensis manus posterior.

40) Vide Dietschii ed. 1859 Comment. cap. I p. 3. Cf. Cat. 2 *honeri*, Cat. 3 *nichilhominus*, ib. 6 *abhorigines*, ib. 25 *inherat* (in cod. *P*); Iug. 85, 5 *hora* pro *ora* in cod. *Pt*.

posuerim: Gerlachium autem modeste monuerim exempla, quae *in* praepositioni defendendae attulit[41]), non omni ex parte in Sallusti verba quadrare; tum vero maxime, locum quo praepositio in libris ms. collocata est a sermone pedestri plane abhorrere, ut vel hinc appareat eam a Sallustio non esse profectam.

Non item § 3 inter viros doctos convenit, ubi libri vario modo discrepant, ita vero ut primae classis libri interpolati esse videantur: P_1 enim *possem, PC posse me, V posse* prodidit. Ac primum quidem hoc dicendum videtur, per se horum nihil a sermone latino alienum esse: duo igitur respicienda esse apparet, orationis concinnitatem atque consuetudinem Sallustianam. Qua in causa a vero aberrare mihi videntur qui Sallustium censeant in una eademque enuntiatione ter constructionem mutasse, ut primum coniunctivus ex *velle* penderet, dein infinitivus, denique *ut* particula. Verum priora duo enuntiationis membra, quae unam sententiae partem continent (quam Iordanum bene perspexisse interpungendi qua utitur ratio docet), verborum quoque pari constructione significanda erant. Itaque pro certo habeo *me* grammatici vel librarii additamentum esse, qui accusativo orationem carere non posse putaret: quod quam falsum sit, ex locis huic simillimis ut Iug. 76, 1. 88, 5. 102, 2 apparet; *possem* autem, quod in uno P_1 legitur, aut calami lapsui aut librarii illius aetatis coniecturae debetur.

Etiam in primae classis libris saepius addita reperiuntur, quae prorsus supervacanea vel etiam falsa sint: id quod § 9 bis usu venit. In *V* enim legitur: *eheu me miserum! hucine, Micipsa pater, benificia tua evasere, ut quem tu parem cum liberis regnique participem fecisti* e. q. s.: neque quisquam in his verbis quidquam desideraverit; in *PC* autem *cum liberis tuis* scriptum est. *tuis* igitur pronomen prorsus praeter rationem additum esse facile apparet: nam neque ullum momentum vel vis in eo posita est, neque omisso pronomine ulla sententiae obscuritas oritur, nec fieri potest ut *liberis* de aliis nisi de Micipsae filiis accipiatur. Itaque rectissime Dietschius adnotavit[42]): 'quam subtilis fuisset

41) ed. a. 1827 vol. II p. 232: Cic. Verr. VII, 28 *in piratarum locum cives Romani hostilem in modum cruciati et necati sunt*; Iust. XII, 12 (qui scriptor vix is est, quo hac in re quidquam probari possit): *iussus praeesse Macedonibus in Antipatri locum.*

42) edit. a. 1868 praef. p. 8.

ille grammaticus qui *tuis* eiecisset, equidem magis mirarer quam ex glossa illud in libros inrepsisse'. — Idem dicendum est de Iug. 24, 3, ubi *mei* in *V* merito omittitur.

Eiusdem generis vitiorum in *PC* exstantium etiam alterum exemplum eadem § nobis offert: in omnibus enim ibi libris ms. praeter *V* legitur (s. s. *P*) *numquamne ergo familia nostra quieta erit?* Quibus in verbis *ne* particulam falsam esse iam Kritzius suo iure monuit, cum 'latini ubicunque dolorem vel indignationem ita significare velint, ut ostendant id quod queruntur aut mirantur male convenire cum eo quod fieri deceat, sola *ergo* particula utantur'[43]). Itaque qui Gerlachius et Iordanus, quos neque Dietschius neque Iacobsius secuti sunt, *numquamne* scripturam probabiliter defendere possint, parum assequor. — Neque minus aptum Iug. 14, 11 exemplum est, quo doceatur primae classis codices a librariis suopte arbitrio correctos esse vel potius corruptos: nam de libri *V* correctore hoc quidem loco certe cogitari nequit. Omnes enim, qui Iordani sententiam amplexi librum *V* grammatici alicuius libidine mutatum esse dicunt, quamvis vel latissime, ut Eussnerus, hunc mutandi campum patere putent, alterum tamen concedant necesse est, grammaticum illum rariores atque exquisitiores locutiones in usitatas atque vulgares mutavisse. Hoc autem loco in *V non quit* legitur, in reliquis omnibus est *nequit*, id quod posterioribus potissimum saeculis multo usitatius fuisse nemo nescit: itaque haec librariis causa mutandi fuit.

Sic rursus eadem § in *PC* vera pronominis collocatio mutata est: legitur enim in illis *ut ubivis tutius quam in meo regno essem*, *V* autem *in regno meo* scriptum exhibet. Sed iam Woelfflinus, cuius accuratissima et diligentissima de hoc genere disputatio[44]) a recentissimis editoribus non satis magni aestimata est, Sallusti consuetudinem pronominum collocandorum observavit atque hunc quoque scriptorem eam sibi legem imposuisse invenit, ut *meum tuum suum* pronomina tum tantum substantivo quo pertinent praemitterentur, si summum momentum in pronomine positum vel si cum nomine substantivo etiam adiectivum

43) ad Iug. 14, 9 p. 79 ed. mai. cf. Hand de partic. lat. vol. II p. 454 § 3.

44) Philol. vol. XVII p. 522. Hoc autem loco Woelfflinus docuit etiam Iug. 24, 8 eam verborum collocationem, quae in *V* legatur, solam veram esse recteque edi *quid est reliquom nisi vestra vis* e. q. s.

coniunctum esset: nemo autem, opinor, illo loco ad eam excusationem confugiet, ut etiam in pronomine aliquid momenti inesse arguat, quod quantillum contra alterius vocis vim valeat quivis sentit. Libri *V* autem scripturam hic quoque probissimam esse optime docent haec exempla: Iug. 10, 1 *in regnum meum*; 10, 2 *meque regnumque meum*; 24, 5 *simul amicitiam vostram et regnum meum sperare*.

§ 18 levior error omnium primae familiae librorum est *ne* pro *neu* Vaticani scriptura, de qua dubitari nequit: cui tamen rei ne ego quidem quidquam tribuo praeter hoc, quod inde aliis similibusque vitiis comparatis apparet non admodum diligenter accurateque iam archetypum, ex quo tota haec familia fluxit, scriptum fuisse. Neque multo maiorem vim habet quod § 21 in *V* recte scriptum est *quoius*, quod ab ipso Sallustio originem ducit, primae autem familiae libri *cuius* recentiorem formam praebent: ita ut hoc loco certe intellegatur in his libris rariora atque exquisitiora, etiam si litteras ipsas respicias, cum usitatis et cotidianis mutata esse.

Manifestum autem mutationis, quae explicandi studio debetur, exemplum in libris primae familiae deprehendere mihi videor § 21, quo loco *P* cum omnibus et optimae et infimae notae libris *ut ille qui nunc sceleribus suis* e. q. s. praebet, in P_1 et P_4 (𝔐) *ne* superscripto *ut* legitur, *V* solus *ne ille* e. q. s. simpliciter exhibet. Quod solum verum rectumque esse inter omnes constat; librarii autem, cum quid *ne* particula sibi vellet ignorarent, *ut* superscripserunt, quam vocem plerique genuinam esse rati pro *ne* particula Sallusti verbis inseruerunt, ei autem qui codices P_1 et P_4 scripserunt longe accuratissime exempli archetypi scripturam secuti $\frac{ut}{ne}$ pinxerunt.

Etiam in Memmi oratione[45]) c. 31 loci reperiuntur, in quibus libri *V* scripturam veram esse facile appareat. Quorum in numero primus est § 4, ubi *V* genuinam verborum collocatio-

45) Exstat de hac oratione singularis libellus C. A. F. Widmanni: 'Quaestio de Sallustiani Memmii oratione', editus Blabirae a. 1857. Quem ea de causa commemoravi, ne quis, sicut ipse opinatus sum, putaret inveniri in eo res quae ad verba scriptoris restituenda vel ad ipsum Memmium pertinerent, eumque multa opera anquirendum esse. Continet enim praeter verba Sallusti in nostrum sermonem translata nihil nisi disputationem quattuor paginis finitam, qua docetur quomodo extr. or. § 28 cum ceteris cohoereat et consentiat, quae sine ullo damno neglegi potest.

nem servavit *potentiae factionis*. Solet enim Sallustius genetivum ex substantivo pendentem, nisi singularis causa, ut maior quaedam gravitas vel singulare momentum aliquod in genetivo positum, ut res aliter instituatur postulat, ei ex quo pendet nomini postponere, velut (ut unum ex innumerabilibus exemplis adscribam) Iug. 27, 2 *infestus potentiae nobilitatis*; illic autem cur *factionis* notio maiore vi efferatur perspici nequit. — Maioris autem momenti est quod § 10, cum in ceteris libris *honori non praedae habeant* legatur, Vaticanus solus *honores non praedas* exhibet: ut tamen, utrum rectius dicatur, haud difficile diiudicatu sit. Nam quod omnes praeter Dietschium viri docti librum *P* secuti ediderunt *honori non praedae habeant*, in eo nihil aliud inesse potest nisi hoc: ostentare nobiles sacerdotia, consulatus, triumphos perinde ac sic eis utantur ut inde honorem atque gloriam capiant, nec vero imperiis et magistratibus utantur quibus aerarium expilent et vectigal regum populorumque accipiant. Quorum alterum nullo modo hoc loco dici rectissime iam Dietschius[46]) monuit, qui ex *P honori*, ex *V praedas* in ordinem verborum etiam nuper recepit. Quod quamvis fortasse dici potuerit, sunt tamen quae me quominus assentiar impediant. Ac primum quidem recte fieri vix potest, ut in priore enuntiationis parte primam codicum familiam, in altera librum *V* verum testari censeamus; deinde si modo ita, uti Dietschio visum est, statuamus, alterum hoc reputandum est, *habere*[47]) alia notione subiecta cum *honore* voce, alia cum *praeda* coniunctum esse: ita ut orationis concinnitas, hoc loco prorsus necessaria neque usquam, si per scripturae varietatem licet, a Sallustio abiudicanda, mirum quantum violetur. Tum vero, quod summum est, ipsa sententia postulare videtur ut Vaticani auctoritatem sequamur, cuius quidem verba aptissima sunt, si in hanc partem explicantur ut Memmius dicat: incedere nobiles per ora populi magnificos, sacerdotia et consulatus, partem triumphos suos ostentantes, proinde quasi ea adepti sint, dum populus, ut eos honoraret atque pro meritis ornaret, imperia eis mandavisset, non ipsi per fas ac nefas haec omnia arripuerint.

Neque minus § 17 *V*, quocum consentit *P1*, ipsius Sallusti

---

46) ed. a. 1859. Comment. cap. V p. 119.

47) Loci ut Iug. 89, 4 ab hoc diversi sunt, quia illic scriptor passivo utitur. Cf. etiam Iacobsium ad Cat. 1, 4.

scripturam *maius* tuetur, cum in ceteris omnibus falso *magis* legatur. Quod utrum errore an consilio illatum sit, dubitari potest: veri autem specie non plane caret eum, qui librum *P* scripserit, *eo vehementius* vocibus praegressis motum *quo magis* verba suo arbitrio intulisse.

Eadem ratione § 18 qui severiore iudicio utatur, Vaticani scripturam *quod magis vobis fecisse quam illis accidisse indignum est* praestare non poterit infitiari, *vos* autem quod in ceteris legitur reiciet. Qua in re illud miror, quod recentiores editores omnes Cortii sententiam plane spreverunt, qui, quamvis *vobis* in ullo codice exstare plane ignoraret, *vos* eiciendum esse putavit, idque eo confidentius, quod Sallustius saltem *vobis* scripturus fuisset. Sic ille, ut saepius alibi factum, coniectura invenit quod postea in libris proditum esse alii cognoverunt. Commemoravimus autem hoc, quo ostenderemus non nimio libri *V* studio *vobis* illud nos probavisse, sed ipso id simplicitatis sensu flagitari. Nam hoc omnino Memmius maxime urget, prorsus indignum esse populo Romano, manu et vi in eos vindicare qui rem publicam hostibus prodiderint. Neque vero aliter hoc fieri potest, nisi ut ex *indignum* adiectivo *vobis* ablativus pendeat; sin vero scriptor *vos fecisse* dixisset, haec duo verba in unam notionem coaluissent, ut *vos fecisse* et *illis accidisse* inter se opponerentur, nec vero *vobis* et *illis* sicut *fecisse* et *accidisse* singillatim sibi responderent.

§ 19 miror quod nemo vidit *contemnet*, quod *V* praebet, solum verum esse, cum non eundem tamquam temporis gradum atque *si dediticius est* obtineat, sed eodem quo *scilicet existumabitis* spectet. Multo autem magis doleo quod § 25 Dietschius non obstinatius in sententia sua perseveravit. Nuper enim haec scripsit[48]: '*omittatis* c. Iordano] *amittatis* (Vaticani scriptura), quod nescio annon proprium fuerit Sallusti'. Quod ut ego verum esse putem maxime eo adducor quod, quam legem Kritzius aliique de differentia *amittere* et *omittere* verborum protulerunt, eam multis locis inquisitis non plane veram esse cognovi. Imprimis id apparet ex Iug. 66, 1, ubi haec leguntur: (Iugurtha) *arma tela aliaque, quae spe pacis amiserat, reficere aut commercari*: in quam sententiam optime ea, quam Kritzius[49]) *omittere* verbo adhibuit, explicatio quadrat: 'qui aliqua re non vult uti cum potest, eam

48) edit. a. 1868 praefat. p. IX. 49) edit. mai. ad Iug. 31, 17 p. 186.

omittit'; hoc enim loco *amittere* verbo consilium significari nemo infitiabitur. Neque spernendum erat, quod Dietschius[50]) ipse monuit, iam comicos veteres (ac Sallustium satis novimus antiquorum verborum amantissimum) et alia similia dixisse et *noxiam amittere,* ut Terent. Eun. 852 'unam hanc noxiam *amitte:* si aliam admisero umquam, occidito'. Itaque cum haec vocis notio a sermone usuque latino minime abhorreat, sed et aptissima sit et exquisitior, summo iure hoc nobis videmur statuere, librarium, qui primae classis exemplum archetypum scripserit, lectiorem vocem cum vulgari et consueta mutasse atque ita scripturae discrepantiam ortam esse.

Iug. 85, 2 in *V* legitur *quanto pluris est univorsa res publica, quam consulatus aut praetura, eo maiore cura* e. q. s.; in ceteris omnibus est *quo pluris — eo.* Quas scripturas si inter se comparamus et utra ex utra facilius oriri potuerit quaerimus, apparet fieri vix potuisse ut *quo .... eo* in *quanto .... eo* corrumperetur; *quo* autem ex *quanto* originem duxisse a probabilitate non abhorret. Accedit quod *quanto* optime hic dicitur, quia cum *pluris* voce coniunctum est; *quanto* vero et *eo* saepius sibi invicem respondere vix opus est exemplis docere. Sic Liv. III, 8, 8: *quanto longius ab urbe abscederent, eo solutiore cura* e. q. s. (Pomp. ad Domit.) ap. Cic. ep. ad Att. VIII, 12, *b: quanto enim magis appropinquare adversarius coepit, eo tibi celerius agendum erat.*

Etiam gravioris momenti exemplum § 11 exstat. Hic enim in *V* et *C*[51]) *imperatorem* legitur, in *PC imperare* scriptum est, quod Iordanus, Dietschius, Iacobsius ipsi Sallustio tribuerunt. Quorum rationi tantum abest ut assentiar, ut hinc pulcherrimum exemplum peti credam quo praestantia libri *V* atque interpolatio reliquorum librorum probetur. Atque ut illud ne premam, non facile fieri potuisse videri, ut *imperatorem* ex *imperare*, quod multo propius ad sermonem vitamque cotidianam accedit, oriretur, immo credendos esse librarios accusativum, qui quid sibi vellet non intellegerent, cum infinitivo mutasse: ipsi sententiae

---

50) edit. a. 1859 Comment. cap. V p. 120.

51) Qui codices hi *C* sint ignoro, cum etiam libros *P1* (et *P4*), in quibus *imperatorem* legi ex Dietschii adnotatione colligere quispiam poterat, *imperare* praebere Wirzii opera sciamus. Itaque suspicor omnino in solo *V imperatorem* exstare, cum Iordanus, ni fallor, ad Sallusti editionem parandam *P1* librum nondum a semet collatum habuerit.

dici nequit quantum *imperare* scriptura recepta detrahatur. Aut enim hariolor aut Sallusti in orationibus componendis artem illi non satis magni faciunt, qui, quid legibus artis grammaticae repugnet, respiciunt, quid vero pulchrius, quid gravius, quid animo consilio moribus eius, quem Sallustius loquentem facit, accommodatius sit, parum curant. Hoc autem loco id Mario esse propositum patet, ut nobiles et senatus factionem omnibus modis vexet atque lacessat: id quod multo gravius fit, si *imperatorem* dicit, non solum *imperare*, et ut illa vox mox acerbissima cum irrisione repetatur. Dici autem simpliciter potuisse *imperatorem iubere* iam Kritzius exemplis docuit, ut Livi I, 17, 9 *cum populus regem iussisset*; item I, 22, 1 *inde Tullum Hostilium regem populus iussit* e. q. s.: atque adeo ex ipsius Sallusti libris afferre poterat Iug. 14, 10 *quis* (Numidis) *hostis nullus erat, nisi forte quem vos iussissetis.* Neque alterum, quod Iordanus et Dietschius (quamquam hic quidem invito animo) contra libri *V* auctoritatem probaverunt, verum esse mihi videtur. Legitur enim in *VC* (in his *ET* optimae notae libri sunt) *is sibi imperatorem alium quaerat*; in *P* et deterioribus *sibi* omissum est, in *P1* idem deletum. Qua in causa Dietschii rationem nequaquam probare possum, qui novissime haec adnotavit[52]: 'quamquam *sibi* ob codicum auctoritatem exulare debere agnosco, tamen quia ambiguitatem prorsus removet, mihi placere non infitias ire audeo'. Nam cum omnino librorum auctoritas contra rationem nihil valeat, tum hac praesertim in re quae ista auctoritas sit, non intellegitur: *sibi* autem a Sallustio necessario scribi debuisse apparet. Id enim si omittatur, etiam haec verbis sententia facillime subici possit, illum qui imperator factus sit quaerere aliquem qui imperet, ita ut ipse imperator nihil curet: id quod a vero longe abest. Nam nihil aliud dicit Marius, nisi eum qui imperator creatus sit quaerere aliquem, qui ipsi consulat, ita ut imperator quidem militibus imperare videatur, ille autem alter consilium rationemque monstret qua omnia agenda sint. Itaque *sibi* a scriptore adici necesse erat. His autem verbis a Mario Metellum perstringi, cui se ipsum bona consilia dedisse simulet, vix est quod moneam.

§ 13 summo iure Gerlachius, Iordanus, Dietschius, Iacobsius librorum *VP1* auctoritatem contra *P* omnesque reliquos, qui *et*

---

52) edit. a. 1868 praefat. p. XI.

particulam praebent, secuti *aut* ediderunt: non enim coniungendae sunt hae duae notiones, sed separandae. Quod cum ab omnibus recte intellectum sit, non est cur demonstrem afferendum esse hoc exemplum in eis quibus, quid libri *V* auctoritas valeat atque quae ratio inter *V* et P_1 intercedat, cognoscatur.

§ 17 in *V* aliisque (primae quidem familiae, nec vero admodum bonis) legitur *iure me despiciunt, faciant idem maioribus suis* e. q. s.; *P* aliique *faciunt* exhibent, in P_1 *a* superscriptum est. Ibi *faciunt* ferri non posse, qui secum reputaverit a Sallustio *iure despiciunt* dictum esse, facile concedet. Nam tota iam oratione Marius illud imprimis perstrinxerat, quam vano stultoque studio nobiles in vetere nobilitate atque in maiorum fortibus facinoribus magnam gloriam atque honorem eximium sibi ipsis positum esse putarent; non igitur nunc dicere potest maiores eos despicere. Marium autem ab illis despici certum est: quod si iure faciant, hoc necesse esse dicit, ut etiam *maiores* despiciant, quod neque ab illis factum est neque cogitari potest: itaque *faciant* solum recte scribitur. Cuius scripturae veritas etiam ex proxima enuntiatione apparet, in qua legimus *invident honori meo: ergo invideant labori innocentiae periculis etiam meis* e. q. s. Orditur igitur Marius etiam hoc loco ab re vera certaque, tum quid ex hac sequatur addit: quibus in verbis si libri *P* scripturam *faciunt* in verborum ordinem recipias, gratissima in his enuntiatis membrorum responsio tollitur. Hac autem in re *PC* librorum fidem non magnam esse inde intellegitur, quod *a* apertae et *u* litterarum figurae, quae in optimi generis exemplo archetypo usu venerunt[53]), tam similes erant, ut saepissime inter se permutarentur. Sic e. c. legitur in *P* Cat. 18 *pessimam facinus,* Iug. 73, 6 *erunt*, Cat. 29, 1 *exagitatam.* Libri autem *V*, qui e quali codice vetustiore originem ducat ex ipsis eius vitiis intellegitur, etiam in hoc genere maiorem fidem esse facile apparet.

Plane autem manifestum exemplum, quo doceatur in *V* veram atque antiquam scripturam mansisse, reliquos libros licenter mutatos esse, § 23 habes. Ibi enim ille haec prodidit: *maiorum gloria posteris quasi lumen est neque mala neque bona eorum in occulto patitur*: quibus in verbis, qui et familiae optimae

---

53) Cf. Woelfflini disputationem quae est in Philologi vol. XVII p. 533 extr.

et deteriorum exemplum archetypum scripsit, sive putavit *bona* ut plerumque primo loco collocandum esse, sive consuetudinis cotidianae recordationi cessit, *neque bona neque mala* posuit. Quod minime recte se habere inde apparet, quod Marius non id maxime oratione sua premit, *bona* posterorum propter maiorum gloriam in occulto esse non posse, sed alterum imprimis docere atque demonstrare hoc vult, maiorum gloria turpia posterorum facta non occultari, sed tamquam illustrari.

§ 24 omnes quod sciam editores consentiunt solum *V* Sallusti manum reddere *huiusce rei ego inopiam fateor*, cum in ceteris omnibus *patior* scriptum sit. Prorsus autem inepte *patior* iteratur, cum iam enuntiationis proximae hic finis fuerit: *neque mala neque bona eorum in occulto patitur.* Accedit quod etiam ipsa sententia et illud, quod his verbis oppositum est, luculenter docent *patior* prorsus falso pro *fateor* in verba Sallusti irrepsisse. Nam utrum Marius inopiam maiorum necne patiatur, nemo tantopere curat, quantopere ipse hoc premit, libenter se hanc inopiam fateri: id quod etiam ex eis quae opposita sunt manifestum est. Nam quamvis non habeat maiores quos laudare possit, aliud multo praestantius se *dicere* posse gloriatur: esse autem haec suamet ipsius facta.

§ 26 aliquid nobis repetendum est, quod supra immerito praetermissum videri potest. In § 3 enim quaeritur utra vera verborum collocatio sit: utrum quae in *VC*[54]) est *quantum cum maxumo vostro benificio negoti sustineam*, an quam *PC*[55]) exhibent *quantum cum maxumo benificio vostro.* De qua re si recte iudicare voluerimus, conferenda sunt verba huius § 26, ubi in omnibus praeter *P* libris *cum maxumo vestro benificio* legitur: quo loco singulare huius libri studium suum Iordanus testatur, ut e quo solo receperit *cum vestro maxumo benificio.* Quodsi quis eandem collocationem bis in *V* exstare (semel a reliquis confirmatam) secum reputaverit, vel hanc ob causam maiorem veri speciem eam habere concedat oportet. Neque quisquam contendere poterit corrigendi omniaque exaequandi studio librum *V* ab illo quem volunt grammatico corruptum esse: quod qui statuat, quomodo ceteri omnes § 26 cum illo consentiant, ex-

54) In his *C* (praeter *T*) ne minimae quidem auctoritatis libri sunt, ut rectius *V* solus dicatur.

55) In his *C* sunt admodum boni *BP₁E*.

plicare vix poterit. Accedit consuetudo Sallusti, qui semel[56]) tantum eum, quem Iordanus § 26 probavit, collocandi ordinem (*cum vostro maxumo benificio*) idque certa de causa iniit Cat. 1, 2. Contra Vaticani scriptura his locis confirmatur: Cat. 35, 1 *egregia tua fides*; *in magnis meis periculis*; Iug. 16, 3 *omnibus suis rebus*; ib. 23, 2 *omnis suas fortunas*; ib. 97, 2 *integris suis finibus*; cf. Iug. 76, 6. 90, 3. Cat. 50, 2. Alteram autem, quam § 3 *PC* praebent, collocationem quominus probemus hoc impedit, quod ea adscita vis pronominis obscuratur. A Sallustio autem illam non alienam esse hi loci demonstrant: Iug. 59, 3. ib. 113, 6. Hist. II, 96, 2. ib. III, 61, 1. ib. IV, 61, 1. cf. Iug. 4, 3. — His autem exemplis commode accedit tertium quiddam. § 30 enim *V* solus[57]) *egomet plurimis laboribus et periculis quaesivi*, ceteri (*PC*) *ego meis* (*P3 egomet meis*) exhibent. In qua scripturae discrepantia ut Vaticanum solum esse sequendum iudicemus, movet cum sententiae gravitas, quae in Marii persona ante oculos ponenda per omnia pertinet, ita ut *egomet* dicendum fuerit (opponit autem se nobilitatis maioribus), tum consuetudo Sallustiana quae, ut modo docuimus, non *meis plurimis laboribus*, sed aut *plurimis meis laboribus* aut *plurimis laboribus meis* poscebat.

Nec minus recte § 26 legi mihi videtur *meque vosque maledictis lacerent*, quod in *V* est, quamquam ei qui primam classem scripserunt librarii priorem *que* particulam per neglegentiam omiserunt. Sed hanc coniungendi rationem imprimis in pronominibus copulandis Sallustium propemodum in deliciis habere satis ex his locis apparet: Cat. 9, 3. ib. 36, 4. Iug. 10, 2. 21, 4. 79, 9. 85, 36. 85, 47. 100, 5. Accedit (cui tamen rei non nimium tribuerim) quod, ut Wirzius adicit, *que* fortasse in margine libri *P* fuit, quamvis utrum illud a prima manu profectum an ab altera adscriptum esset, non posset diiudicari.

In § 30 omnes consentiunt *parvi id* libri *V* scripturam solam genuinam esse, ex qua *parvid* ortum, inde autem lineola adiecta *parum id* factum esse[58]). Sic etiam § 33 *praesidium agitare* in *V*

56) Nam Iug. 14, 5 *dubiae res* in unam coeunt notionem, ut pronomen interponi non possit. Nec aliter statuendum videtur de Hist. IV, 61, 16.

57) *V* solum dixi: nam si qui cum eo alii consentiant, infimae illi notae sunt, quos ullius auctoritatis esse omnino ne cogitari quidem potest.

58) Vid. Iordanus Herm. vol. I, 240; Madvigius ad Cic. de fin. V, 30, 91 p. 769 ed. II.

recte proditum esse cum recentiores omnes intellexerint, summo id iure ad probandam Vaticani virtutem adhiberi puto. Item statim proxima § haud scio an *ego* in *VC* scripturam, pro qua in *PC ergo* prorsus falso legitur, huc pertinere iure dicam: quamvis ne huic quidem rei nimium tribuam.

Nec quisquam negabit § 40 verborum ordinem longe optimum in *VC* (in quibus est P_1) servatum esse, in *PC* autem foede corruptum, qui legerit in Vaticano haec: *munditias mulieribus, viris laborem convenire*, cum in *PC* parte haec sint: *munditias mulieribus, laborem viris convenire.* Quibus in verbis facile sentitur quanta cum gravitate atque acerbitate Sallustius chiasmi figura utatur, qua munditiae et labores, ac multo etiam magis mulieres et viri inter se opponuntur. Quae exquisita dicendi ratio plane evanescit altera *PC* verborum collocatione probata, quam ut defendat, nemo opinor confugiet ad illud quod Marius dicat *non composita sunt mea verba*; nam sententias quidem Marii ingenio atque animo Sallustius accommodavit, dicendi genus suum esse ipsius voluit.

§ 41 denique *V* solus servavit *omnibus*, quod hoc loco certo recipiendum fuit: nam et consilio totius orationis ac sententiae optime respondet neque a consuetudine Sallusti alienum est.

In orationibus atque epistulis, quae ex Sallusti historiarum libris excerptae manserunt, recensendis librum *V* solum fundamentum esse post H. Iordani praeclaram disputationem inter omnes convenit. Neque vero ita omnes de eo consentiunt, quantum in hac quoque parte huic libro tribuendum sit atque quibus locis Sallusti sermoni subveniendum esse coniecturis videatur. Itaque nos in hac disputationis nostrae parte, qua de libri *V* virtute disputavimus, paucos locos tractandos esse censuimus, quibus libri *V* scriptura a recentissimis editoribus immerito neglecta recipienda esse videretur. Quorum primus est in or. Lepidi (Hist. I, 41) § 1. Legitur enim in libro *V in tutandis periculis magis quam ulciscendo teneamini,* quod ne Dietschius quidem in verborum ordinem recepit. Illud autem aperte fateor me prorsus ignorare, quare dici nequeat *in tutandis periculis,* quamvis Kritzius — falsa ut assolet librorum scriptura allata[59]) — multo

59) Hoc semel monere volui, ne quispiam me vituperaret quod Kritzii

deterius id esse dicat quam *in vitandis periculis*, istamque libri *V* scripturam a Sallustio prorsus abhorrere. Dici autem potuisse *tutari pericula* eadem sententia et iure quo Cicero *defendere pericula* dixit, duobus exemplis docebo: legimus enim Caes. B. C. I, 52, 4 *praesentem inopiam tutari*, et Calpurn. Ecl. IV, 27 *quo tutere famem?* Verum quod summum est et gravissimum, sensus et sententiarum conexus non *vitandi* notionem postulat, sed defendendi: non enim pericula vitandi studium opponi potest ulciscendi cupidini, defendendi tristis labor potest opponi. Omnino autem res iam eo pervenit, ut populus Romanus — si Lepido tempora describenti fidem habes — pericula vitare prorsus nequeat: periculum enim Sullae tyrannidis iam adest imminetque, defensione igitur opus est aut, quod Lepidus mavult, ultione post victoriam de Sulla reportatam. Hac igitur explicatione atque his argumentis usi tantum abest ut quidquam, quod h. l. in Vati-traditum est, mutemus ut, si aliam scripturam vel etiam *in vitandis periculis* libri praeberent, *in tutandis periculis* ex coniectura edere deberemus.

§ 21 Kritzius libri Vaticani scripturam *victoriam* cum *victorem* voce mutavit: quem omnes quod sciam editores praeter Gerlachium[60]) et Gehlenium[61]), qui novam rationem iniit, secuti sunt. At mirum est quantopere viri docti unius errore seducti sint. Kritzium enim illud fefellit, quod putavit requiri propter membrorum responsionem *praeter victorem* eadem sententia dictum atque *praeter satellites*. Satellites enim etiam victorem eundem voluerunt: Romani vero reliqui omnes omnia mutata esse voluerunt, victoriam autem reportatam non mutatam neque sanguinis civium rivos redintegratos: id quod maxime apparet ex eis quae subsequuntur *scilicet milites* e. q. s., quae quidem per ironiam dicta sunt, ita ut vix assentiendum sit Linkeri mutationi *an* [*scilicet*] *milites*. Quae cum ita sint, vix putes eundem, qui *victorem* scribendum esse coniecerit, dicere potuisse:

---

editionem explicationemque saepius neglexissem. Sed cum ab illa librorum mscr. falsa aestimatione sententia quoque falsa saepius oriatur necesse sit, hanc, nisi alia accederent, refutare semper omisi.

60) Ann. Heidelb. a. 1869 mens. Apr.

61) 'C. Sallusti Crispi ex historiis quae extant orationes et epistulae: expl. et vertit O. Gehlen' (Vindob. a. 1864) p. 20. Verba Sallusti ita edidit: *quis non omnia mutata, victo victoriam.*

'milites certe, qui sanguine suo paucos ditarunt, ipsi nihil ceperunt, nolunt praesentia non mutari'.

Or. Phil. (Hist. fr. I, 48) 10 postremum libri *V* patrocinium mihi suscipiendum est. Legitur ibi in eo: *agitur enim ac laceratur animi cupidine et noxarum metu, expers consili, inquies haec atque illa temptans:* Kritzius autem aliique *angitur* receperunt, ac Gerlachius summa confidentia Iordanum vituperat[62]), quod *agitur* ediderit, quamvis *angitur* unum solumque verum sit. Verum id iniuria, ut videtur: immo laude digni sunt ei editores, qui *agitur* retinuerunt. Nam tantum abest ut *angitur* coniectura quidquam proficiamus, ut multo melius aptiusque *agitur* hoc loco dicatur, quod maiorem vim habet et huc valet ut Lepidum ad bellum et facinora impelli, excitari, proturbari, neque potestatem habere res et eventus regendi vel regrediendi intellegatur; *angitur* autem non aliam sententiam praebet nisi summis angustiis atque rebus adversis illum implicitum esse atque impeditum: quo multo aptius esse apparet 'er wird umhergetrieben, gequält, gefoltert'. Neque a sermonis latini consuetudine et usu hoc abhorret: sic enim legimus, ut pauca ex multis exemplis depromam: Curt. VI, 9, 6 *ubi* (multitudo) *aut studio agitur aut ira*; Nep. Att. 9, 1 *perpetua naturalis bonitas, quae nullis casibus neque agitur neque minuitur*; Ter. Ad. III, 2, 21 *ceteros ruerem agerem raperem tunderem et prosternerem*. Adicere licet etiam Tibull. I, 5, 3. Verg. Aen. IV, 465.

Sed haec sufficiant, quibus appareat etiam in orationibus et epistulis, quae ex Sallusti historiarum libris manserunt, nonnullis locis fortasse propius ad fidem libri *V* accedi posse. Neque vero hoc ita dictum volumus, ut singulis locis omnibus cum eis editoribus, qui illius scripturam receperunt, consentire putemur. Sic ut unum atque id gravissimum exemplum afferam, vix intellegere possum quomodo Iacobsius[63]) etiam in novissima editione (a. 1870) or. Aemili Lepidi (1, 41) 20 traditam scripturam explicare posse sibi videatur, quo loco certe vel corruptela gravior

---

62) Ann. Heidelberg. a. 1869 mens. April.: e quali censura nihil profecto discimus, si talia legimus ut Or. Phil. 3 *urbem amissa curia* 'unbegreiflicher Einfall von Haupt'; § 11 *angitur* 'allein richtig'.

63) Non ut hunc virum doctum vituperem, sed ut ad eius editionem emendandam aliquid afferam, moneo eum etiam in explicationibus non omnia quae mutanda essent correxisse; id quod verbi causa docet adnotatio ad or. Macr. Phil. (I, 48) 6, ubi Lucret. II, 1163 afferre non debe-

vel etiam lacuna esse putanda est, id quod etiam maiorem veri speciem habet.

Nunc autem visum est eos locos uno sub aspectu ponere, quibus *V* solus veram scripturam servavit.

Cat. 20, 2	spectata mihi foret *V*	expectata forent (mihi *ins. m. prim.*) *P* probata foret *s. s. p.* spectata mihi forent *C*
- 20, 6	ipsi (*p in marg.*) *V*	ipsos *PC*
- 20, 15	hortantur *Vp*	hortentur *PC*
- 33, 2	vestri *Vp in marg.*[64])	nostri *PC*
- 51, 4	consuluerunt *V*	consuluerint *PC*
- 51, 9	sententiam *V*	sententias *PC*
- 51, 33	initium magnae cladis *V*	magnae initium cladis *PC*
- 51, 35	atque haec ego *V*	atque ego haec *PC*
- 51, 40	circumveniri *V*	circumvenire *PC*
- 52, 2	longe alia mihi *V*	longe mihi alia *PC*
- 52, 18	intentius *Vp i. m.*	attentius *PC*
- 52, 23	accersunt *Vp i. m.*[65])	arcessunt *PC*
- 52, 35	intra moenia atque in sinu sunt hostes *V*	intra moenia atque in sinu urbis sunt hostes *PC*
Iug. 10, 2	oneravisti *V*	honoravisti *PC*
- 10, 4	the*sauri (*eras.* n) *V*[66])	thesauri *PC*
- 14, 1	adfinium loco *V*	in adfinium locum *PC*. in adfinium loco *deter. libri*
- 14, 3	posse *V*	posse me *PC*, possem *P1*

bat. Nam rectissime docuit Briegerus Philol. vol. XXV p. 90, cui assensus est Fr. Pollius vol. XXVI p. 327, illos versus ita scribendos esse:

Conterimusque boves et viris agricolarum
conficimus, ferrum vix arvis suppeditat iam:
usque adeo parcunt (*sc.* arva) fetus augentque laborem.

64) Quamvis *vestri* verum non sit, illud tamen, quod caput huius disputationis est, hoc quoque exemplo apparet, librum *V* exempli archetypi, ex quo et fons illius et alii libri descripti sunt, scripturam melius servasse. Cf. supra p. 198.

65) Adscripsi hanc formam, non quod veram putarem, sed qua docerem librum *V* archetypi scripturas quam accuratissime repraesentare.

66) Item *thensauri* forma docet, quam bonus libri *V* fons fuerit, ut quae ipsius Sallusti aetatis propria videatur: cf. Iug. 14, 21 p. 210. De *arcessere* verbo res mihi haec fuisse videtur. Initio medii aevi *arcessunt* vera scriptura cum falsa *accersunt* mutata est, quae in optimos eius aetatis libros irrepsit, postea vero *arcessunt* ab eis, qui aliqua veri cognitione imbuti erant, restitutum est. Itaque non vera, sed falsa forma bonam libri ac vetustam originem testatur.

Iug. 14, 9	cum liberis regnique participem *V*	cum liberis tuis regnique participem *PC*
- 14, 9	numquam *V*	numquamne *PC*
- 14, 11	non quit *Vp*	nequit *PC*
- 14, 12	laboris *V*	laborem *PC*
- 14, 18	neu *V*	ne *PC*
- 14, 21	quoius *Vp i. m.*	cuius *PC*
- 24, 3	patris om. mei *V*	patris mei *PC*
- 24, 3	incertum est *Vp i. m.*	incertus sum *PC*
- 24, 8	nisi v̄ra vis *V*	nisi vis vestra *PC*
- 31, 8	potentiae factionis *V*	factionis potentiae *PC*
- 31, 10	honores non praedas *Vp i. m.*	honori non praedae *PC*
- 31, 16	curam libertatis *V*	libertatis curam *PC*
- 31, 18	vobis *V*	vos *PC*
- 31, 19	contemnet *V*	contempnit [profecto] scilicet (glosa est *s. s.; p*) *P*
- 31, 25	amittatis *V*	omittatis *C*. obmittatis *PP1*
- 85, 2	quanto pluris *V*	quo pluris *PC*
- 85, 11	imperatorem *V*	imperare *PC*
- 85, 14	possit *V*	posset *PC*
- 85, 23	neque mala neque bona *V*	neque bona neque mala *PC*
- 85, 24	fateor *V*	patior *PC*
- 85, 26	meque vosque *V*	me vosque *PC*
- 85, 30	egomet *Vp*	ego meis *PC* (egomet meis *P3*)
- 85, 30	parvi *Vp*	parum *PC*
- 85, 31	praesidium *Vp ut videtur*	praesidia *PC*
- 85, 42	omnibus flagitiis *V*	omnibus *om. PC*

His vero locis, quibus soli *V* vera scriptura debetur, nunc ei adiciendi sunt quibus ille cum aliis libris[67]) in Sallusti verbis recte traditis consentit, in *P* autem ea leguntur, quae a Sallustio non esse profecta nobis persuasum sit.

Cat. 20, 10	vobis *VC*	nobis *PC*
- 20, 16	utemini *VCp*	utimini *PC*
- 33, 1	patria *VC*[68])	patriae *PC*
- 35, 1	in magnis meis *VC*	magnis in meis *PC*. in meis magnis *C deteriores*
- 51, 4	quae *VC*	qui *PC*

67) In hoc ordine omnes fere locos (praeter eos de quibus diserte monuimus) enumeravimus, quibus in Iordani editione libros *VC* scripturam aliquam praebere adnotatum est, quamvis librorum *C* notam saepius eis quoque libris tributam esse videremus, quibus nulla fides habenda est; neque tamen invenimus, qui res aliter institui posset, neque id ad ipsam de libri *V* fide disputationem fuit necessarium.

68) Cf. quae infra p. 233 sqq. disputavimus.

Cat. 51, 5	infida et advorsa *VCp*	infida atque advorsa *PC*
- 51, 15	severior *VC*	sevior *PC*
- 51, 21	sententia *VC*	sententiam *PC*
- 51, 25	neglexeris *VC*	neglegeris *P*
- 51, 43	ne quis *VCp s. s.*	neu quis *PC*
- 52, 28	prospere omnia *VC*	prospera omnia *PC*
- 52, 33	dis atque hominibus *VCp i. m.*	dis aut hominibus *PC*
- 58, 11	pugnare pro potentia paucorum *VC*	pro potentia paucorum pugnare *PC*
- 58, 12	adgredimini *VC*	adgrediamini *PC*
- 58, 13	vobis *VC*	nobis *PC*
Iug. 10, 1	ego te Iugurtha *VC*	ego, Iugurtha, te *PC*
- 14, 11	regno meo *VC*	meo regno *PC*
- 14, 21	ne *VCp i. m.*	ut *C*, ut * (t *in ras.*, u *post inser.*) *P*
- 31, 17	maius *VC*	magis *PC*
- 31, 28	beneficii memorem esse quam maleficii *VC*	beneficii quam maleficii memorem esse *PC*
- 85, 3	cum maxumo vostro beneficio *VC*	cum maxumo beneficio vostro *PC*
- 85, 13	audire aut legere solent *VC*	audire et legere solent *PC*
- 85, 17	faciant *VC*	faciunt *PC*
- 85, 26	in maximo vestro benificio *VC*	in vr̄o maximo beneficio *P*
- 85, 29	pectore *Vp*, *ex C unus*	corpore *PC*
- 85, 34	ego *VC*	ergo *PC*
- 85, 37	mollitiam *VC*	mollitiem *PC*
- 85, 40	viris laborem *VC*	laborem viris *PC*

Hi fere sunt loci, quibus codex Vaticanus veram scripturam sive solus (p. 221) sive cum aliis libris manu scriptis servavit: in quibus eligendis satis me cautum parcumque fuisse arbitror; hoc certe affirmare possum, nullum me, ut sententiam meam aliquo cum lenocinio exornarem, locum adscripsisse, quem in aliis quoque libris satis recte et latine tradi mihi persuasum esset. Itaque si quis meam de *V* sententiam non repudiaverit, aliis quoque locis ad eiusdem fidem Sallusti verba restituenda esse concedet. Quare eos locos, in quibus utrum Vaticani an ceterorum scriptura praestet diiudicari vix potest, item adscripsi; ita tamen in hoc negotio versatus sum, ut non, quemadmodum in superioribus indiculis rem institui, distinguerem utrum Vaticanus solus an una cum aliis scripturam quamque praeberet, cum ea distinctio hic prorsus supervacanea esset. Sunt autem illi hi loci quos subieci.

Cat. 20, 6	magis magisque *V*	magis *PC*
- 20, 9	o fortissimi viri *VC*[69])	o *om. C, s. s. PP1*
- 35, 1	L. Catilina salutem dicit[70]) Q. Catulo *VP* (*in quo* s. d. *s. s.*)	salutem dicit *om. vel pro eo substituunt* suo *C*
- 35, 6	Orestillam tibi commendo *V*	Orestillam commendo *PC*
- 51, 7	neve *VC*	neu *PC*
- 51, 10	permovet — accendit *Vp in marg.*	permovit — accendet *PC*
- 51, 19	in armis sint *V*	sint in armis *PC*
- 51, 21	in eos verberibus *V*	verberibus in eos *PC*
- 51, 22	item de condemnatis civibus *V*	item condemnatis civibus *PC*
- 52, 12	scelestis *Vp in marg.*	sceleratis *PC*
- 52, 18	paulum *VC*	paululum *PC*
- 52, 34	Statilio Gabinio *V*	Gabinio Statilio *PC*
52, 35	occulte potest *V*	potest occulte *PC*
- 58, 21	cavete ne *VC* (*P1 delevit* ne)	cavetę *PC*
Iug. 10, 3	vitae finem *V*	finem vitae *PC*
- 14, 1	exercitus *V*	exercitum *PC*
- 14, 11	scelere et superbia *V*	scelere atque superbia *PC*
- 14, 11	se ecferens *V*	sese ecferens *C*, se *om. P*
- 14, 15	relicta anima est *V*	relicta est anima *PC*
- 14, 15	cum maerore atque luctu *V*	cum maerore et luctu *PC*
- 24, 2	vos oratum mitto *V*	ad vos oratum mitto *PC*
- 24, 9	scripsi *V*	scribo *PC, Serv. Fuld. in Verg. Aen. I, 392*
- 85, 5	benificia in rem publicam *V*	benefacta reipublicae *PC*
- 85, 10	veteris prosapiae multarum imaginum et nullius stipendii *V*	veteris prosapiae ac (*sic PC*, aut *C*) multarum imaginum et nullius stipendii *PC*. veteris prosapiae multarum imaginum ac nullius stipendii *Prisc. vol. II p. 221. 360 ed. Hertz.*
- 85, 14	obiciuntur *VCp s. s.*	obiectantur *PC*
- 85, 23	habent *VC*	habet *PC*
- 85, 26	facundiam et compositam orationem *VC*	facundam et compositam orationem *PC*

69) Hanc scripturam recipiendam esse etiam Iordano videri inde conicio, quod in adnotatione critica eam primo loco posuit.

70) Ex hac discrepantia unum manifestum esse mihi videtur, fuisse certe in exemplo archetypo unam *s* litteram; ita ut ratio editorum, qui hanc prorsus neglexerunt, vix probari possit.

Iug. 85, 32 profuerunt *VCp i. m.*	profuerant *PC*
- 85, 39 incultum moribus *VC*	incultis moribus *PC*
- 85, 39 quae libet mihi *V*	quae mihi libet *PC*
- 85, 45 bonum animum habete *V*	bonum habete animum *PC*
- 85, 47 socius periculis *V*	socius periculi *PC*
- 85, 49 ut boni *VC*	uti boni *PC*
- 102, 5 quod *V*	cum *PC*
- 102, 5 ut *VC*	uti *PC*

Reliquum est igitur, ut ea quoque nunc subiciam, quae in *V* non recte prodita sunt. Qua in re necesse videbatur in duo genera haec vitia dividi: primum eorum, quae *V* solus falsa exhibeat: alterum eorum, quorum pravitatem cum Vaticano etiam alii libri participant.

Cat. 33, 1 nostrum cuiquam *V*	cuiquam nostrum *PC*[71])
- 51, 34 fuit *V*	fuerat *PC*
- 52, 9 penderatis *V*	pendebatis *PC*
- 52, 15 ad defendum *V*	ad defendendum *PC*
- 52, 23 servttis (t *prius in ras.*) *V*	serv**tis *P*, servitis *C*
- 52, 25 etiamnum *V*	etiamnunc *PC*
- 52, 34 sūma *V*	maxuma *PC*
- 58, 10 tegit *V*	teget *PC*
Iug. 14, 9 id *V*	is *PC*
- 14, 24 dedocere *V*	dedecore *PC*
- 14, 25 per vos — populi Romani *om. V*	
- 24, 8 quo *om. V*	
- 24, 10 et *V*	ut *PC*
- 24, 10 cruciatum *V*	cruciatus *PC*
- 31, 2 inviti *V*	inulti *PC*, multi *C*
- 31, 11 Quirites *om. V*	
- 31, 14 idem cupere *Vp* (*in marg.*)	eadem cupere *PC*
- 31, 15 fastio vel fartio *V*	factio *PC*
- 31, 16 profectione que *V*	profecto neque *PC*
- 31, 23 hostibus *alterum om. VC*	
- 31, 26 vindicantur *V*	vindicatum *PC*
- 85, 2 illa *V*	illam *PC*
- 85, 3 et *om. V*	bellum parare simul et aerario parcere *PC*
- 85, 9 verti *V*	vertit *PC*
- 85, 16 matre *V*	patribus *PC*

71) Hanc veram esse collocationem verborum hi loci docent: Cat. 36, 5. ib. 51, 2. Iug. 102, 8. ib. 74, 1. Cat. 51, 11. Vnde etiam Hist. III, 61, 25 scripserim *neque quisquam mortalium dare aut eripere talia unus poterat.*

Iug. 85, 17 item *V*	idem *PC*
- 85, 18 haec per illa *V*	per haec illum *PC*
- 85, 28 numerorum *V*	num eorum *PC*
- 85, 28 nam *V*	namque *PC*
- 85, 42 viri *om. V*	
- 85, 45 et *V*	sed *PC*
- 102, 8 utinam principio *V*	utinam a principio *PC*
- 102, 8 bona cepisses *V*	bona accepisses *PC*
- 102, 9 esse sed *V*	esses sed *PC*
Cat. 51, 12 agunt *VCp in marg.*	habent *PC* (*P1*, *E*, *T*)
- 51, 41 ego hanc *VC* (*E B*)	hanc ego *PC* (*P1 T*)
- 52, 5 ita *VC*	ista *PC*
- 52, 26 miseremini *VC* (*P1 ex corr.*)	misereamini *PC* (*E T B*?)
Iug. 85, 41 sudorem *om. V, singuli ex C*[72] *et z*	
- 85. 45 mehercules *VC*	mehercule *PC*

Haec igitur exempla omnia si diligenter perlustrarimus, nullum locum deprehendimus, quo Vaticanum alicuius correctoris consilio et arbitrio mutatum esse doceri possit. Itaque quod supra fecimus de Iordani subtili sane et sagaci, sed eadem vix probabili disputatione iudicium, id exempla ipsa tam luculenter confirmant, ut sine erroris periculo nobis videamur librum Vaticanum ceteris omnibus longe praestantiorem habere. Accedit quod in illo non tot, quot in *PP1* (de quibus hoc accuratius exploravi) errores librariorum reperiuntur: quod quidem exemplis comprobare supersedeo, neminem hac in re mihi diffisurum ratus. Quae cum ita sint, in orationibus et epistulis, quae in libris de coniuratione Catilinae et de bello Iugurthino exstant, recensendis summam fidem Vaticano habendam, omnibusque locis, in quibus neque sententia neque sermo latinus idemque Sallustianus aliud iubet, illum ut ducem atque auctorem sequendum esse censemus.

Verum etiam aliam in partem recte iudicati Vaticani usum valere putamus, ut qui nobis pro fundamento esse possit, unde profecti singulis codicibus ceteris suum pretium statuamus. Quod cur sentiam, ita mihi explicandum video, ut simul de nonnullis

72) Qui sint hi '*singuli ex C*', ignoro: nam in *T sudorem* exstare, id quod Dietschius negavit, nunc Wirzii diligentia cognitum habemus. Suspicor igitur tantum in *V* et in interpolatis *sudorem* vocem omissam esse.

rebus, quae huic quaestioni propinqua sunt, quam paucissimis disputem. Illam autem sententiam, propositam eam a Dietschio, improbavit Woelfflinus, qui docuit librum Parisinum Sorb. n. 500 (*P*) Vaticani scripturis in margine adnotatis correctum esse, id quod septendecim locis in libro de coniuratione Catilinae repertis confirmavit[73]). Vnde cum efficere studuit Vaticanum ad aestimandam codicum auctoritatem adhiberi non posse, tamen id in universum valere concedi vix poterit, si quidem alia quaedam diligenter respexerimus. Ac primum quidem summum momentum in eo positum est, utrum hae correctiones iam in eo libro, ex quo *PP1* fluxerunt, repertae sint, an in ipsum *P* primum inlatae. Quorum cum prius Woelfflino veri esse similius videretur, contra Iordanus diligentissimus harum rerum iudex alterum amplexus est. Si enim iam in eo exemplo, ex quo *P* ceterique descripti sunt, haec varietas scripturae exstabat, tum certe a manu prima in *P* eam translatam esse apparet; si vero in ipsum *P* primum inlatae sunt, ab altera manu emendatrice eas profectas esse necesse est. Quae manus quamvis difficillime distingui possint, Iordanus tamen confidenter alteri has correctiones tribuit[74]). Neque eum errasse puto, cum illud iudicium alia quoque re mirum quantum confirmetur. Sic enim ratiocinandum est: si in libro archetypo haec correcta erant, certe in reliquis quoque libris ut in *P1*, quem proximo cum *P* vinculo coniunctum esse Wirzius docuit, vestigia harum scripturarum exstare putandum sit; quod si non est ita, aut in illo exemplo archetypo omnino eas correctiones non exstitisse (id quod longe simplicissimum et maxime probabile videbitur), aut certe in libros *P1* et ceteros eas non esse translatas iudicare debebis. Attamen si singulos locos, quibus illae in margine adnotationes exstant, diligenter pervestigaveris, intelleges nusquam librum *P1*, de quo Wirzii opera iam supra laudata prorsus certo iudicare possumus (nec magis ceterorum quemquam) ullum illarum correctionum vestigium monstrare. Cuius rei documento eas quoque marginum correctiones adscripsi,

---

73) Quod cum ego quoque verum esse putarem, *p* in disputatione mea numquam pro testimonio attuli, sed solum in enumeratione has quoque scripturas adposui.

74) Herm. vol. I p. 231: 'der zweiten Hand scheinen zu gehören die merkwürdigen Correcturen in den Reden und Briefen, welche, wie Wölfflin nachgewiesen hat, die Collation einer mit der vaticanischen Sammlung genau übereinstimmenden Handschrift enthalten.'

quae ad bellum Iugurthinum pertinent, quas quidem Woelfflinus omisit. Legimus enim Iug. 14, 21*[75]) *cuius PP₁, quoius Vp* in marg. — 14, 21* *ut* (*t* in ras., *u* post inser. *P*) *P₁*, *ne Vp* i. m. — 24, 3* *incertus sum PP₁*, *incertum est Vp* i. m. — 31, 10* *honori non praedae PP₁*, *honores non praedas Vp* i. m. — 31, 14* *eadem cupere PP₁*, *idem cupere Vp* i. m. — 31, 28 *benefici quam malefici memorem esse PP₁*, *benefici memorem esse quam malefici Vp* i. m. — 85, 11* *imperare PP₁*, *imperatorem Vp* i. m. — 85, 32 *profuerant PP₁*, *profuerunt Vp* i. m. Neque aliter in libro de coniuratione Catilinae res se habet, ubi omnibus locis, quos Woelfflinus attulit[76]), *P* et *P₁* consentiunt, a *V* autem et margine *p* dissentiunt, praeter 51, 5 ubi *P infida atque adversa*, *Vp* i. m. *TEP₁ infida et adversa* praebent; 51, 19 ubi *PV supervacuaneum*, *P₁* et *p* i. m. *supervacaneum* exhibent; 52, 12, quo loco in *V formidolosa*, in *P formi dolosa*, in *P₁* et *p* i. m. *formidulosa* legitur; sed tantum abest ut his locis sententia nostra refutetur, ut luculentissime ex his quoque exemplis appareat de manu omnium librorum emendatrice cogitari omnino non posse. Reliqui autem, quibus *PP₁* a *V* et *p* discrepant, hi sunt loci: Cat. 20, 6* *ipsos PP₁*, *ipsi Vp* i. m. — 20, 7* *nobiles atque ignobiles PP₁*, *nobiles et ignobiles Vp* i. m. — 20, 7* *vulgus PP₁*, *volgus Vp* — 20, 15* *hortentur PP₁*, *hortantur Vp* — 20, 16 *utimini PP₁*, *utemini Vp* — 33, 2* *nostri PP₁*, *vestri Vp* i. m. — 52, 10 *permovit . . . accendet PP₁*, *permovet . . . accendit Vp* i. m. — 52, 12 *habent PP₁*, *agunt Vp* i. m. — 52, 12* *sceleratis PP₁*, *scelestis Vp* i. m. — 52, 18* *attentius PP₁*, *intentius Vp* i. m. — 52, 24* *arcessunt PP₁*, *accersunt Vp* i. m. — 52, 33 *dis aut hominibus PP₁*, *dis atque hominibus Vp* in margine.

Haec autem omnia planissimo documento sunt, ne cogitari quidem posse has correctiones iam in primae familiae libro archetypo exstitisse. Itaque nemini mirum esse videbitur, si contrarii aliquid invenerit. Sunt enim loci quibus *P₁*, quem Wirzius alibi quoque libro *P* anteponendum esse docuit (id quod nec

75) Asterisco eos locos notavi, quibus scriptura aliqua in nullo libro praeter *Vp* i. m. exstat.

76) Ex numero eorum quae Woelfflinus attulit exemplorum de Cat. 20, 15 et Cat. 20, 16 monendum est illic *hortantur*, hic *utemini* non in margine, sed ut 20, 7 *volgus* et 35, 1 *salutem dicit* supra versum posita esse, Cat. 51, 4 autem *quae* in *p* omnino scriptum non exstare.

Iordanus plane negavit[77]), censor autem Eussneri[78]) exercitationum Sallustianarum, subtilissimi vir iudicii, plane probavit), cum *V* veram scripturam praebeat, *P* autem falsam exhibeat, quamvis ea non correcta sit. Sic recte in *V* et P_1 legitur Cat. 51, 4 *quae*; 5 *infida et advorsa*; 15 *severior*; 21 *in sententia*; 52, 29 *prospere omnia cedunt*; 58, 11 *pugnare pro potentia paucorum*; Iug. 31, 17 *maius*; 85, 13 *audire aut legere*; 34 *his ego*; 40 *viris laborem*.

Nunc vero, postquam docuimus librum archetypum, ex quo *P* et ceteri descripti sunt, his correctionibus caruisse, pauca de eo correctore Vaticano-Parisino adicienda video. Et Woelfflinus quidem librum *P* correctum esse dicit ad exemplum aut Vaticani aut libri Vaticano simillimi. Quod ut quale esset diiudicaret Eussnerus[79]), Parisinum non ad ipsum *V* correctum esse argumentatur ex Iug. 31, 10: hic enim *proinde*, quod in *V* et *P* legitur, ab emendatore in *perinde* mutatum esse, ut *perinde* in codice aliquo libri *V* prorsus simili exstitisse putandum sit. Quam argumentationem reicit censor Eussneri in ea disputationis parte, qua illum docet in rebus ad rationes palaeographicas librariorumque consuetudinem spectantibus non satis versatum esse. Quod quamvis omnino concedam, hoc tamen in loco Eussnerum rectissime conclusisse puto. Nam aliud est de scribendi errore, aliud de correctione agere. Hoc sane concedendum est, perlevem esse differentiam inter *perinde* ac *proinde*: nullo autem modo corrector, nisi in illo libro Vaticani simillimo *perinde* legisset, *proinde* quod *P* et *V* exhibent cum *perinde* voce mutaturus fuisset. Sed alia quoque exempla sunt, quibus Eussneri sententia commendari mihi videatur. Cat. 51, 19 enim in *PV* *supervacuaneum* legitur, *p* in margine *supervacaneum* correxit; 52, 13 in *V formidolosa*, in *P formi dolosa* est, *p* i. m. *formidulosa* praebet. Iug. 31, 25 in *V amittatis* exstat, *p* autem cum aliis *omittatis* tradit, pro quo *PP_1 obmittatis* exhibent; 85, 49 in libro *V* (et *PC*) *nemo ignavia* scriptum est, *p* i. m. (et *C*) *ignavia nemo* habet. Quibus locis addendus esse videtur Cat. 20, 4, ubi *V spectata mihi foret*, *p probata mihi foret* exhibet (nam de *PC* supra monuimus, neque horum scripturae huc pertinent).

77) Herm. vol. III p. 460.
78) in Leutschii 'Philol. Anzeiger' vol. I p. 236.
79) Exercit. Sallust. p. 4 (161).

Credo enim ego quoque manum alteram correctiones nonnullas, sicubi spatium non deerat, intra versus scripsisse, priorem autem manum nihil praeter errores inter scribendum natos correxisse: ea autem, quae supra p. 228 adn. 76 dixi, hac sola de causa monui, quod Woelfflini disputatione facile quispiam adducatur ut omnes illas XVIII quas attulit correctiones (praeter duas) in margine positas esse opinetur. Cui meae sententiae aliquid praesidii parari ex illis locis puto, quibus Iordanum quoque scripturam *p* ex *V* translatam credere inde apparet, quod eam in ipsa verba Sallustiana non recepit.

In eis quae adhuc disputavimus libri Bernensis 357 (𝔅) saeculo X scripti nulla mentio facta est. Itaque ne quis forte per neglegentiam illum nos praetermisisse arguat, iure nos ita rem gessisse facile apparebit, postquam paucis de hoc libro disputaverimus. Illum igitur codicem, cuius scripturas Woelfflinus Philologi vol. XVII p. 154 sqq. ex C. L. Rothii collatione vulgavit, Buechelerus prol. ad Petron. p. 17 diligentissime descripsit, Usenerus autem Mus. Rhen. vol. XXII p. 414 sqq. copiose de eo disseruit. Exstant autem in eo libro non omnes orationes et epistulae ex Sallusti Catil. et Iug. excerptae, sed tantum haec: Cat. 20. 52. 58. Iug. 10. 14. 102. 110. Cat. 44. Iug. 9. In quibus cum plerumque scriptura aut cum Vaticano consentiat aut falsa sit, facile quispiam suspicetur librum 𝔅 ex *V* originem duxisse. Quod non ita se habere ex his locis apparet, quibus in 𝔅 Sallusti verba ut in *PC* recte scripta leguntur, in *V* autem errores librariorum subrepserunt: Cat. 52, 5 *V ita*, 𝔅 *ista*; — 52, 9 *V penderatis*, 𝔅 *pendebatis*; — 52, 15 *V ad defendum*, 𝔅 *ad defendendum*; — Iug. 14, 9 *V id*, 𝔅 *is*; — 102, 8 *V perpessus esse*, 𝔅 *perpessus esses*. Cui numero fortasse duo loci adici possunt, in quibus quamvis equidem Vaticani scripturam probaverim, Bernensis cum *PC* consentit; nam Cat. 20, 16 recte in *V utemini* (pro quo in 𝔅 et *PC* est *utimini*), 52, 29 autem *prospere omnia cedunt* (ubi 𝔅 et *P* n o n n u l l i q u e alii *prospera*) legi docuisse mihi videor. Quo etiam tertius adiciendus est Iug. 14, 15, ubi in *V relicta anima est*, in Bernensi ut in *PC relicta est anima* exstat. Hos tamen tres locos non eos esse quibus quidquam probetur, vix est quod moneam: nam quidquid de eis statueris, demonstrari non poterit tribus locis solis non potuisse talia casu et errore oriri.

Sed hunc codicem Bernensem, sive ex eodem unde *V* fluxit libro originem duxit sive inter 𝔅 et fontem libri *V* alius (quod libentius amplector) intercedit, ad artem criticam Sallustianam nihil valere eorum multitudo locorum docet, quibus scripturam, quam liber *V* veram exhibet, corruptam esse apparet. Exempla haec habeto: Cat. 20, 8 *repulsas* om.; 20, 14 *en* om.; 44, 5 *ex eo* om.; 52, 8 *libini*, *V libidini*; 52, 10 *sed heac cuiuscumque*; 52, 16 *hoc* om.; 52, 17 *exitu*, *V exercitu*; 52, 18 *vos modo*, *V modo vos*; 52, 27 *in misericordiam*, *V in miseriam*; 52, 29 *suplicis muneribus*, *V suppliciis muliebribus*, item *consolando*, *V consulendo*; 52, 36 *ibique*, *V eique*; *at crudelia*, *V atque crudelia*; *in cuius*, *V in cives*; 58, 6 *in* om.; 7 *iri* (*i* posterior in rasura), *V ire*; 58, 14 *amissis bonis* om.; 58, 16 *cuius corpus*, *V quibus corpus*; 58, 17 *his*, *V eis*; 58, 19 *morantur*, *V hortantur*; *circumveniri*, *V circumvenire*; — Iug. 10, 1 *te ego Iugurta*, *V ego te*, *Iugurtha*; 10, 2 *Numantiam*, *V Numantia*; 10, 2 *difficillimum est inter mortales*, *V difficillimum inter mortalis est*; 10, 3 *coniuntos*, *V coniunctos*; 10, 6 *si*, *V sin*; 10, 8 *colite et observate*, *V colite observate*; *enitemini*, *V enitimini*; 14, 3 *beficia*, *V benificia*; 14, 3 *mihi maxime deberi*, *V maxime deberi mihi*; 14, 5 *Cartaginensi*, *V Carthaginiensi*; 14, 8 *ego his*, *V ego eis*; *et . . . conscripti* om.; 14, 8 *dispecti*, *V despecti*; 14, 9 *beneficia*, *V benificia*; 14, 11 *isdem*, *V eisdem*; 14, 11 *sicuti*, *V sicut*; *et ubivis*, *V ut ubivis*; 14, 13 *sumus*, *V simus*; 14, 15 *pater . . . concessit* om.; 14, 17 *vero* om.; 14, 18 *quem* om.; 14, 21 *cuius*, *V quoius*; 14, 23 *me* om.; 14, 23 *exul patrio*, *V ex patrio*; 14, 23 *tuasque*, *V tuasne*; 14, 24 *honestius esset*, *V honestus exitus esset*; 14, 24 *sed*, *V si*; 14, 25 *misero mihi*, *V mihi misero*; 24, 3 *deortatur me*, *V dehortatur*; 24, 6 *Hiemsalem*, *V Hiempsalem*; *dein*, *V deinde*; 102, 8 *multa*, *V multo*; *coepisses*, *V cepisses*; 102, 11 *beneficiis*, *V benificiis*; 110, 4 *libet*, *V licet*; 7 *ista*, *V ita*; *ne id*, *V neque id*; *vosque*, *V vobisque*.

Exempla autem si omnino aliquid probant, certe probant in hac quaestione. Itaque cum in tanta discrepantium scripturarum multitudine nullus locus sit, cui ex libro Bernensi aliquid praesidii vel emolumenti paretur, neque quidquam boni proferri possit quod illi soli debeatur, non immerito vel temere egisse nobis videmur, cum eum codicem omnino segregandum ex eorum numero statuimus, qui ad Sallusti verba recensenda adhibeantur.

Neque Woelfflinum crediderim etiamnunc arbitrari, codice Bernensi duce etiam constantius nos posse in Vaticani scripturis recipiendis versari. Eos autem, qui tribus illis exemplis (Cat. 20, 16. 52, 29. Iug. 14, 15 (cf. p. 230) aliquid tribuant, monitos volo, ipsis eandem explicandi difficultatem manere; nam illos si id offendit, quod in Bernensem et *P* idem vitium fortuito irrepsisse putandum sit, nonne eodem iure in eo offendas, quod ipsis in Cat. 20, 16 *V* et *Te* (cum aliis, quos habes apud Dietschium), in Cat. 52, 29 *V* et P_1 eundem errorem praebere credendi sint? Neque tertio exemplo Iug. 14, 15 plus contra nos probari loco Iug. 31, 28 docetur, ubi *VC benificii memorem esse quam maleficii*, *PC beneficii quam maleficii memorem esse* scriptum exhibent. Quae cum ita sint, nihil isti quidem habent profecto, quo eam quam nos amplexi sumus sententiam, qui haec tria exempla casui tribuamus, iure impugnent.

Nunc autem ut summam totius disputationis paucis complectamur, haec sunt, quae opera nostra effecta esse putamus: primum, librum Vaticanum non esse rhetoris alicuius consilio mutatum, sed potius, cum antiquiori eique admodum bono libro originem debeat, plurimis locis veram scripturam solum servasse; alterum, eiusdem libri etiam hunc usum esse, ut conlata inter se Vaticani ceterorumque, qui integros de coniuratione Catilinae deque bello Iugurthino libros continent, codicum memoria horum ipsorum fides et auctoritas rectius perspiciatur. Nam nihil dicere eos, qui iam primam classem (*PP*$_1$ cet.) ad Vaticani exemplum correctam esse contendant, sic docuimus ut iam a P_1 (gemello libri *P*) has correctiones alienas monstraremus. Postremo hoc subiecimus, e libro Bernensi nullum Vaticano praesidium oriri.

His igitur rationibus et consiliis nobis utendum videtur ad novam Sallusti editionem parandam: ita quidem ut primum, quanta singulis codicibus auctoritas tribuenda sit, Vaticano potissimum duce diligenter denuo inquiratur; tum ut optimorum tantum librorum scriptura (erunt autem hi non multi, quamvis *PP*$_1$ *B*[80]) vix sufficiant) accurate enotetur; denique ut verba Sallusti non pressius ad unum aliquem codicem (praeter *V* in orationi-

80) De scriptura libri *B* etiam post Gerlachium nonnullis locis dubitatur.

bus et epistulis) conformentur, sed inprimis quid ratio quidque usus sermonis Sallustiani (cuius accuratam descriptionem etiam post laudabilem Dietschii[81]), Badstuebneri, Gruendeli[82]), Bussmanni[83]) operam desideramus) postulet, curiose exploretur.

Sed de libris ms. hactenus. Restat, ut de nonnullis locis disputemus, in quibus librorum scripturae emendando succurrendum esse nobis persuasimus.

Epimetrum emendationum.

Catilinae 33, 1 leguntur mandata legatorum, quos C. Manlius ad Marcium Regem miserat, quorum prima enuntiatio haec est: *Deos hominesque testamur, imperator, nos arma neque contra patriam cepisse neque quo periculum aliis faceremus, sed uti corpora nostra ab iniuria tuta forent, qui miseri egentes violentia atque crudelitate feneratorum plerique* ***patriae***, ***sed*** *omnes fama atque fortunis expertes sumus.* His in verbis *V* et primae familiae codices *ET*, quorum scripturas integras Wirzii Turicensis opera cognitas habemus, *patria*, *P* et ceteri primae familiae libri (hoc Dietschio auctore dictum volo) *patriae* praebent. Ac primum quidem male nos habet *expers* adiectivi duplex constructio, ut e quo priore loco genetivus, tum ablativus pendeat. Quae res quamvis Cortio miram sapere elegantiam visa est, tamen tam est molesta, ut a sermone Sallustiano prorsus alienam existimem. Quod si certa demonstrandi necessitate firmari nequit, tamen tantum apparet, exempla quae editores attulerunt[84]) in hunc locum minime quadrare; in nullo enim ex ad-

81) maxime in ed. a. 1843 et 1846 vulgata, in qua de Sallusti sermone multa docte et diligenter disputavit.

82) 'Quaestiones Sallustianae', ed. Regimonti Pr. a. 1861. Ibi quaestio II haec est: 'quomodo Sallustius a vulgari dicendi usu decedens quaedam nomina substantiva cum casibus construxerit'.

83) 'Quaestionis de temporum et modorum apud Sallustium usu particula', ed. Gryphiswaldiae a. 1862.

84) Cat. 25, 2: *litteris Graecis et Latinis* (Sempronia fuit) *docta, psallere, saltare elegantius quam necesse est probae, multa alia quae instrumenta luxuriae sunt.* Iug. 74, 3: *Romani signorum et armorum aliquanto numero, hostium paucorum potiti.* Iug. 84, 2 (quo loco et de scriptura et de explicatione dubitatio est): *plerosque militiae, paucos fama cognitos.*

iectivo diversi casus, qui una appositi sint, pendent. Itaque summo iure Dietschius omnium severissimum olim se praestiterat *e* litterula deleta constructionem emendans: quamquam idem in novissima editione *patriae* cum Iordano praetulit. Nec tamen vel sic omnia bene se habere videntur: vitium enim a me significatum quale sit, statim apparet verbis latinis vel in nostrum sermonem translatis vel libero ac strenuo iudicio examinatis. Nam in verbis *qui miseri egentes violentia ac crudelitate feneratorum plerique patria, sed omnes fama atque fortunis expertes sumus* contrarii aliquid inesse, *sed* particula adversativa satis indicatur. Verum quae tandem sunt in his verbis, quae inter se opponantur? Nihil profecto, ut opinor. Quod si recte ratiocinamur, contrarium significans particula omnino locum non habet. Tam autem facile inventu puto quid a Sallustio scriptum sit, ut lenissima mutatione hunc locum omnibus numeris absolutum reddi mihi persuaserim, si e *patriae sed* efficiatur *patria sede.* Haec igitur, nisi egregie fallor, Sallusti verba fuerunt: *qui miseri, egentes violentia ac crudelitate feneratorum plerique patria sede, omnes fama atque fortunis expertes sumus.* Est enim in his nulla oppositio, sed gradatio totius loci sententiae aptissima, quam in Sallustianum dicendi genus optime convenire exemplis docere prorsus sit supervacaneum. *patria sede* autem hoc loco non aliter dixit atque in Hist. I, 41, 12 *plebis innoxiae patrias sedes occupavere pauci satellites mercedem scelerum.*

Pergimus ad Cat. 20, 7, ubi Iordanus libri *P* auctoritatem secutus haec edidit: *ceteri omnes, strenui boni nobiles atque ignobiles, volgus fuimus* e. q. s. Ex ceteris primae familiae libris *T boni atque nobiles ignobiles,* omisso *strenui* adiectivo, praebet; in duobus aliis (BP_3), qui ex eodem fonte originem duxerunt, *strenui nobiles atque ignobiles* legitur; Vaticani autem haec est scriptura: *ceteri omnes boni atque strenui nobiles et ignobiles volgus fuimus.* Haec igitur memoriae discrepantia corruptelam arguit. Manifestum est enim a Sallustio ex mente Catilinae *strenuum* eum dici, qui summo animi ardore contra senatum optimatumque factionem inflammatus sit omnibusque et animi et corporis viribus, ut quam vehementissime senatum nobilesque impugnet evertatque, nitatur: furentem audacia, scelus anhelantem, pestem patriae nefarie molientem. Quam tandem notionem *boni* voci Sallustius ex animo Catilinae subiecerit? Non profecto longe

diversam: sed bonus civis Catilinae ut seditioso cuique is videtur, qui patriam magistratus leges eversurus est eisque perniciem molitur. Itaque bonus idem dicitur qui *strenuus*, nisi quod illud notionem latius patentem continet. Quae cum ita sint, iure suo Woelfflinus[85]) in hac enuntiationis parte perversum esse plurimis in libris verborum ordinem dicit: antecedere enim debere *bonum* ut latius patens vocabulum, singularis notionis verbum *strenuum* sequi. Quae lex satis per se probabilis his exemplis confirmatur: Iug. 22, 3 *bene atque strenue*; Hist. inc. 63 *bonum et strenuum*; ep. de rep. 1, 1 *bonus atque strenuus*; Cat. apud Gell. 17, 13, 3 *haut eos eo postremum scribo, quin populi et boni et strenui sint.* Idem tamen Woelfflinus si contendit Sallustium, ubi voces contrariam notionem continentes particula copulativa societ, nusquam *et*, sed semper *atque* coniunctione uti, vel uno (alia ut omittam) Iugurthae loco 67, 2 refellitur: *iuxta boni malique, strenui et imbelles*; quicum cf. Cat. 51, 30 *bonos et malos.* Attamen etiamsi in libris omnibus scriptum exstaret *boni et strenui, nobiles atque ignobiles*, vix putaverim haec verba omnibus numeris absoluta esse. Ac primus quidem Iordanus dubitationem movit[86]), enuntiationis vi recte, ut mihi quidem videtur, perspecta, nec vero satis dilucide exposita ac vere emendata. Videtur enim ordiendum esse a verbis *nobiles atque ignobiles*, quae nisi apposita sint ad ea quae antecedunt et hac ratione inita unum membrum efficere putanda, *boni et strenui* locum habere non potest. Alteram enim viam si quis inierit, mente et cogitatione audiendum sit non solum Catilinarios bonos et strenuos dici, sed etiam alios quorum partem se sociosque Catilina dixerit: id quod ab huius animo et orationis consilio plane abhorret. Nam quo vim et gravitatem orationis augeat, omnes, penes quos gratia potentia honores divitiae non sint, suam ipsius partem esse iactat. Itaque *boni et strenui nobiles atque ignobiles* unum huius enuntiationis membrum efficiant necesse est, ut Iordani interpungendi ratio una vera esse videatur; sed restat tamen aliquid offensionis, cum *nobiles atque ignobiles* verba certe postulent ut in priore quoque enuntiati parte duo verba inter se opponantur. Neque errare nobis videmur, cum Iordano assentimur alterum horum verborum explicandi causa adscriptum esse statuenti. Illud autem miror profecto, quod idem genuinam esse

85) Philol. vol. XVII p. 521. 86) Herm. vol. I p. 234.

boni vocem statuit, cui explicandae aliquem adscripsisse *strenui*: ab omni enim usu atque experientia abhorret, usitatam vocem explicari exquisitiore atque rariore. Nec omnino *boni* recte se habere videtur. Nam in hoc sententiarum conexu *bonus* neque communem et late patentem notionem habere potest, cum plane alia Catilinae atque auditorum animos moveant, nec magis de viris qui in consiliis dandis boni sint cogitare licet. *strenui* autem vocem longe optime se habere ex totius loci sententia et compositione apparet. Id enim agit Catilina, ut hac oratione seditiosos et rerum novarum cupidos quam vehementissime ad acriter agendum excitet. Itaque nec ad mores eorum spectat quales sint, nec quid consilio valeant respicit, sed agendi celeritatem vim potentiam ante oculos ponit, id solum reputans quid re et factis partes suae valeant. Quod si vere sentimus, consequitur vix probari posse Iordani coniecturam, Sallustianis verbis sanandis medicinam ex Victoris Caes. 24, 9 petentis: *inmissique in imperium promiscue boni malique nobiles atque ignobiles.* Nam primum non apparet, qui Catilina in sua quoque factione malos esse dicat, neque magis aptum totius loci sententiae *mali* est quam *boni*, cui ipsi nullum hic locum esse supra demonstravimus. Multo aptius hoc significare Catilina videbitur, esse nonnullos qui non tam fortiter et audacter quam oporteat contra senatum agant, eosque strenuis opponere. Id autem planius fieri non potuit quam *inbelles* vocabulo adscito. Cui cum aliquis *boni* vocem hoc consilio adscripsisset ut, quos Catilina inbelles dixisset, revera bonos cives esse significaret, evenit ut glossemate pristinum vocabulum exturbaretur. Hac igitur ratiocinatione ductus Sallustium scripsisse puto: *ceteri omnes strenui inbellesque, nobiles atque ignobiles.* Atque sic ille locutus est Iug. 67, 2: *iuxta boni malique, strenui et inbelles.*

Iug. 97, 5 librorum omnium haec scriptura est: *denique Romani veteres novique et ob ea scientes belli, siquos locus aut casus coniunxerat, orbis facere* e. q. s. Quae verba ferri vel explicari non posse nunc inter omnes constare puto: quamquam Gerlachius et Iordanus nihil mutarunt. Nec profecto quisquam concedet, quod quidam auctore Grutero dixerunt, novos veteribus intermixtos fuisse exercitiisque eisdem habitos atque ideo etiam gnaros proeliorum: respicere enim Sallustium ad ea quae c. 87, 3 dixerit: *sic brevi spatio novi veteresque coaluere et virtus omnium*

aequalis facta; hinc enim quomodo verbis quae sunt *veteres novique* ullum praesidium paretur, prorsus me fugit. Accedit quod sic Sallustius omnino nihil dicturus fuisset, cum exercitus suapte natura ex veteribus et novis militibus constaret neque hac ex re belli scientia compararetur. Sed ne in his argutiis diutius moremur, ad emendandi conatus veniamus. Illi igitur, qui de corruptela non dubitarunt, in duas partes discessere. Fuerunt enim inde a Ciacconio et Ursino, qui *novique* ex cap. 87 huc translatum existimarent eaque voce deleta sic scriberent: *denique Romani veteres et ob ea scientes belli.* Verum contra hos Dietschius[87]) iure monuit, talem mutationem vix posse librariis tribui: qui si in libris legebant *veteres et ob ea scientes belli,* vix quisquam vel tam eximiae memoriae fuit, ut c. 87 *veteres novosque* simul appellatos esse reminisceretur, vel tantae stultitiae, ut hoc loco nulla de causa *novosque* insereret. Quamquam enim minime ignoramus sat mirabilia additamentorum explicationum corruptelarum portenta librariis non pauca deberi, causa tamen idonea et ratio quaedam, quantumvis ea falsa, etiam in hoc genere subsit necesse est. — Itaque aliam viam Dietschius ingressus *novique* sanum putavit, ea autem quae sequuntur *et ob ea scientes belli* a Sallustio abiudicavit. Mirum est tamen, quantopere hic vir doctus eodem, quem in aliis vituperavit, errore ipse deceptus sit. Quo enim consilio quispiam illa adscribere potuerit, plane non intellegitur; illud enim, quod Ciacconius aliique volunt, hariolantis fuisset librarii, hoc insani sit. Accedit quod ne sic quidem sententia omnibus numeris absoluta prodiret. Nam hoc libenter Dietschio damus, non indignum Sallustio esse, cum eximium fortitudinis et peritiae documentum commemoraret, admonere lectores, quam brevi tempore novi veteresque milites coaluissent (87, 3), quam celeriter omnis exercitus Mari prudentia ad eam rei militaris scientiam adductus esset ut, quid in rebus dubiis atque asperis agendum esset, nemo dubitaret. Illud tamen male nos habet, quod legimus *si quos locus aut casus coniunxerat,* quae verba Dietschii ratione comprobata inepta sunt; veteres enim novique milites ex rerum militarium natura uno in loco sunt: veterum autem ut maior numerus una adsit, loco aut casui debetur. Quod si quis, ut Dietschii opinionem argutius quam consultius defendat, capitis 87, 3 verba afferat, ubi scriptor no-

87) ed. a. 1859 Comment. cap. IV p. 90.

vos milites Mari disciplina brevi fortes factos laudat, non est neglegendum illo loco tantum de animo et virtute militum agi, hoc autem belli usum atque scientiam commemorari. Quae cum ita sint, neque Ciacconii neque Dietschii rationem probandam, sed alia via huic loco subveniendum esse censeo. Nec non lenissima ea est, quam invenisse mihi videor, emendatio. Sic enim scribendum esse credo: *denique Romani veteres novique ob ea scientes belli*, ut sola *et* particula deleatur. Librarii enim cum *novique* ad milites Romanos pertinere opinarentur, *et* particulam inseruerunt: *novi* autem ad *belli* vocem referendum esse apparet. Qua coniectura probata e lenissima mutatione optima evadit sententia: veteres enim, qui multis variisque bellis et rebus militaribus interfuerant, quid in tam nova et inexspectata re faciendum esset, statim intellegebant, quamvis consuetis exercitationibus ordinariaque disciplina ad hoc genus pugnae instructi non essent.

Iug. 38, 10 Sallustius foedam turpemque cladem exercitus Romani, cui Aulus imperitabat, describit atque pacis condiciones, quas Iugurtha Romanis statuerat, persequitur: quam narrationem in libris ms. haec excipiunt: *quae quamquam gravia et flagiti plena erant, tamen quia mortis metu mutabantur, sicuti regi lubuerat pax convenit.* Eum locum novissime Eussnerus p. 35 sqq. tractavit: a quo cum non possem non prorsus dissentire, non sine aliqua laetitia vidi etiam eum, qui de hoc libello publice iudicium fecit, vix aliter sentire. Iure autem optimo mihi videor hoc ipsum exemplum in eis numerare, quibus F. Ritschelius apparere dixit[88]) ad quantam iudicandi pravitatem quamque spinosa explicandi artificia et prorsus incredibilia commenta Sallusti interpretes saepe devenerint. Quorum tamen conatus omnes recensere et refellere in animo non est, ut quo operae pretium fieri negem. Ac primum non moramur codices recentiores atque interpolatos, in quibus legitur *motabantur, urgebantur, minitabantur, mulctabantur, urgebantur, tenebantur, cogebantur, angustiabantur, mortis metuebant pericula*: quae omnia ad veram scripturam constituendam nihil valere nemo non videt; nihil enim e tanta tamque mira librorum discrepantia proficimus, nisi ut ipsos iam librarios in traditis verbis ut sensu carentibus haesisse in-

88) Musei Rhenani vol. XXI (a. 1866) p. 316 sqq.

tellegamus. Nec hoc denuo persequerer, nisi Gerlachius[89]) Dietschium et Iordanum vehementius vituperasset, quod hunc locum qualis in libris exstaret pulcherrime sese habere negassent. Quorum in numero ego esse tertius volo. Quamquam etiam Iacobsius ut a prodita scriptura, de qua tamen ipse dubitabat, discederet adduci non potuit. Illi autem scripturae, quam iam olim Lechnerus[90]) defendere frustra conatus est, multa sunt quae obstent. Ac primum quidem Eussnerus bene observavit *mutare* verbum a Sallustio ita usurpari, ut id quod datur casu accusativo, quod accipitur ablativo ponatur, quae lex his exemplis probatur: Cat. 58, 15. Iug. 44, 5. or. Phil. 7. or. Macr. 26. Hist. inc. fr. 65. Neque minus recte idem contra adversarios disputans singularem rationem esse dicit locorum Iug. 83, 1, ubi praepositione scriptor utatur, atque Iug. 18, 5, quo loco quid mutetur omnino non adicitur (ut non satis recte hic quidem *mutare* verbo non id quod accipiant homines, sed quod inter se dent significari argutetur). Neque causa latet eius constructionis; nam cum *mutare* nihil aliud sit nisi loco movere, consentaneum est eam rem quam quis mutat accusativo efferri, illud autem quod accipitur ablativo. Hanc igitur primariam et propriam loquendi rationem cum aliis bonis scriptoribus Sallustius servavit; neque in eo morandum, quod Horatius semel in carmine (III, 1, 47) dixit *cur valle permutem Sabina divitias operosiores*, alia ut nunc mittam prorsus aliena. — Itaque cum *mutabantur* plurimis offensioni esset, maxima cum interpretationum tum coniecturarum copia subnata est. Ac primum quidem quod Cortius *mutabant* edidit, id cur falsum sit multis verbis Kritzius docuit: neque enim *mutare* idem est quod *mutari* (ab aliquo), sed tantum *se ipsum mutare*. Recte idem etiam Langium refutavit, qui '*mutare*' inquit 'idem est quod *pacisci*, si quidem omne pactum mutatio quaedam est'. Quam tamen Kritzius ipse explicationem proposuit, ferri non posse proximus editor Fabrius optime ostendit: quae quam sit improbabilis, facile ex ipsius Kritzii disputatione apparet his quidem verbis conclusa: '*quae quamquam gravia et flagiti plena erant, tamen, quia propter mortis metum se mutabant* i. e. alia videbantur atque erant, quippe

89) Annal. Heidelb. a. 1868 mens. apr. p. 416.

90) 'Observat. in nonnullos Sallusti locos' (ed. Curiae Bavaricae a. 1828) p. 18 sqq.

quae summa rerum necessitate coacta aut aliquam excusationem habere viderentur, aut quam turpia essent non sentirentur; eoque factum, uti pax conveniret'. Haec enim quomodo *mutare* verbo subici possint, alii viderint: ego perspici nego. Quamquam unum quiddam recte illum vidisse infra intellegetur. Porro Gehleni et Klimschae memoria nobis repetenda est, quorum tamen opiniones Eussnero tantum auctore cognitas habeo, easque vere ab illo refutatas. Et Gehlenus quidem quod excogitavit: *quia mortis metu metiebantur*[91]), id simili loco qui est Cat. 31, 2 *suo quisque metu pericula metiri* non commendatur, sed redarguitur; Klimschae autem inventum *multum agitabantur* vel eo, quod a librorum scriptura nimis recedit, placere nequit: quo accedit quod idem mire friget. Nec magis Dietschio[92]) assentiendum suadenti: *quia mortis metum intuebantur,* quod num omnino dici possit, equidem valde dubito. Summo autem iure idem Iordani coniecturam reiecit[93]), qui Taciti Hist. II, 76 verbis *his pavoribus nutantem* conlatis ex Rivii Basileensi[94]) scripsit *mortis metu nutabant*; reiecit autem, 'quod nemo recte dicatur, quia mente dubia haesitasset, aliquid probasse, set in dubitatione certa aliqua cogitatione ad capiundum quamvis turpe et grave consilium confirmatus esse'. Ex eodem autem Tacito Eussnerus quoque salutem Sallustio petendam esse censuit, hac quidem scriptura proposita: *quia mortis metu huc mutabantur.* Ingeniose hanc inventam esse non negaverim, veram esse nego; utroque enim Taciti loco, Hist. I, 76, Ann. VI, 36 (42), sententia rerumque condicio paullo alia est: habet enim ibi *mutare* verbum notionem celeriter et inconsulto ab alia ad aliam opinionem properandi, ut huic loco, quo de certa aliqua cogitatione ad capiendum quamvis turpe et grave consilium agitur, parum aptum sit. Itaque aliam medelam circumspiciendam esse mihi persuasi. Duo au-

---

91) [Ex quo haec scripta sunt (decem enim mensium intervallum sciendum est inter scriptam atque editam commentationem intercessisse), eandem mutationem verborum vidi ab Io. Freudenbergio in Fleckeiseni Annal. t. 101 p. 546 commendari, ignorante eo quidem eandem iam ante et propositam et refutatam esse. Nec pauca illa, quae ad eam firmandam attulit, eiusmodi sunt ut meorum mutandorum causam inveniam.]

92) Comment. cap. V p. 120 ed. a. 1859.

93) p. IX praefat. ed. a. 1868.

94) cf. Gerlachium Annal. Heidelb. a. 1869 p. 416: 'übrigens ist unwahr, dass *B1 nutabant* habe: *B4* hat *movebantur*'.

tem sunt, quorum in hac causa ratio habenda est praeter cetera. Primum quidem etsi verum est, sententia quid fere flagitet non obscurum esse, tamen non tam finite dixerim mortis metu Romanos impulsos esse ut graves ac turpes Iugurthae condiciones acciperent, sed magis in universum hanc sententiam subesse putaverim, mortis metum causam fuisse cur de tam turpibus foedisque pacis condicionibus conveniret. Alterum autem hoc accedit: quaeritur enim, quod enuntiationis illius *quia mortis metum* e. q. s. subiectum habendum sit. Qua in re recte Kritzius vidit non esse Romanos intellegendos, sed ad *quae* pronomen debere verbum spectare. Primum enim de Romanis omnino non agitur, sed omnem culpam scriptor in Aulum confert, quem solum etiam hoc male ac turpiter egisse consentaneum est: atque etiam cap. 39, 1 item de Aulo solo sermo est. Adde quod orationis concinnitas mire infringitur, si subito subiecti loco Romani habeantur, cum antea de Romanis aliis nusquam agatur. His igitur omnibus quae disputavimus nescio an commodissime sic partim occurramus partim satisfaciamus, ut Sallustio haec quae subiecimus verba tribuamus: *quae quamquam gravia et flagiti plena erant, tamen quia mortis metu maturabantur, sicuti regi lubuerat, pax convenit.* Quae emendatio non solum sententiae aptissima esse videtur, sed etiam a rationibus palaeographicis longe lenissima est: nec eam a sermone vel latino vel Sallustiano abhorrere exemplorum, quae nullo negotio colligas, multitudo facile docet.

Index locorum tractatorum

Pag. 203, 15 corrige *P3B* pro *B3P*
- 220, 4 - Or. - Gr

DE INCISIONIBUS ANAPAESTI

IN TRIMETRO COMICO GRAECORUM

SCRIPSIT

CURTIUS BERNHARDI

LIPSIENSIS

Anapaestum tragicos Graecos in primo pede trimetri notum est haud facile binis vocabulis inclusisse. Quod quidem Aeschylus numquam fecit, qui usquequaque integro vocabulo pedem contineri voluit. Sophocles autem et Euripides tantummodo eas incisiones sibi permiserunt, quae fiunt vel inter praepositionem et eius casum vel inter articulum et nomen: quae vocabulorum genera tam arte pronuntiando coniunguntur, ut ex metrica ratione contextorum vocabulorum naturam fere aequent. Perspexit et explicavit hanc tragicorum consuetudinem iam God. Hermannus; nuper vero ita de ea disputaverunt, ut res iam confecta dici possit, C. F. Muellerus in libro 'de pedibus solutis in dialogorum senariis Aeschyli Sophoclis Euripidis' Berolini a. 1866 edito p. 125 sqq. et G. Dindorfius in praef. ad Poet. scen. ed. V p. 32. Pari severitate in systematis iambicis comicos usos esse plenissime demonstratum est a Carolo Reisigio in Coniect. ad Aristoph. p. 37 sqq.*). Ad trimetri vero comici incisum anapaestum quod attinet, de una alterave eius forma sane saepius quaestio instituta est; sed adhuc neque de singularum formarum legibus satis constat, neque quisquam, quantum equidem scio, de cunctis formis coniunctim quaerere conatus est. Id igitur ego nunc ordine faciam hoc usus, ut primum ponam anapaestorum genus id, quod efficitur si vox complurium syllabarum in prima anapaesti syllaba finitur; alterum, si eadem syllaba vocabulo monosyllabo constat; tertium, si thesis**) anapaestica vocabulum hyperdisyllabum terminat; quartum, si eadem voce bisyllaba, quintum, si binis monosyllabis comprehenditur.

---

*) Semel tantummodo anapaestum duobus vocabulis constantem in systemate iambico Aristophanes posuit: κατὰ Σωκράτους Nub. v. 1451.

**) Sequor nimirum Bentleianam appellationem.

Caput I.

Quod primum anapaesti genus posui, si vox complurium syllabarum in prima anapaesti syllaba finitur, id quam acerbae controversiae caussa doctissimis viris huius saeculi exordio fuerit, nemo non recordatur. Cum enim Fridericus Augustus Wolfius versum Nubium Aristophanearum in nostram linguam sic vertisset:

Ach weh mir Jammermenschen! wie wird mir's endlich gehn:
Henricus Vossius in recensione Wolfianae interpretationis contendit prorsus improbasse Graecos huiusmodi trimetrum, qui hephthemimerim satis distinctam post primam anapaesti syllabam haberet. Hanc sententiam Ahlwardtius in Wolfi Analectis vol. I p. 253 paucis verbis nec satis apte refutare studuit. Cum vero nomen suum ei disputatiunculae non subnotavisset, Vossius opinatus ipsum Wolfium censorem esse in Annal. Heidelb. a. 1816 paulo acerbius respondit. Universam denique quaestionem Reisigius in Diar. Ienens. m. Dec. a. 1817 p. 393 sqq. consueta diligentia retractavit et sic amplificavit, ut etiam reliquorum pedum condiciones attingeret. Cuius sententiam fere integram postea God. Hermannus in praef. ad Epit. doctr. metr. p. X sqq. amplexus est, qui iam ante in epistula ad Wolfium missa suum de tota quaestione iudicium interposuerat*). Quare cum in tam varia disceptatione longius quam utilius sit singulorum opiniones omnes enumerare, nobis quidem sufficit Reisigianas potissimum leges denuo perpendere, quae et summam veritatis speciem habeant et nunc quoque rei metricae peritis maxime probatae sint.

Et primum quidem quod Reisigius contendit a tertio et quinto pede talem anapaestum prorsus alienum esse, hoc certissimum esse constat. Exempla quae talis incisionis per libros feruntur, hau dubie corrupta sunt. In Aristophanis Lysistr. v. 927**) ἀλλ᾽ οὐ δέομ᾽ οὐδὲν ἔγωγε. νὴ Δί᾽ ἀλλ᾽ ἐγώ Vossianus habet οὐδὲ δέομαι οὐδὲν, unde veram scripturam Bentleius eruit οὐδὲ δέομαι ᾿γωγε: quod etiam δέομ᾽ ἔγωγε scribi potest. — In Eccles. v. 270 ὥcπερ τὸν ἄνδρα θεᾶcθ᾽, ὅτ᾽ εἰc ἐκκληcίαν Ravennatis et Veneti scriptura ἄνδρ᾽ ἐθεᾶcθ᾽ recipienda est. —

---

*) 'Ueber die bestrittene Cäsur im Trimeter der griechischen Komödie.' Berlin 1817.

**) Meinekianae editionis, quam constanter sequor.

Equit. v. 26 μόλωμεν αὐτὸ μόλωμεν αὐτομολῶμεν. — ἦν: in hoc versu Reisigius recte animadvertit αὐτὸ μόλωμεν tam arte pronuntiando consociari, ut fungantur unius verbi officio. — Ad Anaxandridis fragm. apud Meinekium vol. III p. 176 (fr. 1 v. 17) ἄγους᾽ ὑπ᾽ αὐτὰ τὰ σώματ᾽ ἀρίστου πύλας miror quod Meinekius nihil de metrico vitio adnotat, quamquam ne ipse quidem nunc habeo quomodo numeros versus restituam; sed verba corrupta esse etiam sententiae pravitas ostendit. — In Aristoph. Av. v. 93 ὦ Ἡράκλεις τουτὶ τί ποτ᾽ ἐστὶ τὸ θηρίον; articulo facile caremus, quem libri quoque manu scripti nonnulli omittunt; nam non recte Hermannus in epist. ad Wolfium p. 14 veram scripturam esse suspicatur τουτὶ τί ποτε τὸ θηρίον; neque enim solet Aristophanes in talibus interrogationibus ἐστὶ omittere. — Pherecratis fragm. apud Mein. II, 282 (4 v. 2) ὑδαρῆ 'νέχεέν σοι; — παντάπασι μὲν οὖν ὕδωρ scribendum esse videtur παντάπασιν οὖν: Meinekius hoc quoque loco de vitioso anapaesto tacet. — Antiphanis fragm. ibid. III, 11 (᾽Ακ. v. 4) οὔθ᾽ ὑδαρὲς οὔτ᾽ ἄκρατον. οἶδα δ᾽ ἐγώ ποτε Hirschigius scripsit οἶδ᾽ ἐγώ. — Alexidis fragm. ibid. III, 479 (Στρ. v. 7) ἀπεδώκαμεν. — τὸ μὴ προσῆκον ἐμοὶ λαβεῖν Meinekius cunctanter proponit προσῆκόν μοι aut ἐμὲ λαβεῖν: quorum alterutrum reponendum est. — Menandri fragm. ibid. IV, 261 (112 v. 2) ἡ μὲν γὰρ αὐτῆς οἶδεν υἱόν, ὁ δ᾽ οἴεται: in hoc versu υἱὸν glossema esse videtur, pro quo reponendum est ὄνθ᾽, quod in eadem Euripidis sententia legitur apud Eustathium ad Hom. Od. p. 1412. — Propter dubiam interiectionis mensuram nescio an huc non pertineat Aristoph. Acharn. v. 800 αὐτὸς δ᾽ ἐρώτη. — χοῖρε χοῖρε. — κοΐ κοΐ. — Vix autem commemorare opus est Equit. v. 121 ἰδού. τί φησιν ὁ χρησμός; — ἑτέραν ἔγχεον; Platonis fragm. apud Mein. II, 672 (1 v. 5) ἐπίδειξον αὐτὴν ἥτις ἐστίν. — ἄκουε δή; Anaxandridis fragm. ibid. III, 181 (Πολ. v. 11) εἶναι, παρ᾽ ὑμῖν δ᾽, ὡς ἔοικεν, ἀπηργμένους: talia enim elisione sananda esse apparet.

Nec illud falsum est, quod secundo loco Reisigius contendit, in quartum et secundum pedem hac condicione anapaestum post primam syllabam incisum admitti, ut sit in versu quaedam sententiae pausa et satis gravis nec nimis longe ab anapaesti sede remota. Et in quarta quidem sede recte dixit nullam offensionem habere anapaesti incisionem, si ante tertiam arsim h. e. in penthemimeri interpunctio sit vel alia sententiae pausa satis distincta. Quamquam non omnia quae in editionibus leguntur

exempla talis anapaesti recte se habent. Sed indubitati sunt versus Aristoph. Ran. 652. 658:

ἄνθρωπος ἱερός. δεῦρο πάλιν βαδιστέον.
τί τὸ πρᾶγμα τουτί; δεῦρο πάλιν βαδιστέον.

Nec dubito equidem his addere Lysistr. v. 838:

ἔγωγε· κἀστὶν οὑμὸς ἀνὴρ Κινησίας.

Nam ibi etsi post alterum trochaeum nulla intercedit interpunctio, nec illa post ἔγωγε posita satis propinqua est ut possit anapaestum tueri, tamen recte Reisigius intellexit verbo κἀστίν pronuntiato apte in versu dicendo intermissionem quandam vocis fieri, ita ut haec pausa instar sit interpunctionis. Hermannus quidem in epist. ad Wolfium p. 13 existimat scribendum esse κἄσθ᾽ οὑμός γ᾽ ἀνήρ, Elmsleius autem ad Acharn. v. 178 κἀστὶν ἐμὸς ἀνήρ: neuter tamen suam mihi coniecturam persuasit; nam neque intellego quid sibi velit γε particula post οὑμὸς inserta, neque articulum puto a pronomine possessivo hic abesse posse. Immo fortasse Aristophanes consulto, ut etiam numeris admirationem Myrrhinae depingeret, insolentiorem anapaestum in hunc versum admisit.

Avium versu 442 sq.

ὁ μαχαιροποιός, μήτε δάκνειν τούτους ἐμὲ
μήτ᾽ ὀρχίπεδ᾽ ἕλκειν μήτ᾽ ὀρύττειν

Hermannus in praef. Epit. d. m. p. 12 interpunctionem ante tertiam arsim sufficere putat ad excusandum quarti pedis anapaestum. Sed assentiendum est Reisigio improbanti hunc anapaestum propter asperitatem duplici dentali consona in thesi effectam. Nam plane nulla idonea caussa apparet, cur tandem poeta hanc molestiam probaverit, quamvis sine ullo vel sententiae vel rationis grammaticae detrimento μή scribere potuisset. Ceterum vulgari fit librariorum peccato, ut sententiarum partes quam maxime congruas reddere una alterave particula adiecta studeant. Sic depravatis numeris in priore parte sententiae τε addit Ravennas Acharn. v. 201 ἐγὼ δὲ πολέμου τε καὶ κακῶν ἀπαλλαγείς; item ἢ particulam pars codicum in Av. v. 374 πῶς δ᾽ ἄν οἴδ᾽ ἡμᾶς τι χρήσιμον ἢ διδάξειάν ποτε | ἢ φράσειαν; similiter in Vesp. v. 550 librarii quoniam non tulerunt καὶ μακαριστὸν — ἢ τρυφερώτερον ἢ δεινότερον, καὶ voci superscripserunt ἢ particulam, quae postea in verborum ordinem irrepsit: ita enim hau dubie orta est ἢ καὶ scriptura quam codices exhibent. Atque eidem librariorum peccato fortasse vitiosus

anapaestus secundi pedis debetur in Strattidis fragm. apud Mein. II, 783 (1 v. 1 sq.):

εἰ μηδὲ χέcαι γ' αὐτῷ cχολὴ γενήcεται,
μηδ' εἰc ἀcωτεῖον τραπέcθαι, μηδ' ἐάν —.

Simile incommodum geminatae dentalis existit in Lysistr. v. 768:

μὴ cταcιάcωμεν· ἔcτι δ' ὁ χρηcμὸc οὑτοcί:

in quo versu praeterea altera eiusdem anapaesti incisio post secundam syllabam facta paululum offendit. Sed cum Ravennas cταcιῶμεν exhibeat, suspicari licet in hoc verbo corruptelam latere. Quare existimo versum in hanc formam esse redigendum:

μὴ cταcιάcητ'· ἔcτιν δ' ὁ χρηcμὸc οὑτοcί:

quam corrigendi viam dudum ab Engero commendatam video. Lysistrata in hac adhortatione ad mulieres conversa plerumque utitur altera verbi persona, quam quin etiam in versum de quo quaestio est recipiamus, ἡμῖν primae personae pronomen in antecedenti versu positum nullo modo obstare puto. Atque Engerus quidem aptissime contendit Avium versum 1029 ἄπιθι λαβών· ἔcτιν δ' ὁ μιcθὸc οὑτοcί: nec minus recte idem Fritzschi temeritatem castigat, qui Lysistratae versu usus eandem numerorum labem non dubitavit in Avium versum inferre sic a se conformatum ἄπιθι λαβών νυν· ἔcτι δ' ὁ μιcθὸc οὑτοcί.

Reisigianae legi respondere etiam hic versus videtur ex Aristophanis fragm. apud Mein. II, 1078 (4 v. 1):

ὦ Ζεῦ πολυτίμηθ', οἷον ἔπνευcεν ὁ μιαρόc:

sed cum codices ἔπνευc' praebeant, haud contra rationem videtur aut cum Dobraeo Addend. ad Aristoph. p. 105 ἐνέπνευc' aut cum Hermanno praef. Epit. p. 14 ἀπέπνευc' scribere.

In Scythae verbis Thesmoph. v. 1197

ἀλλ' οὐκ ἔκ' οὐδέν· ἀλλὰ τὸ cυμβήνην λαβέ

cυβήνην scholiasta, Suidas, Photius produnt; sed cιβύνην legitimam formam reponendam esse Fritzschius in adn. probavit.

In Avium versu 1614

νὴ τὸν Ποcειδῶ ταῦτά γέ τοι καλῶc λέγειc

Dindorfio scribendum esse videbatur ταῦτά τοι; at praestat eiecta τοι particula reponere ταυταγὶ formam ab Elmsleio propositam; qua quidem forma Aristophanes usus est in simillimis versibus Av. 171 et Eccles. 189:

νὴ τὸν Διόνυcον εὖ γε μωμᾷ ταυταγί.
νὴ τὴν 'Αφροδίτην εὖ γε ταυταγὶ λέγειc.

Fortasse satis gravem vim ad defendendum anapaestum caesura penthemimeres sine interpunctione habet in hoc versu Platonis apud Mein. II, 624 (1 v. 1):

τῶν γὰρ τετραπόδων οὐδὲν ἀποκτείνειν ἔδει —.

Certam illa veniam vindicat Antiphanis versui ibid. III, 46 (1 v. 2):

ἂν μὴ κεράσῃ τις. — ἴσχε, τὸν ᾠὸν λάμβανε:

nam duplex anapaesti incisio, cum altera post articulum facta perexigui ponderis sit, apud mediae comoediae poetam minime offendit. — In Menandri fragm. ib. IV, 270 (162 v. 2)

αὐτὸς τὰ σαυτοῦ πρῶτον ἐπισκέπτου κακά

cum Meinekio πρῶτ' scribi potest. — In eiusdem denique Sent. ib. IV, 350 (v. 363)

μεγάλη τυραννὶς ἀνδρὶ τελοῦσα καὶ γυνή

τελοῦσα corruptum esse apparet.

Deinde anapaestum quarti pedis post primam syllabam incisum probandum esse Reisigius dicit, si interpunctio intercedat post quartam arsim. Sed quamvis negari nequeat hoc quoque loco pausa quodammodo adiuvari leviorem quarti pedis recitationem, tamen ad excusandam eam de qua quaerimus anapaesti formam sufficere illa non videtur. Nam quae sola Reisigius observationis suae documenta affert Thesmoph. v. 609 et Nub. v. 70, ea binas admittunt excusationes: alteram ex interpunctione quae est ante tertiam arsim utriusque versus, alteram ex elisione, quae qualem vim habeat infra pluribus exponetur.

Verum tertio loco Reisigius eum quarti pedis anapaestum ascisci iubet, in cuius ipsius prima syllaba gravius interpungitur; eidem igitur anapaestorum generi, cuius Vossium maxime taeduit, veniam ille non denegat. Cum vero in versu illo 'ach weh mir Jammermenschen! wie wird mir's endlich gehn' aures de numerorum pravitate eum admonerent, culpam tribuit perversae mensurae *wie* vocis quippe pro brevi syllaba adhibitae. Atqui graviorem esse anapaesti molestiam Graecorum versuum similiter incisorum numeri docent, qui, quamvis sint prosodiacae leges diligenter servatae, tamen nihilo melius Germanico illo procedunt. Omnino autem de rhythmica ratione universa incisi anapaesti parum apte Reisigius ratiocinatus esse mihi videtur, ut qui in tertio et quinto pede propterea talem incisionem improbari existimet, quod, cum in his pedibus anceps syllaba locum habeat, inciso in media thesi anapaesto aliquamdiu ambiguum sit utrum

prima pedis syllaba pro brevi an pro longa audiri debeat. Haec vero mensurae ambiguitas, si qua est, mollem numerorum processum minime impedit, nisi quidem huiusmodi quoque trimetrus pravus iudicetur:

διὰ τοῦτο τοὔργον· ἄξιον γὰρ Ἑλλάδι:

nam in hoc quoque versu τοὔργον nominis altera syllaba utrum ex prosodiaca ratione pro longa an pro brevi sit aliquamdiu propter caesurae intercessionem ambiguum est, nec prius cognoscitur quam proxima in versu syllaba pronuntiata sit; nimirum si haec a consona ordiretur, γον pro longa esset. Immo rectissime Hermannus praef. Epit. p. 9 sq. ambiguitatem in eo potius positam esse contendit, utrum prima incisi anapaesti syllaba totam thesim an partem tantummodo thesis contineat: qualem ambiguitatem perinde ad pares atque ad impares trimetri sedes pertinere apparet. Sed quamvis concedamus ambiguitatem illam caussam esse cur offendat anapaesti incisio de qua loquimur, tamen intellegi nequit quo pacto interpunctione i. e. graviore intervallo discissus anapaestus excusationem admittere dici possit; nimirum ambiguitas longius pertinens necesse esset etiam graviorem offensionem efficeret. At vero et huius de qua agimus incisionis et ceterarum de quibus infra dicetur offensio mihi potissimum ex metrica mensura vicarii anapaesti nasci videtur. Hic enim pes cum habeat thesim suapte natura pro numeris iambicis irrationaliter longam, addito etiam incisionis in media thesi aut post thesim intervallo tanta procedit tarditate, ut genuinam rhythmi iambici levitatem nimium conturbet. Quod vero quintus trimetri pes talem incisionem prorsus a se arcet, id inde factum esse videtur, quod is pes proxime ad exitum versus accedens numeros maxime legitimos exposcit. In ceteris pedibus vidimus levissimam tantum huiusmodi incisionem probatam esse. Levissima autem in tertio pede incisio fieri non potest; nam in eo si vocabulum hypermonosyllabum post primam (vel hyperdisyllabum post secundam) anapaesti syllabam terminatur, necessario legitima versus caesura in illam ipsam syllabam incidit, ut per caesurae pausam incisionis mora etiam magis producatur:

ἄγουσ᾽ ὑπ᾽ αὐτὰ | τὰ σώματ᾽ ἀρίστου πύλας.
(ἔπειτ᾽ ἐπείσφερε | τοὺς ἀμύλους καὶ τὰς κίχλας).

Haec igitur ratio tertium pedem utrique incisioni praecludit. In quarto pede genus de quo loquimur anapaesti his condicionibus probamus, ut et pausa incisionis perexigua sit et observata semi-

quinaria caesura promptam quarti pedis pronuntiationem adiuvet itaque pausam illam etiam magis obscuret. Quibus cum legibus manifestum est nullo modo convenire eam quam Reisigius statui voluit, ut interpunctio in ipsa thesi anapaestica intercedens probabilis evaderet. Sed iam videamus quibusnam exemplis opinionem suam tueatur. Primum affert Vesparum versum 1369:

τῶν ξυμποτῶν κλέψαντα; — ποίαν αὐλητρίδα;

quem versum firmissimum esse dicit atque ita comparatum, ut vix ulla litterula cum specie probabilitatis in suspitionem vocari possit. Atque sane praeter ipsum anapaestum in hoc versu alteram labem deprehendere haud poteris; ποῖος quidem quam saepe Aristophanes in similibus sententiis dixerit, Reisigius ipse luculenter demonstravit in Coniect. ad Aristoph. p. 74 sq. Cetera vero quae affert exempla haec sunt: Pac. v. 187. Ran. v. 1220. Av. v. 1495. Nub. v. 214. Equit. v. 208. Av. v. 40. Eccles. vv. 146. 428. 167. Pac. v. 415:

πατὴρ δέ σοι τίς ἐστιν; — ἐμοί; μιαρώτατος.
Εὐριπίδη, — τί ἔστιν; — ὑφέσθαι μοι δοκεῖ.
ποῦ Πισθέταιρός ἐστιν; — ἔα, τουτὶ τί ἦν;
ἀλλ' ἡ Λακεδαίμων ποῦ 'στιν; — ὅπου 'στίν; αὑτηί.
εἶθ' αἱματοπώτης ἐστὶν ὅ τ' ἀλλᾶς χὠ δράκων.
ἐπὶ τῶν κραδῶν ᾄδουσιν· Ἀθηναῖοι δ' ἀεὶ —.
δίψῃ γὰρ ὡς ἔοικεν ἀφαυανθήσομαι.
λευκός τις ἀνεπήδησεν, ὅμοιος Νικίᾳ —.
δι' Ἐπίγονόν γ' ἐκεῖνον. ἐπιβλέψασα γὰρ —.
καὶ τοῦ κύκλου παρέτρωγον ὑφ' ἁρματωλίας.

Quae exempla mirum est quam quaesitis artificiis Reisigius defendat. Cum enim nemo non videat facile octo ex eis elisione adhibita corrigi posse, quattuor priores tuetur legem esse affirmans, ut ne elidant ultimam in fine interrogationum eae tertiae verborum personae, quae in trochaeum exeant et patiantur ν ἐφελκυστικόν. Cum vero ipse intellexisset quaedam huic legi obstare satis certa exempla, seiunxit veras interrogationes a rhetoricis quas dicit, atque in his elisionem admissam esse concedit. Quae ndisceptatio quam expers rationis sit, facile intellegitur; null enim apparet iusta caussa, cur istae verborum formae in fine verae interrogationis elisionem aspernentur, quam certissimum est alias eiusdem mensurae voces velut τοῦτο ταῦτα vel similes saepe ibidem admittere, nec illas ipsas verborum formas in vera sterrogatione media aut in fine rhetoricae respuere. Sed cuma

in talibus rebus explorandis vis exemplorum vincat, valde doleo quod, qui operam suam in Aristophanis fabulis collocarunt, etsi legem Reisigianam fere omnes improbarunt, eorum tamen quantum scio nemodum exemplis allatis illam refutare conatus est; ipse autem fretus Reisigi asseveratione, unum qui legi repugnet versum Vesparum 793 esse dicentis p. 397, me confiteor non satis diligenter alia exempla anquisivisse. Sed duos saltem versus qui Reisigium fugerunt in Aristophanis ipsius fabulis repperi, eosque ita comparatos, ut vix possit elisio removeri, nisi quis in quintum quoque pedem talem anapaesti incisionem admittere velit: Av. 90. Nub. 1192:

μὰ Δί' οὐκ ἔγωγε. — ποῦ γάρ ἐcτ'; — ἀπέπτετο.
ἵνα δὴ τί τὴν ἕνην προcέθηχ'; — ἵν' ὦ μέλε —.

His adicio Eupolidis versum, cui ut aequali Aristophanis vix maior in talibus neglegentia tribui poterit, apud Mein. II, 510 (5 v. 1):

ἡ δ' ὑcτάτη ποῦ 'cθ'; — ἥδε Κύζικος πλέα cτατήρων.

Platonis autem comici versum ibid. II, 630 (1 v. 3), quem Athenaei libri talem exhibent: ἀλλ' ἄνεμος ἐcτάλεις (cod. A: ἐcτάλλεις) θυῖαν παῖc τεόν: recte Hermannus ita correxisse videtur:

ἀλλ' ἃ νόμος ἔcτ'; — ἀλλ' εἰc θυείαν παιcτέον.

Accedunt versus a Reisigio ipso commemorati Vesp. 793. Plut. 998:

κᾆθ' εἷλκον αὐτόν. — ὁ δὲ τί πρὸc ταῦτ' εἶφ'; — ὅτι;
εἰc ἑcπέραν ἥξοιμι, — τί c' ἔδραc'; εἰπέ μοι.

Nam in altero versu etsi cum Reisigio pro interrogationsi nota leviorem interpunctionem ponamus, nihilo minus ἔδραc' voce vere interrogativam sententiam terminatam esse apparet. Denique vulgata scriptura probanda esse videtur in Pac. v. 41:

οὐ μὴν Χαρίτων γε. τοῦ γάρ ἐcτ'; — οὐκ ἔcθ' ὅπωc:

in quo parum eleganter Reisigius Χαρίτων γ' ἔcτ'. — οὐ γὰρ ἔcτ', οὐκ ἔcθ' ὅπωc scribendum esse coniecit.

Quae cum ita sint, elisionis legem illam non tam firmam esse censebimus, quae possit quattuor illos anapaestos sustentare. Verum etiam minorem probabilitatis speciem ea ratiocinatio habet, qua usus Reisigius ceteros versus tueri studet. Vt enim Equitum versum 208 defendat, in antecedenti versu, qui vitiose sic est in libris scriptus ὁ δράκων γάρ ἐcτι μακρὸν ἀλλᾶc τ' αὖ μακρόν, verba ita transposuit, ut ἐcτι tertii trochaei sedem occupet: quo facto contendit concinnitatis ratione postulari, ut etiam in proximo versu ἐcτὶν forma plena scribatur; neque alia de caussa in Avium versu 40, quoniam in eadem sede proximi

versus ᾄδουϲι legatur, similiter plenam ᾄδουϲιν formam servandam esse. At vero Aristophanes in minutis rebus non usquequaque tantam concinnitatem sectatus est, ut vel levissimas syllabarum finalium varietates tam diligenter vitaret. Deinde Reisigius in eodem Avium versu ᾄδουϲιν et Eccles. v. 428 ἀνεπήδηϲεν plenas formas propterea probandas esse dicit, quod tertiae verborum personae in Aristophanis trimetris ultimam syllabam ante graviorem interpunctionem non ita elidere soleant, ut ϲ fiat littera finalis. Quare Vesp. v. 120 maluit ἐκορυβάντιζεν plenam formam, numerum anapaestorum interpunctione divisorum etiam augens hoc exemplo:

μετὰ τοῦτ' ἐκορυβάντιζεν· ὁ δ' αὐτῷ τυμπάνῳ —.

Debebat autem eodem iure addere Equit. v. 1204:

ἐγὼ δ' ἐκινδύνευϲεν. — ἐγὼ δ' ὤπτηϲά γε.

Sed talem elisionem in trimetris non improbatam esse velut haec exempla manifestant: Aristoph. fragm. apud Mein. II, 1167 (1 v. 2), Strattidis ibid. II, 781 (3 v. 3), Eubuli III, 249 (1 v. 6):

Ἄρηϲ κατέϲκηψ', ἔϲ τε μονομάχου πάληϲ —.
ὀπιϲθοτίλαν, ὡϲ λέγουϲ', ὀνομάζετε.
οἴκαδε βαδίζουϲ'· ὁ δὲ τέταρτοϲ οὐκ ἔτι —.

Cum igitur ne hoc quidem Reisigi argumentum probari possit, non dubitabimus elisionis medicinam octo illis versibus adhibere. Atque in Eccles. v. 146 ne codices quidem plenam ἔοικεν formam exhibent; in Avium autem versu 1495 ἔα pro una longa syllaba accipi posse apparet, sicut accipiendum est Nub. v. 932. Eccles. v. 784. Thesmoph. vv. 64. 176.

Eccles. v. 167 Elmsleius recte scripsit ἐκεινονί· βλέψαϲα; ubi simplex βλέπειν verbum sententiae accommodatius composito est. Oratrix enim oportet tale quid dicat: cum forte illuc h. e. ad Epigonum prospicerem, ad feminas mihi visa sum loqui. Cum vero ἐπιβλέπειν potissimum de eis dicatur qui accurate et consulto aliquem locum intuentur, βλέπειν autem simplex verbum magis aspectum fortuito obiectum significet, hoc apparet melius illi sententiae congruere. Librarii vero in Aristophanis fabulis saepissime compositum pro simplici verbo posuerunt*). Ita Acharn. v. 78 codd. praebent καταφαγεῖν pro φαγεῖν; ibid. v. 1082 Suidas διαμάχεϲθαι pro μάχεϲθαι; Nub. v. 148 Rav. et alii codd. τοῦτο διεμέτρηϲεν pro τοῦτ' ἐμέτρηϲεν; ibid. v. 238

*) cf. Meineki Vindic. Aristoph. p. 6.

nonnulli codd. μ' ἐκδιδάξῃς pro με διδάξῃς; ibid. v. 827 Rav. ἔνεστιν pro ἔστιν; ibid. v. 1312 Rav. Ven. aliique codd. ἐπεζήτει pro ἐζήτει; Equit. 701 Rav. κᾆπεκροφήσας, alii codd. κἀπεκροφήσας, ubi κἂν ἐκροφήσας cum Bothio scribendum videtur.

In Pacis versu 415, in quo interpunctio quidem nulla, sed gravior sententiae pausa post primam anapaesti syllabam intercedit, Bentleius recte ὑφ' ἁμαρτωλίας reposuit. Neque enim cum Hermanno facere possum, qui ὑφ' ἁρματωλίας servandum esse censuit, ita pronuntiari hoc nomen iubens, ut ὑφ' ἁρμα syllabae essent pro tribracho. Nam aut ἁμαρτωλίας histrioni dicendum fuit, ut prima corriperetur, aut ἁρματωλίας, eadem ut produceretur; mediam vero inter utramque atque ambiguam pronuntiandi rationem probatam esse alienum est a constantia in metiendis syllabis usquequaque a Graecis observata.

Addendus est ex Aristophanis fabulis Acharn. v. 912:

φαίνω πολέμια ταῦτα. — τί δαὶ κακὸν παθών:

quem versum hau difficile corrigi apparet; quamquam dubito nunc utrum rectius Meinekius τί δὲ proposuert, an Elmsleius κακὸν interpretationi tribuens scripserit ταυταγί. — τί δαὶ παθών.

Ceterorum comicorum unum exemplum Reisigius ipse affert ex Pherecratis fragm. apud Mein. II, 327 (1 v. 22):

Μιλήσιός τις Πυρρίας.
κακά μοι παρέσχεν οὗτος, ἅπαντας οὓς λέγω
παρελήλυθ' —.

Sic enim verba interpunxit, etsi asyndeton duarum sententiae partium vitiosum esse concessit. At haud scio an rectius Hanovius in exercit. crit. p. 37 sqq. ita distinxerit:

Μιλήσιός τις Πυρρίας
κακά μοι παρέσχεν. οὗτος ἅπαντας οὓς λέγω
παρελήλυθ' —.

Anapaestum quidem ita excusationem habere apparet: de quo ut de ipso asyndeto Hanovius haec adnotat p. 52: 'narrationem suam Musice continuat et voce quidem propter indignationem summam vehementer intenta; ad quam quidem vocis intentionem et anapaestus paulo crassior τος ἁπαν accommodatissimus est, et vero asyndeton enuntiati'.

Corruptum Platonis fragmentum apud Mein. II, 633 (7): ὥσθ' ἅττ' ἔχω ταῦτ' ἐστί· ταρίχους ἀπολέσω Cobetus correxit verissima coniectura scribens ταῦτ' ἐς ταρίχους.

Ad Antiphanis fragm. ibid. III, 138 (10 v. 2)

τὸ δὲ
ζῆν εἰπέ μοι τί ἐστι; — τὸ πίνειν φήμ' ἐγώ

Meinekius haec adnotat: 'articulus ante πίνειν fortasse delendus'. Quod vellem paulo confidentius affirmasset. Nam quem plena constructio respuit articulum τὸ ζῆν ἐστι πίνειν h. e. 'das Leben ist trinken', eundem non magis recipit brevius responsum.

Alexidis fragm. ibid. III, 391 (2 v. 11):

ὦ τᾶν λαβὲ καὶ μὴ παῖζε. — τοσουδί. παράτρεχε.

In hoc versu τοσουδί e Dobraei coniectura editur; codices praebent τοὺς οὐ δεῖ vel τοῦ σοι δεῖ. At τοσουδί illud in sententiarum conexum non satis quadrat. Cum enim piscator duos pisces indicaverit decem obolis, atque cum irrisione recusaverit octo obolos quos emptor promiserat, hic denuo illum ut pretium accipiat hisce verbis adhortatur ὦ τᾶν λαβὲ καὶ μὴ παῖζε. Quae excipiens τοσουδί piscatoris responsum quid sibi velit, non intellego; nam ut Dobraeo demus posse πωλῶ subaudiri, tamen ne sic quidem τοσουδί quo referendum sit apparet, utrum ad decem an ad octo obolorum pretium. Concinnior, nisi fallor, sententia evadit, si scribimus τουσδί cum interrogandi nota, ut piscator dicat: 'hosce octo obolos vis me accipere, hisce me contentum esse? immo transi ad alios!' Certe ne hic quidem versus sic est comparatus, ut anapaesto interpunctione diviso praesidium parare possit. Quare ceteris iam omnibus sublatis talis anapaesti exemplis licet ad illum versum reverti, unde Reisigi ratiocinatio omnis profecta est, Vesp. 1369:

τῶν ξυμποτῶν κλέψαντα; — ποίαν αὐλητρίδα;

quem versum, quamquam Reisigi sensu omni corrigendi periculo vacuum, tamen propter ipsum metricum vitium medela indigere nunc censebimus. Et Elmsleius quidem ad Acharn. v. 178 ab Aristophane scriptum esse coniecit κλέψαντα συμποτῶν; sed articulo ξυμποτῶν carere nequit. Probabilius est τὴν αὐλητρίδα scribendum esse, quod Hermannus proposuit in epit. doctr. metr. § 156: in hac enim paragrapho talem anapaesti incisionem non ferendam esse contendit, quam tamen idem defendit in praefatione*). Sed etiam leniore manu licebit πῶς reponere, quam

---

*) Hoc tamen ad primam tantum editionem pertinet; nam in altera magis inclinat ad hoc genus anapaestorum improbandum praef. p. XIII.

coniecturam Florentis Christiani Meinekius in praef. commemorat. Similiter in Acharn. v. 397, cum Euripidis famulus dixisset erum et intus esse et non intus, Dicaeopolis quaerit: πῶς ἔνδον εἶτ' οὐκ ἔνδον; [Praestat ut puto cum irrisione dictum πόθεν Dindorfii. F. R.]

Restant pauca quaedam exempla, quae neque huic generi adnumerari possunt nec ante tertiam arsim pausam vocis admittunt. In Thesmoph. v. 340

ὑποβαλλομένης κατεῖπέ τις, ἢ δούλη τινός

altera in medio anapaesto incisio numeros exasperat. Ibi autem τις, supervacaneum illud ad sententiam, a librariis verborum structuram male intellegentibus ex v. 335 repetitum esse videtur: quare illud delendum esse scribendumque κατεῖπεν recte iam Bentleius censuit. In Nub. v. 62

περὶ τοὐνόματος δὴ 'ντεῦθεν ἐλοιδορούμεθα

'νταῦθ' haud cunctanter cum Dindorfio reponemus: ac vitium in vulgata esse ipsorum librorum discrepantia monet, ut quorum Ravennas δ' ἠντεῦθεν exhibeat, Venetus δῆν ἐντεῦθεν, alii vero δὴ ταῦτ'. Etiam minus elegantes numeri sunt in Ran. v. 1307:

πρὸς ἥνπερ ἐπιτήδεια τάδ' ἔστ' ᾄδειν μέλη.

Nam cum quinque syllabarum vox nec post alterum trochaeum nec post alterum iambum caesuram admittat, hephthemimeres necessaria et sola versus caesura evadit, quo fit ut hic anapaestus eadem duritia laboret, quam in incisis tertii pedis anapaestis reprehendimus. Ceterum ne codices quidem inter se consentiunt: nam Ravennas exhibet ἐπιτήδειονα τάγ' ἔστ' ᾄδειν, quod ex ἐπιτήδει$\overset{α}{\text{ο}}$ν τ. ἔ. ᾄ. ortum esse apparet, duo alii codices τάδ' ἔστ' ᾄδειν, Venetus ταῦτ' ἔστ ᾄδειν. Editores ante Brunckium ταῦτ' ᾄδειν receperunt, quod etiam Kockius ut metro mederetur probavit; Hermannus autem in praef. epit. p. 10 sq. aut hoc aut τάδε γ' ᾄδειν commendavit. Sed cum Aristophanes in sermonibus verbum substantivum non soleat omittere, rectius fortasse in hunc modum numeri restituentur:

πρὸς ἣν ἐπιτήδει' ἐστὶ ταῦτ' ᾄδειν μέλη.

Nullo denique modo ferri potest versus ex Philemonis fragm. apud Mein. IV, 41 (22 v. 3):

κεκύηκέ τις, οὐ κεκύηκέ τις· ἠτύχηκέ τις:

quamquam num recte Meinekius versum correxerit τις pronomine priore et altero deletis, non ausim diiudicare.

Secundi pedis anapaesto eisdem, quibus quarti, condicionibus incidens in mediam thesim incisio vocis plurium syllabarum conceditur, ut voces anapaestum formantes arte inter sese cohaereant et aut interpunctio aut alia pausa satis distincta post alterum trochaeum intercedat. Quare commode anapaestus in hoc versu se habet Aristoph. Acharn. 6:

τοῖϲ πέντε ταλάντοιϲ, οἷϲ Κλέων ἐξήμεϲεν:

in quo adiectivum numerale cum suo nomine tam arte sociatum est, ut vix durior efficiatur anapaestus quam qui uno πεντετάλαντοϲ adiectivo inclusus est in Nubium v. 774 ὅτι πεντετάλαντοϲ διαγέγραπταί μοι δίκη, vel in quarta sede ibid. v. 758 εἴ ϲοι γράφοιτο πεντετάλαντόϲ τιϲ δίκη.

Deinde probi sunt Av. v. 79. Nub. v. 1221:

τρέχω 'πὶ τορύνην. — τροχίλοϲ ὄρνιϲ οὑτοϲί.
ζῶν, ἀλλὰ καλοῦμαι Cτρεψιάδην — τίϲ οὑτοϲί;

In altero enim versu etsi lenior pausa est ante tertiam arsim, tamen non neglegendum erit etiam ea interpunctione, quae fit ante arsim principalem, incisionem anapaesti paululum obscurari.

Defendi possunt etiam horum trium versuum anapaesti Nub. 684. Thesmoph. 1184. Ran. 1393:

Λύϲιλλα, Φίλιννα, Κλειταγόρα, Δημητρία.
κάτηϲο, κάτηϲο, ναικὶ ναὶ (τὸ) τυγάτριον.
μεθεῖτε, μεθεῖτε· καὶ τὸ τοῦδέ γ' αὖ ῥέπει.

Nam in his quas nos ponere solemus interpunctionis notas, eae non tantam vim habent, ut longius intervallum inter primam et alteram pedis syllabam poscant. In enumeratione quidem plurium nominum recitandi pausa inter singula intercedens non tam e logica quadam ratione pendet quam e celeritate, qua qui enumerat potest singula recordari; cum vero in Nubium versu Socrates de femininis nominibus interrogasset, vix opus erat Strepsiadi, ut scortorum nomina reperiret, diuturna meditatione; praeterea etiam ex nominum propriorum communi licentia anapaesto veniam paratam esse apparet. In altero autem et tertio versu ipse inclamandi impetus, etiam iteratis imperativis conspicuus, postulat ut sine graviore vocis intermissione verba pronuntiando se excipiant.

In Lysistratae versu 44

κροκωτὰ φοροῦϲαι καὶ κεκαλλωπιϲμέναι

κροκωτοφοροῦϲαι nonnulli exhibent codices, idemque omnes praebent v. 219 sq., ubi bis idem versus redit: quam scripturam

quominus hic quoque probemus, non impediunt proximi versus accusativi ὀρθοστάδια καὶ περιβαρίδας, qui, etiamsi vulgatam scripturam retineamus, non possunt e φοροῦσαι participio pendere. — In Ranarum versu 847

ἄρν' ἄρνα μέλαιναν παῖδες ἐξενέγκατε

μέλανα reponendum esse Kockius vidit; masculo enim Typhoni masculus aries debetur: atque μέλανα servarunt Ravennas in hoc ipso versu et scholiasta ad proximum. — Uno verbo commemoro Thesmoph. v. 1198

ἔπειτα κομίζεις αὐτοῖς. — ἀκολούτει τέκνον:

quem penitus corruptum esse nemo non videt. — Non plus excusationis habet versus Vesp. 25

ἰδόντι τοιοῦτον ἐνύπνιον; — μὴ φροντίσῃς.

In quo non debuit Reisigius ἰδὼν conicere, qualis nominativus post μοι dativum antecedentem ab Aristophanei sermonis concinnitate alienus est; rectissime potius Elmsleius ad Acharn. v. 178 scribi iussit τοιοῦτ' ἐνύπνιον. — Corruptelae suspitionem auget duplex incisio horum anapaestorum Av. vv. 843. 1024, Philippidis fragm. apud Mein. IV, 469 (3 v. 2):

κήρυκε δὲ πέμψον τὸν μὲν ἐς θεοὺς ἄνω —.
ἔπεμψε δὲ τίς σε δεῦρο; — φαῦλον βιβλίον —.
μάλιστα γὰρ οὕτω σώζεται τὸ συμφέρον.

Quorum primus fortasse ex pausa, quam sententia post πέμψον postulat, aliquam veniam habet; in altero δὲ delendum esse videtur.

In Menandri Sententiis singularibus, quae multis vitiis metricis depravatae aetatem tulerunt, offendit huiusmodi trimetrus apud Mein. IV, 355 (v. 539):

χθὼν πάντα κομίζει καὶ πάλιν κομίζεται:

sed fortasse eiusdem sententiae haec altera quae traditur forma magis genuina est ibid. v. 89: γῆ πάντα τίκτει καὶ πάλιν κομίζεται.

Hiatus corruptelae indicio est in his quos subieci versibus. Platonis fragm. apud Mein. II, 635 (3) ἀλλ' αὐτὸ ἀπαρτὶ τἀλλότρι' οἰχήσει φέρων: in quo αὔτ' ἀπαρτὶ cum Bekkero scribendum est. Antiphanis ibid. III, 79 (2 v. 9) οὐχ ἡδύ; ἐμοὶ μὲν μετὰ τὸ πλουτεῖν δεύτερον. Alexidis ibid. III, 513 (18 v. 4) ἐρῶντι ἑταίρας ἕτερα χρησιμώτερα.

Restant pauca exempla prorsus neglecta caesura penthemimeri inconcinna. Non uno vitio laborat Pac. v. 48:

ὡς κεῖνος ἀναιδέως τὴν σπατίλην ἐσθίει.

Primum enim vitiosa est ϵ et ω vocalium synecphonesis, quam in sermonibus nusquam Aristophanem admisisse certissimum est: cui vitio sane medemur τὴν articulo deleto. Sed etiam sententia versus valde claudicat. Nam ut de Cleone tunc iam mortuo verba accipi voluerit poeta, scholiastae recte intellexerunt non potuisse eum ἐςθίει praesenti tempore dicere; sin ad scarabaeum verba referenda sint, ineptum esse apparet κεῖνος pronomen, cuius loco οὗτος potius vel ὅδε requirimus. Nec concinnior sententia evadit, si cum novissimo editore Richtero ὡς κεῖνος ad Cleonem, ἐςθίει vero ad scarabaeum referamus: ita enim verbis intellectis asyndeton offendit quod inter hunc et antecedentem versum exsistit. Priorem quidem versus partem Elmsleius ad Acharn. v. 178 emendare studuit ὡς κεῖνος ἡδέως scribens; fortasse recte. Sed cum ita ipsam sententiam non adiuverit, praeterea ἐςθίει in ἤςθιεν mutandum esse videtur.

Idem in Av. v. 114

ὅτι πρῶτα μὲν ἦςθ' ἄνθρωπος ὥςπερ νώ, ποτέ

μὲν particulam, cui nullum in proximis δέ respondet, suo iure delevit reposuitque πρῶτον ἦςθ'. — Insiticius esse videtur Ranarum versus 1462 μὴ δῆτα σύ γ', ἀλλ' ἐνθένδ' ἀνίει τἀγαθά: quem uncis plerique editores secluserunt.

In Pherecratis fragm. apud Mein. II, 284 (6 v. 1) ἀπαρτὶ μὲν οὖν ἐμοὶ μὲν εἰκός ἐςτ' ἐρᾶν scribi potest ἀπαρτί γ' οὖν, nisi temerarium sit in tam minutis fragmentis vel addere vel delere particulas ad sententiarum conexum spectantes.

In Eupolidis fragm. ibid. II, 520 (36 v. 3):

κνέφαλλά τε καὶ θέρμαυςτριν, ἓξ θρόνους, χύτραν

κνέφαλα libri per simplicem λ litteram scriptum exhibent; quod si κνέφαλλα per duplicem λ rectius scribitur, putandum est τε particulam a metrico correctore, posteaquam κνέφαλα forma in versum irrepsit, ad supplendos numeros additam esse; nisi forte haec particula eidem consuetudini librariorum debetur, qua ductos supra suspicati sumus eos μηδὲ pro μὴ posuisse in Strattidis versu apud Mein. II, 783 (1 v. 1):

εἰ μηδὲ χέςαι γ' αὐτῷ ςχολὴ γενήςεται,
μηδ' εἰς ἀςωτεῖον κτλ.

Pseudo-Alexidis fragm. ibid. III, 394 ('Αςωτ. v. 5) hoc est:

χαίρωμεν, ἕως ἔνεςτι τὴν ψυχὴν τρέφειν.

Id fragmentum totum cum tragico colore imbutum sit, nihil

impedit quominus ἕωϲ per synecphonesim pronuntiandum esse statuamus.

In Menandri fragm. ibid. IV, 235 (12 v. 3)

καὶ πάντα τὰ λυμαινόμεν' ἔϲτιν ἔνδοθεν

cum Dobraeo scribendum est πᾶν τὸ λυμαινόμενον.

Praeterea elisione medendum est hisce versibus: Acharn. 178 τί δ' ἔϲτιν; — ἐγὼ μὲν δεῦρό ϲοι ϲπονδὰϲ φέρων —. Thesmoph. 946 κοὐκ ἔϲτιν ἔτ' ἐλπὶϲ οὐδεμία ϲωτηρίαϲ. Av. 144 ἀτὰρ ἔϲτι γ' ὁποίαν λέγετον εὐδαίμων πόλιϲ: in quo praeterea γε delendum est. Antiphanis fragm. apud Mein. III, 88 (Μοιχ. v. 8) λάβωϲιν, ἔδωκαν τῶν νεκρῶν ἀναίρεϲιν —.

Talem anapaesti incisionem in tetrametris iambicis, qui longe rotundiores quam trimetri numeros poscunt, non probatam fuisse sua sponte intellegitur. Quare aliis numeris aptandum est fragmentum Cratini apud Mein. II, 155 (9):

οἷϲ ἦν μέγιϲτοϲ ὅρκοϲ
ἅπαντι λόγῳ κύων, ἔπειτα χὴν, θεοὺϲ δ' ἐϲίγων:

nec tamen talibus trimetris, quales Porsono et Bekkero exciderunt:

οἷϲ ἦν μέγιϲτοϲ ὅρκοϲ ἅπαντι λόγῳ κύων,
ἔπειτα χὴν, θεοὺϲ δ' ἐϲίγων:

immo ex lyrico carmine fragmentum petitum esse videtur.

De uno denique huius incisionis exemplo, quod in systemate iambico reperitur, Acharn. v. 850, accurate egit Reisigius Coniect. ad Arist. p. 36 sqq.

Caput II.

De monosyllabis anapaestum ordientibus quid iudicandum esse putemus, facile ex eis apparet quae de complurium syllabarum vocibus exposuimus. Si enim vocula monosyllaba ad antecedentem vocem suapte natura necessario se applicat, non multum differt anapaesti incisio ab ea de qua modo disputavimus, nec potest non similibus condicionibus oboedire. Sin vero ista vocula cum proximo nomine arte cohaeret, licitum evadit anapaesti genus, cum ita post primam syllabam exilis tantummodo pausa exsistat, anapaestus autem propius ad eorum similitudinem accedat, qui contextis vocabulis continentur. Quare primum articuli formae correptae ὁ τόν τό τά, quae nomen ab iambo incipiens antecedunt, in omnibus praeter ultimum trimetri pedibus fre-

quentantur, ut in talibus: τὸ κανοῦν, ὁ δ' ἀνήρ, τὰ μέλη, τὸ νεώριον, τὰ μέγιστα, τὸν ὄπισθεν, ὁ Διὸς Κόρινθος, vel similibus Acharn. vv. 118. 244. 253. 481. 510. 519. 552. 918. 921. 1006. 1059. 1060. 1066. 1107. Equit. vv. 25. 84. 120. 123. 206. 207. 646. 1023. 1199. 1399; item in tetrametro (Equit. v. 407). Pac. v. 948; in satyrici trimetri secundo pede Eurip. Cycl. v. 272. — Secundo commodum anapaesti genus oritur a praepositionibus monosyllabis brevibus velut in his: πρὸς ἕνην, ἐν Ἀθηναίοις Acharn. v. 498. Nub. v. 1188. Pac. v. 1249. — Tertio probati sunt anapaesti a τίς τί pronominis interrogativi formis incipientes ut τί λέγεις, τί φέρεις Acharn. vv. 410. 768. 873. Equit. v. 1339. Nub. vv. 21. 22. 90. 185. 798. 1201. — Quarto excusationem sibi vindicant ὅς ὅν ὅ ἅ formae pronominis relativi velut ἃ λέγω, ὃ φέρει Equit. v. 1046. Pac. v. 832. Av. vv. 982. 1685. Sed interrogativa aut relativa pronomina in medio quidem versu anapaestum ordiri non solent, nisi quae interpunctio antecedit. Semel tantummodo in media sententia τί sic positum est in secundo pede Av. v. 20 καὶ νῦν τί κέχηνας; ἔσθ' ὅποι κατὰ τῶν πετρῶν: cui anapaesto ab interpunctione ante tertiam arsim facta plenissima excusatio est. — Quinto σύ initium anapaesti obtinere potest eadem moderatione, ut in medio versu interpunctio antecedat. Cf. (Ran. v. 570). Nub. v. 1277. Vesp. vv. 142. 158 al. Minus eleganter in media sententia bis illud anapaestum orditur Av. v. 647. Lysistr. v. 131:

ἴωμεν· εἰσηγοῦ σὺ λαβὼν ἡμᾶς. — ἴθι.
ταυτὶ σὺ λέγεις ὦ ψῆττα; καὶ μὴν ἄρτι γε —.

Ad alterum genus earum monosyllabarum, quae ad antecedentia verba se applicant, primum voces encliticae pertinent. Et enclitica quidem vox tam arte cum antecedenti nomine sociata est, ut ad numeros eius ratio non alia esse possit atque finalis syllabae vocabuli plurium syllabarum: quare in tertio aut quinto pede anapaestum ordiri nequit, in secundo et quarto ea condicione potest, ut ante tertiam versus arsim interpunctio fiat, neve ipsam encliticam pausa nimis insignis excipiat. Repugnantia huic legi exempla, quae in vetustioribus editionibus legebantur, nunc pleraque meliorum codicum ope correcta sunt. Sic duo, de quibus olim inter Vossium et Reisigium acrius disputatum est: Acharn. v. 748 ἐγὼν δὲ καρυξῶ γε Δικαιόπολιν, ὅπα, in quo Ravennas γε particulam omittit, et Vesp. v. 11 κἀμοὶ γὰρ ἀρτίως τις ἐπεστρατεύσατο, ubi nec Ravennas nec Venetus τις exhibent. —

In Pac. v. 274 οὔκουν ἕτερόν γέ τιν' ἐκ Λακεδαίμονος μέτει, si Invernizio fides habenda, Ravennas γ' ἔτ' ἐκ praebet: quare aut cum Reisigio Coniect. Arist. p. 23 γ' αὖτ' scribi aut vulgata scriptura δῆτ' retineri potest. — Perperam additum cum in Ravennate tum in Veneto γε est, in ceteris omissum, Nub. v. 876 καίτοι γε ταλάντου τοῦτ' ἔμαθεν Ὑπέρβολος. — Similis librorum dissensio est in Ran. v. 138 ἄβυσσον. — εἶτα πῶς γε περαιωθήσομαι: sed vix alibi apud Atticos γε particulam adverbio interrogativo iunctam reperias. Ne autem cuncta singulorum librorum peccata emetiar, omnium consensu γε sic positum legitur Lysistr. v. 760:

ἐγὼ δ' ὑπὸ τῶν γλαυκῶν γε τάλαιν' ἀπόλλυμαι:

in quo non recte Reisigius ἐγὼ δέ γ' ὑπὸ γλαυκῶν τάλ. ἀπ. scripsit; nam cum certae noctuae quae sunt in acropoli Atheniensium intellegi debeant, τῶν articulus abesse nequit. Sed graviorem notam meruit Meinekius, quod in Vindic. Aristoph. p. 119, ut vitiosum quarti pedis anapaestum vitaret, alterum eius prorsus similem in secundum immisit coniciens: ἐγὼ δέ γε τῶν γλαυκ. τάλ. ἀπ. Recte iam Bentleius γε eiciendum esse statuit.

Ranarum versum 77 deteriores codices talem exhibent:

μέλλεις ἀναγαγεῖν, εἴπερ ἐκεῖθεν δεῖ σ' ἄγειν:

Ravennas autem et Venetus praesens tempus ἀνάγειν praebent, quod sane post μέλλειν verbum consuetudini Atticorum magis quam aoristus congruit: atque servari id potest, dummodo cum aliquot libris γε particulam post εἴπερ inseramus. Sed anapaestum quidem εἴπερ ἐκεῖθεν per se spectatum apparet ex interpunctione ante tertiam arsim facta satis excusationis habere.

In Avium v. 23

ἡ δ' ἡ κορώνη τῆς ὁδοῦ τί λέγει πέρι

inconsultius Meinekius τι indefinitum posuit; sed etiam τί interrogativum, cum nulla interpunctio antecedat, in quinto pede anapaestum parum eleganter orditur: quare probabilius est quod Cobetus suasit: τί δ' ἡ κορώνη τῆς ὁδοῦ λέγει πέρι; quamquam τί in extremo versu iam scholiasta legit, qui dubitat utrum interrogativa an affirmativa sententia statuenda sit, an denique cum eis sit sentiendum qui cum ipsa negatione οὐδ' ἡ scribere maluerint. Quodsi ille τί ab initio versus positum repperisset, de explicatione omnino haesitare non potuit. Itaque aliquam veritatis speciem Dindorfi opinio prae se fert, qui in adnot. Oxon.

suspicatur ex hoc versu petitam esse glossam Photi p. 588, 13: τίζειν· τί λέγειν. οὕτως Ἀριστοφάνης.*)

Nec recte ex A B Δ libris Meinekius τε recepit in hunc versum Av. 78:

ἔτνους δ' ἐπιθυμεῖ δεῖ τε τορύνης καὶ χύτρας.

Immo multo aptius Trochilus asyndeto utitur, quo suam in administrando festinationem depingat.

Etiam magis infirma ceterorum comicorum exempla sunt. In Alexidis fragm. apud Mein. III, 501 (Φυγ. v. 2) καὶ νῦν πορίζεταί γε τὰ δεῖπν' ἀσύμβολα importune γε particula πορίζεται verbo subiecta est: nulla enim ratio apparet, cur haec magis quam alia enuntiati notio intendi debeat. — Theopompi tetrametrum ibid. II, 812 (2 v. 2) sic libri scriptum exhibent εἰ νῦν γε διώβολον φέρει ἀνὴρ τρέφειν γυναῖκα: ubi hiatum una cum anapaesto Porsonus removit sic verbis transpositis: εἰ νῦν γ' ἀνὴρ διώβολον φέρει τρέφειν γυναῖκα. — Hiatus corruptelae indicio est etiam in Antiphanis versu ibid. III, 81 (Μαλθ. v. 6) κοσμεῖτ', ἀλείφετ'· ἂν δ' ἔχῃ τι ἀπάγχεται. — In Cratini denique fragmento ibid. II, 187 (33[b])

λόγος τις ὑπῆλθ' ἡμᾶς ἀμαθὴς συβαύβαλος

συοβαύβαλος scribendum esse vidit Meinekius; sed miror quod neque hic nec alius quisquam intellexit fragmentum ex anapaesticis versibus sumptum esse atque in hunc fere modum tetrametri cancellis aptandum:

⏑ ⏑ – ⏑ λόγος τις ὑπῆλθ' ἡμᾶς ἀμαθὴς συοβαύβαλος – –.

Μέ σέ accusativi pronominis personalis in primo pede atque, siquidem interpunctio praecedit, etiam in medio versu commode anapaestum ordiuntur ut Ran. v. 171:

οὗτος, σὲ λέγω μέντοι, σὲ τὸν τεθνηκότα.

Cf. Ran. v. 130. Eccles. v. 444 al. Si vero accentu carent, non differt eorum ratio a ceteris encliticis. Quare Vesp. v. 1307 κἄτυπτε δή με νεανικῶς παῖ παῖ καλῶν cum Ravennas Venetus Suidas δὴ omittant, hau dubie cum Elmsleio ad Acharn. v. 127 κἄτυπτεν ἐμὲ νεαν. scribendum est. — In Strattidis fragm. apud Mein. II, 787 (2 v. 2) γαληνά, ἐγὼ δ' ᾤμην σε γαλῆν λέγειν ὁρῶ nescio an reponendum sit ᾤμην γαλῆν λέγειν σ' ὁρῶ.

---

*) [Ibi sane τιτίζειν nunc editum est a Nabero p. 214, sed id neglecto ordine litterarum. F. R.]

Sed interpunctione post secundum trochaeum facta anapaestus excusatur in hoc versu Ran. 107:

δειπνεῖν με δίδαςκε. — περὶ ἐμοῦ δ' οὐδεὶς λόγος.

Deinde vero etiam μέν δέ ἄν γάρ particulae, cum antecedentibus verbis aptius quam insequentibus nectantur, anapaestum vicarium ordiri nequeunt. Hoc primus, quantum video, Elmsleius ad Acharn. v. 127 perspexit, ubi id genus exempla, quae reppererat in Brunckiana Aristophanis editione, enumeravit atque nonnullorum quidem emendationem proposuit.

Et primum quidem μέν particulae sic positae in trimetris Aristophanis nullum exstat exemplum. Quis igitur in tertii pedis anapaestis eam probaverit in hisce versibus: Ephippi fragm. apud Mein. III, 337 (2 v. 1), Menandri Sent. sing. ibid. IV, 349 (v. 318):

οὐ Μενεκράτης μὲν ἔφαςκεν εἶναι Ζεὺς θεός;

λιμὴν πλοίου μὲν, ἀλυπία δ' ὅρμος βίου.

Ephippi versus quomodo corrigi possit non video; Menandri vero quae fertur sententiam, cuius variae praeter hanc exstant formae, sed nulla melioribus numeris conclusa, in iustum trimetrum Ritschelius Opusc. phil. I p. 569 sic coegit:

πλοίου μὲν ὁ λιμὴν, τοῦ βίου δ' ὅρμος φίλος.

Δέ quam studiose Aristophanes, ne primam obtineret anapaesti syllabam, curaverit, manifestatur talibus versibus qualis est Lysistr. 160:

ἐὰν λαβόντες δ' ἐς τὸ δωμάτιον βίᾳ —:

ubi non praetulit ἐὰν δὲ λαβόντες, sed δέ maluit ex legitimo loco in posteriorem enuntiati sedem removere, quantumvis post ἐὰν insertum ipsa concinnitas orationis commendaret, cum statim versu 162 in simili Calonicae dubitatione positum sit ἐὰν δὲ τύπτωςιν. Cum vero v. 160 Vossianus codex δὲ plane omittat, Parisini vero duo et Florentinus ἐὰν δὲ λαβόντες exhibeant, hoc quoque hic nos versus docet, librarios talem particulae transpositionem aegre tulisse eamque vel eicere vel in legitimum quem putarunt locum restituere non dubitasse. Quodsi concedis hac ratione librorum discrepantiam in illo Lysistratae versu explicandam esse, non aliter iudicandum erit de eiusdem fabulae v. 97:

λέγοιμ' ἄν ἤδη· πρὶν λέγειν δ' ὑμᾶς τοδί —.

Haec enim scriptura recipienda est, quamvis in una Brubachiana a Grynaeo profecta; nam cum de ceteris codicibus nihil constet, Ravennas certe et Augustanus δὲ omittunt, editiones vero pleraeque πρὶν δὲ λέγειν praebent. Nec apte Reisigius asyndeton

defendit his verbis: 'erst hebt Lysistrata an, als wolle sie den Weibern ihren Plan entdecken; doch um die Aufmerksamkeit noch höher zu spannen, bricht sie plötzlich ab mit einer Zwischenfrage': immo nullo modo ferri asyndeton potest, quia aliqua certe particula opus fuit, ut significaretur verbis πρὶν λέγειν et quae secuntur non exspectatae orationis exordium contineri, sed aliam sententiam ab ipsa oratione alienam. In editionum scriptura πρὶν δὲ λέγειν anapaestum veniam habere apparet; sed tamen πρὶν λέγειν δ' collocatio similitudine versus modo commemorati commendatur.

Pluti v. 664

ἦσαν δέ τινες κἄλλοι δεόμενοι τοῦ θεοῦ;

recte fortasse Elmsleius δέ που sine interrogatione scripsit. — Certe non ferendum est δέ in quinto pede ita positum in Aristophanis fragm. apud Mein. II, 947 (9)

κοιτὼν ἁπάσαις εἷς, πύελος δὲ μί' ἀρκέσει:

ubi in Polluce Bekkeri particula deleta est. — In Anonymi fragm. ibid. IV, 690 (346 v. 3) ὅταν δὲ τύχωμεν ὕστερον λυπούμεθα cum Nauckio δ' ἔχωμεν reponere licet. Verum non audeo sollicitare Eupolidis versum ibid. II, 475 (37 v. 1)

ταδὶ δὲ τὰ δένδρα Λαισποδίας καὶ Δαμασίας —.

Ἄν particulae anapaestum incipientis unum per libros Aristophanis fertur exemplum Eccles. v. 219:

εἰ τοῦτο χρηστῶς εἶχεν, οὐκ ἂν ἐσῴζετο.

In quo ἐσῴζετ' ἄν scribendum esse Elmsleius l. c. intellexit. — Ranarum versui 1281

μὴ πρίν γ' ἀκούσῃς χἀτέραν στάσιν μελῶν

ἄν inserendum esse idem ad Acharn. v. 176 et Reisigius in Coniectan. p. 66 viderunt. Et Reisigius quidem πρίν γ' ἂν ἀκούσῃς proposuit, quod plerisque placuit editoribus. Elmsleium Kockius in adnot. ad hunc versum memorat vitandi vitiosi anapaesti caussa μὴ μή, πρὶν ἄν γ' ἀκούσῃς coniecisse, ita ut μὴ μή extra versum positum esset: quam coniecturam quo loco proposuerit, doleo me non potuisse indagare. Sed minime equidem dubito quin leniore mutatione scribendum sit μὴ πρὶν ἂν ἀκούσῃς: nam πρὶν ἄν sine γε particula saepius Aristophanes in simillimis sententiis posuit, velut Vesp. v. 725 πρὶν ἂν ἀμφοῖν μῦθον ἀκούσῃς, οὐκ ἂν δικάσαις; Acharn. v. 230 οὐκ ἀνήσω, πρὶν ἂν σχοῖνος αὐτοῖσιν ἀντεμπαγῶ; Vesp. v. 579 οὐκ ἀποφεύγει, πρὶν ἂν ἡμῖν — εἴπῃ. Mirum est quam non constiterit sibi Kockius,

qui quamquam in adnotatione ad Ranarum versum ἄν particulam necessariam esse concessit, in ipsis tamen verbis poetae librorum scripturam πρίν γ' ἀκούσῃς servavit.

Non autem improbandum est ἄν quinti pedis anapaestum exordiens in duobus versibus Anonymi apud Mein. IV, 650 (187):

βδελυρὸν μὲν οὖν τὸ πρᾶγμα, κοὐκ ἂν ἐβουλόμην
λαχεῖν· ἐπειδὴ δ' ἔλαχον, οὐκ ἂν ἐβουλόμην.

In his enim loquendi figura illa, quae παρὰ προσδοκίαν dicitur, cuius ipsius caussa Hermogenes fragmentum illud affert, satis numerorum insolentiam tuetur.

A γάρ particula anapaestus orditur Thesmoph. v. 173. Eccles. v. 998:

παῦσαι βαΰζων· καὶ γὰρ ἐγὼ τοιοῦτος ἦν —:
οἶδ' οἶδ' ὅτι βούλει. — καὶ γὰρ ἐγώ σε νὴ Δία:

quos versus apparet Reisigianae legi satisfacere. Atque similem excusationem admittit Av. v. 847:

οὐδὲν γὰρ ἄνευ σοῦ γ', ὧν λέγω πεπράξεται:

sic enim recte Cobetus pro τῶνδ' ἃ λέγω, quod in libris est, scripsisse videtur. — Sed mendosi sunt Plut. v. 1173. Thesmoph. v. 469:

ἀφ' οὗ γὰρ ὁ Πλοῦτος οὗτος ἤρξατο βλέπειν —.
καὐτὴ γὰρ ἔγωγ', οὕτως ὀναίμην τῶν τέκνων —.

In priore οὗτος tantum infimae auctoritatis libri exhibent; in Ravennate ita versus scriptus exstat: ἀφ' οὗ γὰρ ὁ Πλοῦτος ἤρξατο βλέπειν, in Veneto autem: ἀφ' οὗ γὰρ βλέπειν ὁ Πλοῦτος ἤρξατο. Videntur igitur deteriores libri addito οὗτος pronomine metrum interpolasse. Itaque nihil obstat quominus cum Meinekio Venetum maxime exemplar secuti ἀφ' οὗ γὰρ αὖ βλέπειν ὁ Πλοῦτος ἤρξατο scribamus, quamquam, utrum αὖ particula an alio metri supplemento versui succurrendum sit, non potest non in ambiguo esse. — Restat Thesmophoriazuson versus, quem sane fatendum est alius corruptelae notam nullam prae se ferre. Sed quid quaeso apud Aristophanem unum exemplum valet, ubi in particula versamur quae non centies, sed plus quam milies in eius trimetris legatur? Fortasse verum est quod Elmsleius coniecit καὐτὴ γὰρ οὖν.

Accedunt Eupolidis fragm. apud Mein. II, 442 (7), Platonis ibid. 670 (3 v. 5), Nicostrati ibid. III, 282 (Διαβ. v. 2):

ἤδη γὰρ Ἀρίσταρχον στρατηγοῦντ' ἄχθομαι.

ἐπέλαχες ἀνδρὶ, οὐδέπω γὰρ ἐλευθέρῳ.
ἢ κάνθαρος; τουτὶ γὰρ ἐὰν πύθωμ' ὅτι.

Horum primum fragmentum cum hoc uno versu comprehendatur, num corrigendum sit, in medio relinquo; in altero vero et hiatus vitiosus est nec γὰρ particula sententiae convenit; in tertio ἂν est cum Dindorfio pro ἐὰν reponendum.

Interpunctio in prima anapaesti syllaba post monosyllabam vocem non magis probata est quam post plurium syllabarum vocabulum. Menandri quae traditur sententiam λιμὴν πλοίου μὲν, ἀλυπία δ' ὅρμος βίου iam supra absolvimus. Maiorem hoc in genere licentiam potuit princeps trimetri sedes sibi vindicare; attamen unum quod huc referri possit exemplum, aliis de caussis non recte se habere videtur, Acharn. v. 749 sq.:

Δικαιόπολι, ἦ λῆς πρίασθαι χοιρία;
τί; ἀνὴρ Μεγαρικός; — ἀγοράσοντες ἵκομες.

Non solet enim apud Aristophanem solo τί pronomine integra interrogatio consistere; pleniore potius sententia sic fere tales interrogationes fiunt: τί ἔστι; τί λῆς; τί τὸ πρᾶγμα; vel saltem vocativo addito τί, ὦ πάτερ; Nub. v. 80; τί, ὦ γέρον; ib. v. 746, alibi, ubicumque cognoscere quis cupit, quid sit cur vocetur. Nec vero recte Elmsleius exstincto priore interrogationis nota τί ἀνὴρ Μεγαρικός; edidit; etenim in praesentis personae allocutione politior sermo Atticus ὦ interiectionem non sine certa caussa omittit*). Plerumque vero, cum quis in scaenam ab altero advocatur, huius modi quaestionem instituit: τίς οὗτος; Acharn. vv. 395. 1018. 1048 al. τίνες οὗτοι; τίς ὁ βοῶν; Av. v. 60. τίς ἔσθ' ὁ κόπτων; Plut. v. 1097. τίς ὁ Σαρδανάπαλλος οὑτοσί; Av. v. 1021. Quare nescio an Acharnensium locus ille in hunc fere modum restitui possit:

Δικαιόπολι,
ἦ λῆς πρίασθαι χοιρίδια; — τίς οὑτοσὶ
ἀνὴρ Μεγαρικός; — ἀγοράσοντες ἵκομες.

Vbi vocativus extra versum apte ponitur, quoniam aliquid temporis necesse est intercedat, donec Dicaeopolis vocanti obsecutus domo egrediatur et Megaricus interrogationem suam continuare possit.

*) Cf. Velsenum in Mus. Rhen. vol. XXIV p. 329.

Caput III.

Sequitur ea anapaesti incisio, quae fit, cum vox hyperdisyllaba terminatur in altera thesis syllaba: de qua caesura podica eo utilius erit curiosius disputare, quo minori ea offensioni recentioribus nonnullis Aristophanis editoribus esse solet. Meinekio quidem nihil scrupuli iniecerunt huius modi anapaesti eique adeo ex coniectura profecti: καὶ μηκέτι τηρεῖν cιτί' ἡμερῶν τριῶν Acharn. v. 197; εἰc ἀcπίδα θύcῃc μηδὲν εἰρήνηc πέρι Lysistr. v. 190; καὶ τάc γε δούλαc οὐκέτι δεῖ κοcμουμέναc Eccles. v. 721, alii. Atqui talia veteribus non probata fuisse iam Bentleius sensit, qui non alia de caussa nisi propter numerorum foeditatem nonnullos id genus versus in Aristophanis fabulis emendavit. Velut Acharn. v. 1078 ἰὼ cτρατηγοὶ, πλείονεc ἢ βελτίονεc scripsit πλέονεc; in Pluti autem v. 476 ὦ τύμπανα καὶ κύφωνεc οὐκ ἀρήξετε quamquam verba sollicitare non audet, suavius tamen ad aures accidere dicit ὦ τύμπαν', ὦ κύφωνεc; nec minus in Nub. v. 73 ἀλλ' οὐκ ἐπείθετο τοῖc ἐμοῖc οὐδὲν λόγοιc molliorem et numerosiorem evadere versum adscita ἐπίθετο forma. Bentleio aetate proximus quantum video Elmsleius in huiusmodi anapaestis offendit. Is enim in auctario adnotationum ad Acharn. v. 107 εἰ προcδοκῶcι χρυcίον ἐκ τῶν βαρβάρων numerosius χρυcὸν esse contendit, pariterque in eiusdem fabulae versu 1078 de πλέονεc forma Bentleio assentitur. Sed cum hae offensiones magis aurium iudicio et sensui cuidam elegantiae deberentur, ad certam legem illas primus God. Hermannus in Epitomes*) doctr. metr. priore editione § 154 revocare disertis verbis instituit, ubi de anapaestis vicariis disputans haec scripsit: 'sed non elegans habetur' (in altera Epitomes editione posuit 'sed non probatur') 'in secunda brevium syllabarum terminata vox quae in dactylum exit. Vt in Plauti Asin. IV, 1. 26:

tecum úna postea aéque pocula pótitet:

quod scribendum *pocla*'. Similia idem e Graecis comicis exempla commemorat in praef. ad Epit. p. XIII. Sed paulo copiosius rem in altera Nubium Aristophanearum editione ad v. 74 retractavit, qua adnotatione pleraque talis incisionis exempla, quae in Aristophanis fabulis reperiri possent, dubia esse contendit et non-

*) In Elementis doctr. metr. hanc quaestionem non tetigit.

nullorum saltem emendationem suscepit. Contra Hermanni autem sententiam Fritzschius in disputatione 'de trimetro comico', quam praemisit indici lect. Rostoch. a. 1831 hibern., talia affirmat Aristophani non displicuisse; cum vero crebra huius dactyli exempla exstare contendat, nimia parsimonia tria tantummodo nobiscum communicat Acharn. v. 107. Plut. v. 942. Lysistr. v. 124, quorum primum leuissima mutatione Elmsleium removisse vidimus, altero et tertio nihil efficitur, quia in utroque alia menda librorum scripturam suspectam reddunt. Deinde Engerus in praefatione ad Lysistr. p. XXVI, postquam de eo genere anapaestorum, quod incisionem habet post primam syllabam, satis acute et diligenter egit, dactylum pro trochaeo integra voce comprehensum numerosum quidem non esse concedit, sed tamen satis multa et certa eius exstare exempla putat; atque affert profecto plus quam quinquaginta ex Aristophanis comoediis locos, in quibus id genus dactylos sibi deprehendisse videtur. Quae exempla si re vera ad dactylum quem in quaestionem vocavi pertinerent, opera supersederem in singulorum integritatem inquirendi. Sed affert vir doctus locos ex metrica ratione valde dispares, nec de his omnibus uno suffragio sententiam ferre debuit. Nam primum merito iam Hermannus in censura Lysistratae Engerianae, inserta Diariis antiq. stud. a. 1845 p. 617 sqq., Engerum castigat, quod aptis exemplis miscuerit anapaestos, quorum thesis cum arsi elisionis vinculo iuncta sit. His vero remotis ad dimidiam partem numerus exemplorum redigitur; atque si ex ceteris praeterea et illa sustuleris, quorum anapaestus a bisyllaba voce initium capit, et vero ea quorum aperte depravatam scripturam Engerus amplexus est, tam pauca idonea restabunt exempla, quae iam non temerarium sit in dubium vocare. Post Engerum pauca Blaydesius ad Acharn. v. 108 de illo genere anapaestorum adnotavit; et elisionis quidem exempla hic recte a ceteris seiungit, peccat vero, ut mihi quidem videtur, eo quod etiam interpunctione incisis anapaestis veniam concessit.

Sed finibus circumscriptus est dactylicorum vocabulorum pro trochaeo usus haud alienis a ratione earum condicionum, quibus alteram illam post primam brevium syllabarum factam incisionem vidimus obtemperare. Eadem igitur necessitas a tertio et quinto pede tales anapaestos prorsus segregat. Nubium v. 73

ἀλλ' οὐκ ἐπείθετο τοῖς ἐμοῖς οὐδὲν λόγοις

Ravennas aliique codices ἐπίθετο exhibent, quod iam Bentleio

placuit et a recentioribus editoribus plerisque restitutum est. Frustra quidem Reisigius in Coniect. ad Aristoph. p. 205 imperfectum tuetur ita verba interpretatus: 'quotiescumque filium exhortabar, numquam mihi aurem praebuit'. Neque enim minus commode aoristum defendi posse apparet, dummodo cum Kockio sic versum intellegamus, ut meram de universo paternarum hortationum eventu narrationem contineat; atque non nihil praesidi Ravennatis scripturae etiam proximi versus aoristus κατέχεεν addit, qui hau diversa temporis ratione cum ἐπίθετο coniunctus est. — Pacis versus 1195 ex Veneto codice olim sic editus est:

ἔπειτ' ἐπείσφερε τοὺς ἀμύλους καὶ τὰς κίχλας.

At Ravennas exhibet ἐπισφόρει, Florentinus ἐπεισφόρει: quare non dubito Dobraei scripturam ἐπιφόρει probare. — In Antiphanis fragm. apud Mein. III, 18 (2 v. 3)

μέλλει τε συνθείς σοι φέρειν
τὰ κινναμώμινα ταῦτα καὶ τὰ νάρδινα

aut κιννάμωμα cum Schweighaeusero scribendum est, aut κινναμώμινα in exitum trimetri transponendum velut hoc modo:

μέλλει φέρειν συνθεὶς τὰ κινναμώμινα
σοὶ ταῦτα καὶ τὰ νάρδινα.

Quinti pedis duo tantummodo per editiones feruntur exempla, alterum in Plut. v. 942:

καὶ ταῦτα πρὸς τὸ μέτωπον αὐτίκα δὴ μάλα —.

Sic libri quidem omnes. Sed verborum ordinem turbatum esse Meinekius in Vindic. Aristoph. p. 218 ostendit: Aristophanes enim coniunctim αὐτίκα μάλα nulla inserta particula constanter dixit. Quamobrem Meinekius quidem scribendum esse putavit πρὸς τὰ μέτωπα δῆτ' αὐτίκα μάλα. Sed malim paulo leniore mutatione versum in hunc modum constituere:

καὶ ταῦτα πρὸς τὸ μέτωπον αὐτίκα μάλα δή:

hoc enim accentu metrico αὐτίκα μάλα effertur in iambicis versibus Equit. v. 746. Pac. vv. 237. 367. Av. v. 202. Lysistr. vv. 739. 744. Ran. v. 785; atque etiam in trochaicis numeris, quos certissimum est alioqui positum in brevi finali vocis syllaba ictum usquequaque respuere*), Equit. v. 284: ἀποθανεῖσθον αὐτίκα μάλα.

*) Quod neglexerunt Porsonus, qui coniecit, et editores plurimi, qui receperunt Eccles. v. 1156: τοῖς γελῶσι δ' ἡδέως διὰ τὸ γελᾶν κρίνειν ἐμέ: ubi libri vitiosum dactylum ἡδέως διὰ τὸν γέλων praebent.

Alterum quinti pedis exemplum exstat in Dioclis fragm. apud Mein. II, 839 (2):

πῶς δὲ καὶ κεκραμένον
πίνειν τὸν οἶνον δεῖ με; — τέτταρα καὶ δύο.

Vbi libri exhibent μετὰ τέτταρα; quod si recte a Dobraeo et Meinekio in με; — τέτταρα conversum est, sane huius dactyli durities formula τέτταρα καὶ δύο, quae contexti vocabuli recitationem fere aequat, et interpunctione pleniore in quarta thesi paululum mitigatur. Sed tamen meus non deerit assensus, si quis probabili coniectura hunc quoque dactylum removerit.

Secundi et quarti pedis vix opus est redintegrare has condiciones, ut voces anapaestum formantes arte inter sese cohaereant et semiquinaria caesura satis insignis versum distinguat. Hac ratione defendi possunt Av. v. 1022. Eccles. v. 1027:

ἐπίσκοπος ἥκω δεῦρο τῷ κυάμῳ λαχών —.
ἀλλ' ἔμπορος εἶναι σκήψομαι. — κλάων γε σύ.

In Thesmoph. v. 637

κἄπειτ' ἀποδύσετ' ἐννέα παίδων μητέρα

pausa quidem elisione magnopere obscurata in penthemimeris sede intercedit, sed molliorem reddit anapaestum cum artissima numeralis adiectivi cum nomine coniunctio, tum exilitas syllabarum finalium ἐννέα vocis, quae ad monosyllabae pronuntiationis volubilitatem proxime accedunt. — Verum lenissima mutatione consuli potest Avium versui 1228

ἀκροατέον ὑμῖν ἐν μέρει τῶν κρειττόνων:

cui ἀκροατέ' ὑμῖν reddendum esse Blaydesius intellexit. Item eiusdem fabulae versui 1363

ἀλλ' οἵαπερ αὐτὸς ἔμαθον, ὅτε παῖς ἦ. σὺ γάρ:

in quo non dubito ὥσπερ adverbium reponere, cum superiore versu σοὶ — οὐ κακῶς ὑποθήσομαι Pithetaerus dixerit. — In Acharn. v. 107

εἰ προσδοκῶσι χρυσίον ἐκ τῶν βαρβάρων

χρυσὸν forma, quam Elmsleius reponendam esse vidit, ex Pseudartabae verbis v. 104 οὐ λῆψι χρῦσο commendationem habet, nec quominus eam recipiamus obstant legati verba in proximo versu: οὔκ, ἀλλ' ἀχάνας ὅδε γε χρυσίου λέγει. Nam χρυσίον plenior forma adhiberi solet, ubicumque de certa atque definita copia nummorum sermo est: quae significatio cum in legati verba cadat, a versu nobis proposito aliena est. Si cui vero Elmsleiana emendatio non satisfaciat, is poterit etiam cum Hermanno

in Diar. antiq. l. c. ἐκ praepositione deleta scribere χρυcίον τῶν βαρβάρων. — Eiusdem fabulae versum 1078

ἰὼ cτρατηγοὶ πλείονεc ἢ βελτίονεc

Elmsleius ex Euripidis Telepho sumptum esse suspicatur: quod quamquam non posse pro certo affirmari existimo, tamen quia in propatulo est verba ad tragicam gravitatem composita esse, anapaestus quarti pedis ferri nequit. Sed cum Reisigius in Coniect. ad Aristoph. p. 43 πλέονεc non minus quam ceteras huius comparativi formas masculinas simplici ε vocali scriptas a poetis scaenicis Atticorum abiudicaverit neque adhuc videam eius sententiam a quoquam refutatam esse, dubitari debet num recte Bentleius atque post eum Elmsleius et Hermannus l. c. πλέονεc scribi voluerint. — Altera labes metrica suspectum reddit Lysistratae versum 124, qui sic in codicibus scriptus est:

ἀφεκτέα τοίνυν ἡμῖν ἐcτι τοῦ πέουc.

Nam ἡμίν correpta ultima nullam apud Aristophanem auctoritatem habere Dindorfius in adnott. ed. Oxon. ad Av. v. 386 ostendit. Quamobrem editores plerique probarunt Bentlei transpositionem: ἀφεκτέα τοίνυν ἐcτὶν ἡμῖν τ. π.; in hac autem verborum collocatione praeter dactylum secundi pedis similitudo syllabarum finalium in τοίνυν ἐcτὶν ἡμῖν numeros exasperat. Engerus quidem in adnot. ἀφεκτέ' ἐcτὶ τοίνυν ἡμῖν τ. π. scribi iussit: sed fefellit eum τοίνυν particulae mensura, quam non meminit usquequaque apud comicos ultimam producere. Quocirca hac demum transpositione versum sanari existimo:

ἀφεκτέ' ἡμῖν ἐcτι τοίνυν τοῦ πέουc.

τοίνυν quidem particulam apte posuit Lysistrata ante τοῦ πέουc, ut augeret motam audientium exspectationem, priusquam hoc gravissimum nimirum nomen pronuntiaret. — Nullus vero anapaestus continetur hoc versu Avium 1237:

οἷc θυτέον αὐτούc, ἀλλὰ μὰ Δί' οὐ τῷ Διί.

Nam quod lexica quaedam θυτέον dactylum aequare affirmant, cum aliis poetarum exemplis refellitur tum Sophoclis Ai. v. 712, ubi πάνθυτα θέcμι' verbis respondent in stropha Νύcια Κνώcι' —.

In Cratini fragm. apud Mein. II, 164 (4 v. 2) μετ' ἐμοῦ διῆγεc, οἴναρον ἕλκων τῆc τρυγόc verba οἴναρον τῆc τρυγὸc nihili esse nemo non videt. — In Pherecratis fragm. ibid. II, 327 (Χειρ. v. 10) ἀπολώλεκέ μ' οὕτωc, ὥcτε τῆc ποιήcεωc videtur cum Meinekio scribendum esse ἀπολώλεχ' οὕτωc, pronomine με in octavum fragmenti versum transposito, cuius numeri aliquod

flagitant supplementum. — Xenarchi fragmentum ibid. III, 616 (1 v. 5) libri sic scriptum exhibent: ἀπώλεϲεν αὐτὴν καὶ κατεπόντωϲέν μ', ὁρᾷϲ. Ibi Canterus ingeniose ἀπώλεϲε ναύτην proposuit; qua coniectura usi anapaestum removere poterimus, si ἀπώλεϲεν ναῦν scripserimus.

Sed restant, quae satis certa esse videntur dactylorum pro trochaeis exempla haec: Pherecratis fragm. apud Mein. II, 281 (2 v. 2): Metagenis II, 753 (1 v. 6); Eubuli III, 263 (5 v. 2); Alexidis III, 500 (1 v. 3); Philemonis IV, 15 (Νε. v. 2); Ephippi III, 339 (inc. fab. 1); Anonymi IV, 658 (220):

οὐκ ἰϲχάδαϲ οἴϲειϲ; τῶν μελαινῶν; μανθάνειϲ;
ῥεῖ τευθίϲιν ὀπταῖϲ καὶ φάγροιϲ καὶ καράβοιϲ.
βεβρεγμένοϲ ἥκω καὶ κεκωθωνιϲμένοϲ.
προϲίετο πλεῖον τοῦ μετρίου, νυνὶ δὲ τὴν —.
ἣν εἴδομεν ἡμεῖϲ, τῷ Σελεύκῳ πάλιν ἔδει —.
* * φιλῶ γε Πράμνιον οἶνον Λέϲβιον.
μήθ' ἁλμυρὸν εἶναι μήτε μῶρον ἐϲ τὸ πᾶν.

Fortasse apud poetam infimae aetatis ferendus est talis versus, qui in sede semiquinariae caesurae pertenuem tantum incisionem inter articulum et nomen admittat: Batonis fragm. ibid. IV, 499 (1 v. 1):

τῶν φιλοϲόφων τοὺϲ ϲώφροναϲ ἐνταυθοῖ καλῶ.

Sed depravata sunt hau dubie dactylorum exempla in trimetris, qui nullam ante tertiam arsim caesuram adsciverunt. In Pluti v. 476

ὦ τύμπανα καὶ κύφωνεϲ οὐκ ἀρήξετε

scribi potest cum Bentleio τύμπαν', ὦ. — In Phrynichi fragm. apud Mein. II, 584 (5)

ἄγαμαι, Διονῦ, ϲοῦ ϲτόματοϲ ὡϲ ϲεϲέλλιϲαι
κεκομμένα πολλάκιϲ

corruptela latere in κεκομμένα videtur; Meinekius proposuit κεκόμπακαϲ πολλάκιϲ, Hermannus καὶ κωμικοὶ πολλάκιϲ. — In Alexidis denique versu ibid. III, 455 (2 v. 3)

τριχίδια καὶ ϲηπίδια καὶ φρυκτούϲ τιναϲ

ϲηπίδι' ἢ scribendum equidem puto.

Verum quod Blaydesius l. s. s. anapaestum ex interpunctione post ipsam alteram syllabam facta excusationem habere opinatur, de eo non magis ei assentiri possum quam Reisigio, quem similem sententiam, sed diligentius defensam, de anapaesto post primam syllabam diviso proposuisse vidimus. De cuius rei rationibus sat

multa diximus cap. I. Exempla vero talis interpunctionis in Aristophanis fabulis duo extant: Pac. v. 233. Av. v. 1226:

μέλλει. θορυβεῖ γοῦν ἔνδοθεν. — οἴμοι δείλαιος.
εἰ τῶν μὲν ἄλλων ἄρχομεν, ὑμεῖς δ' οἱ θεοί —.

In priore autem ἔνδοθεν solus Ravennas praebet, ceteri codices ἔνδον exhibent, quod quominus recipiamus nihil prorsus obstat; atque Hermanno quidem haec brevior forma tam esse firmata videbatur, ut, cur Engerus versum illum inter ceteros dactylum continentes attulisset, negaret se intellegere accusaretque Engerum erroris in numeris versuum exscribendis commissi. — Avium sane versus et librorum consensu dactylum praebet et ex sententiae grammaticaeque rationibus vituperari nequit.

At ceterorum comicorum exempla pleraque apertis vitiis laborant. Mutilus est hau dubie Amphidis versus apud Mein. III, 317 (1 v. 1):

ποδαπὸς εἶ φράσον. — Ἀκάνθιος. — εἶτα πρὸς θεῶν.

Ibi ποδαπὸς εἶ φράσον in fine praecedentis versus positum fuisse et inter φράσον et Ἀκάνθιος lacunam statuendam esse Meinekius suspicatur; sed videtur potius post Ἀκάνθιος aliquid intercidisse. — Solutio sexti pedis corruptelam manifestat in trimetro Eubuli apud Mein. III, 205 (Ἀμ. v. 9):

ἀκροκώλιόν τε γεννικόν, ὀπτὰ δελφάκια:

anapaestus autem in quarta sede etiam iccirco ferri non potest, quod locus tragicum colorem imitatur. — In Philemonis fragm. apud Mein. IV, 46 (33 v. 3)

σήσαμον, ἔλαιον, κρόμυον, ὄξος, σίλφιον

κρόμμυον formam Atticam duplici μ scriptam Meinekius restituit; sed debuit κρόμμυ' plurali numero reponere; nam singularis metri gratia ab eis librariis illatus est, qui posuerunt formam simplici μ consona scriptam; quamquam hoc genus interpunctionis utpote in nominum enumeratione adhibitum fere nullam vim habere supra diximus. — Anaxippi fragm. ibid. IV, 460 (Ἐγκ. v. 41):

ὅταν ἐγγὺς ᾖ δ' ὅδ' ὕστερος, ἀρτύω φακῆν.

Intellegi nequit quis sit ὅδ' ὕστερος: quae verba recte in ὁ σταυρὸς Dobraeus mutasse videtur. — In Mnesimachi fragm. ibid. III, 568 (Δυσκ. v. 5 sq.):

τοὺς μὲν ἰχθῦς μοι κάλει
ἰχθύδιον· ὄψον δ' ἂν λέγῃς ἕτερον, κάλει —

multo concinnior evadit enuntiati structura et sententia plurali

numero ἰχθύδι' recepto; quem Dobraeus quoque flagitabat. — Neque vero expedio versum Sotadis ibid. III, 586 ('Εγκ. v. 23):

ἰχθύδια, τούτων ἀποκνίσας τὰ κρανία —.

Hic igitur cum Avium versu restat ad defendendam in medio anapaesto interpunctionem. Quos versus nisi quis corrigendos esse mecum arbitratur, tamen non ita statuendum erit, ut interpunctio excusare dicatur dactylos pro trochaeis positos, sed potius numerorum durities liberaliter concedatur poetarumque singulari cuidam neglegentiae tribuatur. Qualis interpunctio si re vera non exasperasset sed mitigasset anapaestos in versibus iambicis, profecto non unum tantummodo exemplum in decem milibus trimetrorum Aristophanes nobis reliquisset. A neglegentia vero in versibus condendis quo magis abhorruisse huius poetae consuetudinem intelleximus, eo nos esse cautiores debebimus in pensitanda licentia, quam et ratio dissuadet et paucitas certorum exemplorum.

Caput IV.

Priusquam ad quartum anapaesti genus progrediar, pauca de elisione in medio anapaesto facta interponenda videntur. Iam supra uno verbo significavi Engeri iudicium in tractandis vocum polysyllabarum anapaestis post thesim incisis in eo falli, quod vocabulis elisione breviatis parem offensionem tribuit atque eis quae re vera in dactylum desinunt; illorum vero libertatem latius patere Hermannus in censura Lysistratae Engerianae intellexit. Cuius rei ratio plane perspicitur. Nam cum vocabula elisione coniuncta fortiorem inter se pausam vel vocis remissionem non patiantur, anapaestum necesse est includant ab eo ipso incommodo liberum, cuius caussa anapaestos syllabis finalibus integrorum vocabulorum discissos improbavimus. Nec non pari cum Graecis modo Latini poetae hanc licentiam elisioni concessam formandis anapaestis iambicorum vel dactylis trochaicorum versuum adsciverunt. Quorum scaenicos poetas cum certissimum sit non minus quam Graecos repudiasse et illud genus anapaestorum, in cuius priore syllaba*), et alterum illud, in

*) Vide Ritschelium praef. ad Mil. glor. p. XXII et Opusc. philol. vol. II p. 684 sq. coll. p. 399. 691.

cuius altera syllaba*) vocabulum plurium syllabarum terminatur, tamen apud eosdem haud raro reperies huiusmodi senarios vel septenarios:

Primúm mihi Plautus nómen Lux*uriae in*didit.
Scitum út ego opinor cón*silium in*vení. — Quid est?
Pérnovi equidem Lésbonice ingénium tuom in*genuom ád*modum.
Méa opera hinc protérritum te meáque av*aritia aút*ument.

Qualem elisionem etiam post primam anapaesti syllabam illos sibi permisisse suspicor dumtaxat; exempla quidem nunc non in promptu sunt. At simili rationi elisionis admittendae dactylici Latinorum poetae obtemperarunt: qui etsi tantam continentiam in ponendo anapaesto vicario praestiterunt, ut ne a monosyllaba quidem vel bisyllaba voce hunc pedem ordirentur, sed semper praeter principem pedem integro vocabulo eum complecterentur, tamen non vitarunt velut hos versus:

Inferna tetigit, posset ut *supera as*sequi.
Ac templa summi vidua de*serui ae*theris**).

Ad Graecos ut redeam, elisio polysyllabae vocis longe creberrime in thesi anapaestica secundi et quarti pedis admittitur, velut Av. v. 1638. Ran. 118:

ὦ δαιμόνι' ἀνθρώπων Πόσειδον, ποῖ φέρει;
ὅπη τάχιστ' ἀφιξόμεθ' εἰς ᾅδου κάτω.

Talia sunt in secundo pede: ὦ δαιμόνι' ἀνδρῶν Ran. vv. 835. 1226. Eccles. vv. 564. 784. Eupolidis fragm. apud Mein. II, 554 (15); κινυρόμεθ' ἄλλως Eq. v. 11; ὀρχίπεδ' ἕλκειν Av. v. 443; κλεινότατ' ὦ Av. v. 1272; ἱδρυσόμεθ' οὖν Plut. v. 1191; cf. Pac. v. 705. Av. v. 1222. Lys. v. 45. Aristophanis fragm. apud Mein. II, 1043 (30). Platonis ibid. II, 676 (3 v. 1). Athenionis ibid. IV, 558 (Σαμ. v. 40). In quarto pede haec habes: κοὐδέποτ' ἐν Vesp. v. 969; τἀκβάταν' ἢ Acharn. v. 613; cf. Pac. vv. 226. 685. Av. v. 170. Lysistr. vv. 2. 156. 165. 450. Thesmoph. vv. 472. 926. Ran. v. 172. Alcaei fragm. apud Mein. II, 832 (2). Epicratis ibid. III, 366 (1 v. 21).

Modestior elisionis usus post primam anapaesti syllabam est, quippe quod voces in dactylum exeuntes pluribus aliis modis ver-

*) Cf. Hermannum Epit. doctr. m. § 154, Lachmannum ad Lucr. II, 917, Fleckeisenum in suis Annalibus a. 1867 p. 625, Ritschelium Opusc. philol. vol. II p. 567 sq. 683. coll. p. 420 sq. 603.

**) In his, quae de dactylicis memoravi, auctore utor Luciano Muellero 'de re metrica Latin.' p. 151 sq.

sui iambico aptare licuit, quam illas voces quae desinunt in paeanes primos. Sed sunt talis elisionis exempla in secunda et quarta sede: Nub. v. 70. Thesmoph. v. 609. Av. v. 1026. Ran. v. 1407. Pherecratis fragm. apud Mein. II, 291 (10). Aristoph. Thesmoph. v. 647. Ran. v. 159:

ὥςπερ Μεγακλέης ξυςτίδ᾽ ἔχων. ἐγὼ δ᾽ ἔφην --.
ἔχουςα. — τιτθὴ νὴ Δί᾽ ἐμή. — διοίχομαι.
μὴ πράγματ᾽ ἔχειν, ἀλλ᾽ ἀπιέναι; — νὴ τοὺς θεούς.
καὶ μήκετ᾽ ἔμοιγε κατ᾽ ἔπος, ἀλλ᾽ ἐς τὸν σταθμόν —.
ὦ δέςποτ᾽ Ἀγυιεῦ ταῦτα νῦν μέμνηςό μοι.
ἰςθμόν τιν᾽ ἔχεις ὤνθρωπ᾽· ἄνω τε καὶ κάτω —.
νὴ τὸν Δί᾽ ἐγὼ γοῦν ὄνος ἄγων μυςτήρια.

Itaque non recte Reisigius in Diar. Ien. l. s. s. et Hermannus in praef. ad Epit. p. XI priores duos versus eam maxime ob caussam defendunt, quod in utroque post quartam arsim gravius interpungatur: qua interpunctione non negandum est anapaestorum duritiam nonnihil imminui: attamen validius praesidium ut e licentia elisis vocabulis concessa repetamus, persuadet ceterorum quos attuli versuum similis condicio. Quare cum tertium exemplum ad defendendam Reisigi Hermannique opinionem afferri non potuerit, reiciendum est quod illi contendunt, factam in quarta arsi interpunctionem satis veniae inciso quarti pedis anapaesto parare.

Ceterum allatis huius elisionis exemplis addendum esse arbitror Ranarum versum 754

ὦ Φοῖβ᾽ Ἄπολλον, ἔμβαλ᾽ ἐμοὶ τὴν δεξιάν,

in quo vulgo scribitur ἔμβαλέ μοι; et fortasse etiam Lysistratae versum 746

ἀλλ᾽ οἴκαδ᾽ ἔμ᾽ ὡς τὴν μαῖαν, ὦ Λυςιςτράτη,

in quo libri exhibent vitiosum dactylum οἴκαδέ μ᾽ ὡς: quamquam is etiam sic corrigi potest, ut με pronomen in extremum versum transponatur:

ἀλλ᾽ οἴκαδ᾽ ὡς τὴν μαῖαν, ὦ Λυςιςτράτη, μ᾽
ἀπόπεμψον —:

similiter atque factum est Ran. v. 298. Eccles. v. 351. Av. v. 1716.

Atqui elisio etiam tertii et quinti pedis anapaestos intravit. Et tertii quidem in hisce versibus: Nub. vv. 3. 630. 749. Plut. v. 1085. Alexidis fragm. apud Mein. III, 480 (2 v. 3). Philemonis ibid. IV, 19 (2 v. 3); Aristoph. Nub. v. 818:

ἀπέραντον. οὐδέποθ' ἡμέρα γενήσεται;
ὅστις σκαλαθυρμάτι' ἄττα μικρὰ μανθάνων —.
γυναῖκα φαρμακίδ' εἰ πριάμενος Θετταλήν —.
πίνειν, συνεκποτέ' ἐστί σοι καὶ τὴν τρύγα.
οὕτω τι τἀλλότρι' ἐσθίειν ἐστὶ γλυκύ.
τρί' ἡμιωβόλι' ἐστί· χαλκοῦ θερμὸν ἦν.
ἰδού γ' ἰδοὺ, Δί' Ὀλύμπιον· τῆς μωρίας.

Hos tamen versus non opinor sic pronuntiatos esse, ut semiquinaria caesura ullo modo in eis audiretur; immo in secundo, quarto, sexto semiseptenaria obtinuisse videtur; primum vero, tertium, quintum in terna potius cola pronuntiatione divisos esse puto; nam in extremo eminere stichicam caesuram post alterum iambum manifestum est.

Propinquam rationem in condendis tertii pedis anapaestis scaenici Latini amplexi sunt; qui cum nullo pacto tulissent velut hunc versum [etiamsi suapte natura *perdidit* aequare dactylum posset]:

Eum qui hábuit per*didit*, *áli*um post fecit novom:

veniam concesserunt tali:

Et ille aédis man*cupio ábs* te accepit. Ádmodum*).

Quinti pedis anapaestos elisione divisos notavi Pac. v. 31. Av. 956. Nub. 238:

ἔρειδε, μὴ παύσαιο μηδέποτ' ἐσθίων —.
τουτὶ μὰ Δί' ἐγὼ τὸ κακὸν οὐδέποτ' ἤλπισα —.
ἵνα με διδάξῃς ὧνπερ οὕνεκ' ἐλήλυθα.

Quamquam in tertio versu ἕνεκ' scribi posse apparet.

Sed in secundo et quarto pede usque eo licentia elisionis progressa est, ut etiam fortiorem interpunctionem in medio anapaesto pateretur. Sic Nub. vv. 849. 66. Eccles. vv. 1011. 1075. Pac. v. 195:

ἀλεκτρυόν'. — ἄμφω ταὐτό; καταγέλαστος εἶ.
τέως μὲν οὖν ἐκρινόμεθ'· εἶτα τῷ χρόνῳ —.
κοὐκ ἂν πιθοίμην οὐδέποτ'. — ἀλλὰ νὴ Δία —.
ὡς οὐκ ἀφήσω σ' οὐδέποτ'. — οὐδὲ μὴν ἐγώ.
ἴθι νυν κάλεσόν μοι τὸν Δί'. — ἰὴ ἰὴ ἰή.

Cf. Vesp. v. 998. Av. v. 1272. Lysistr. vv. 2. 45. Antiphanis fragm. apud Mein. III, 101 (5 v. 3). Equit. v. 230. Acharn. v. 165. Pac. vv. 113. 445. Lysistr. v. 987. Antiphanis fragm. apud Mein. III, 100 (2 v. 2). Pac. v. 930. Eccles. v. 551.

*) Cf. Ritschelium Proleg. ad Plaut. p. CCLXXXVI sq.

Verum nusquam in tertium aut quintum pedem interpunctio admissa est; quare inauditus fuit Graecis talis versus qualis fertur in Plauti Bacch. v. 605 (coll. 596):

Vale déntifran*gibule*. *Ét* tu integumentúm vale.

Vbi tamen *dentifragibule* genuinam formam a Bergkio restitutam esse Ritschelius me monet. Alterum talis elisionis exemplum praesto non est.

Caput V.

Quartum incisi anapaesti genus, quod efficitur vocabulo bisyllabo in thesi anapaestica posito, totum pendet e tertii generis ratione, si illud vocabulum e numero encliticorum est. Quare cum vocibus dactylicis vel in dactylum exeuntibus communem habent offensionem encliticae in hisce quattuor versibus: Ran. v. 170. Vesp. v. 947. Menandri Sent. sing. apud Mein. IV, 350 (v. 361). Timoclis fragm. ibid. III, 610 (Πυ. v. 2):

καὶ γάρ τινες ἐκφέρουϲι τουτονὶ νεκρόν.
ὅπερ ποτὲ φεύγων ἔπαθε καὶ Θουκυδίδηϲ.
μηδέν ποτε κοινοῦ τῇ γυναικὶ χρήϲιμον.
τούτων τινάϲ, οἳ δειπνοῦϲιν ἐϲφυδωμένοι —.

Sed in primo versu Ravennas aliique codices τινεϲ φέρουϲι exhibent, quod ex genuina τιν' ἐκφέρουϲι scriptura corruptum esse verissime Elmsleius perspexit. Vesparum autem versui et sententiae Menandri aliquid lenimenti penthemimeres caesura affert. Verum in quarto versu gravior pausa enuntiati in ipsam encliticam incidens molestiam numerorum adeo auget, ut nesciam an ne mediae quidem comoediae poetae talis forma tribuenda sit.

Ἄρα particulam, cuius indoles ad encliticarum naturam prope accedit, semel librarii in anapaesticam thesim quartae tetrametri sedis immiserunt, Nub. v. 1359: οὐ γὰρ τότ' εὐθὺϲ χρῆν ϲ' ἄρα τύπτεϲθαί τε καὶ πατεῖϲθαι.

Commodam vero anapaesti formam ordiuntur primum praepositiones bisyllabae ἀνά ἀπό διά ἐπί κατά μετά παρά περί ὑπό ἐνί, velut in formis περὶ εἰρήνηϲ, παρὰ τήν, ὑπὸ τῶν vel similibus Acharn. vv. 8. 39. 60. 72. 164. 195. 262. 350. 378. 439. 499. 581. 584. 824. 864. 866. 1001. 1076. 1177; in tetrametro Equit. vv. 352. 415. 416. 433; semel certe in systemate iambico μετὰ Cωκράτουϲ Nub. v. 1451. Secundo recte in thesi anapaesti locum

habent ὅτε ὅτι ἵνα coniunctiones, ut ὅτε δή, ἵνα μή, ὅτι οὐχί Acharn. vv. 10. 16. 112. 516. 535. 1052. Equit. vv. 14. 101. 183. 205. 632. 649. 742. 1029. 1074. 1160; in tetrametro Ran. v. 922. — Tertio sic ponuntur φέρε λαβέ ἔχε ἄγε ἴθι vel similes imperativi, potissimum in formulis quales sunt λαβὲ δή, φέρε δή et similibus: Acharn. vv. 98. 103. 111. 584. 831. 1007. 1058. 1061. 1067. 1120. — Quarto τίς pronominis interrogativi formae bisyllabae accedunt, ut τίνα δ' αὖ, τίνες οἱ Acharn. v. 1084. Equit. v. 728. Pac. vv. 104. 203. — Paulo rarius anapaesti initium fit ab ὅσα ὅθεν ὅπερ πόθεν ὅταν, ut Acharn. v. 1. Equit. v. 140. Nub. v. 1198. Vesp. v. 1145. Pac. vv. 21. 521. 723; ab ἅμα ἀτάρ ἔτι πάλιν πάνυ πολύ ταχύ τότε Acharn. v. 782, Equit. v. 173. Nub. vv. 647. 681. 1144. 1220. Vesp. vv. 795. 906. 1165. Pac. vv. 177. 679; ab ἐμέ ἐμόν Nub. v. 29. Thesmoph. v. 1172. Singularia exstant apud Aristophanem haec: μίαν εὗρον Nub. v. 76; ἅλας οὖν Acharn. v. 760; δύο τώδε Equit. v. 133; τρία καί ibid. v. 1187; χάριν οὐδεμίαν Lysistr. v. 869; μία μέν Ran. v. 121; καλά γ' ἂν Eccles. v. 89; μόνον οὐ ibid. v. 538; ἑνὶ γάρ ibid. v. 1096; κακὸν ἐργάσασθαι Plut. v. 465. — Sed bisyllabae omnes praeter praepositiones, nisi excipiunt aliquam interpunctionem, in medio versu anapaestum ordiri non solent. Cuius legis in trimetris Aristophanis inter centenos anapaestos illos a bisyllabis incipientes perrarae exstant exceptiones: in secundo pede φέρε δῶ Pac. v. 969; τότε γ' ἔλθῃς Av. v. 134 [ubi Suidas ποτ' ἔλθῃς recte ut videtur]; πάνυ τοὔργον Ran. v. 563; καλά γ' ἂν Eccles. 89 [κάλ' ἂν?]; πόθεν ἥκεις ibid. v. 376; πάνυ πολλά Plut. v. 389; in tertio τίνες εἰσίν Ran. v. 158; in quarto ὅδε μέν Thesmoph. v. 922; in quinto τρία καί Equit. v. 1187; τίνος οὕνεκα Pac. v. 203 [ἕνεκα?]; θένε τήν Av. v. 54; πάλιν οἴκαδε Av. v. 449. Thesmoph. v. 283. In talibus quae ferenda, quae improbanda sint, ex unius cuiusque loci condicione iudicandum est, nec nihil eo in genere aurium iudicio tribuendum. Sic, ut exempli gratia duos versus apponam, in quinto pede, quamvis hic severioribus legibus astrictus sit, non valde offendit talis anapaestus Equit. v. 1187

ἔχε καὶ πιεῖν κεκραμένον τρία καὶ δύο:

cum in quarto pede ferri nequeat hic Lysistr. v. 20

ἀλλ' οὐκ ἐκείνων ἦν τάδε προυργιαίτερα.

Etenim in illo versu formulae continuatio postulat, ut τρία vox accelerata pronuntiatione cum proximis verbis coniungatur; in

hoc autem ἦν τάδε voces integri vocabuli dactylici molestiam aequantes rhythmum debilitant. — Neque vero iure quisquam mirabitur, quod singularis licentia iurisiurandi formulis tam frequentibus apud comicos concessa fuit. Quamquam parcius in prioribus aetate fabulis quam in posterioribus Aristophanes his formulis anapaestos inclusit. Sic in secundo et quarto pede νὴ τὸν Δία δεῖ, νὴ τὸν Δία τὸν cωτῆρα vel simil. Thesmoph. vv. 206. 640. Ran. vv. 41. 285. 288. 738. 863. 1433. Eccles. vv. 79. 762. 872. 1045. 1103. Plut. vv. 877. 1186, atque cum interpunctione νὴ Δία, πλήν γ' ὅτι κάομαι Thesmoph. v. 240; ἡμᾶc μόνον δεῖ νὴ Δία· καὶ γὰρ οἱ θεοί Eccles. v. 779; in quinto pede καὶ χαῖρε πόλλ' ὦδελφέ. νὴ Δία καὶ cύ γε Ran. v. 164; in tertio οὔτοι μὰ τὸν Δία τὸν μέγαν καὶ τοὺc θεούc Nub. v. 1239, et cum leni interpunctione οὐχ ἡδύ. — νὴ Δία, πλήν γε περὶ τῷ δέρματι Equit. v. 27. Quorum in plerisque versibus quomodo scripturam νὴ Δί Dindorfius defendat*), legas apud ipsum in adnot. ed. Oxon. ad Equit. v. 319.

Ceterum interpunctionem post thesim anapaesti nonnumquam comici in principem pedem admiserunt: Vesp. v. 816. Pac. vv. 926. 930. Av. v. 22. Alexidis fragm. apud Mein. III, 485 (4 v. 7). Menandri ibid. IV, 241 (24 v. 3):

ἵνα γ', ἦν καθεύδῃc ἀπολογουμένου τινόc —.
βοῖ; μηδαμῶc, ἵνα μὴ βοηθεῖν ποι δέοι.
οἴ; — ναὶ μὰ Δί'. — ἀλλὰ τοῦτό γ' ἔcτ' ἰωνικόν —.
ὁδόc. — οὐδὲ μὰ Δί' ἐνταῦθά γ' ἀτραπὸc οὐδαμοῦ.
χάριc· ἀλλ' ἐπὰν δὴ τὸν γόητα Θεόδοτον —.
πάτερ, οὗ περιττὸν οἴετ' ἐξευρηκέναι —.

Sed in reliquis pedibus nullo modo talis interpunctio ferri potest. Nubium versu 664 tralaticiam scripturam

Cτρ. πῶc δή; φέρε. — Cω. πῶc; ἀλεκτρυὼν κἀλεκτρυών

manifestum est legibus grammaticis repugnare. Quare Hermannus versum ita constituit, ut personarum distributione servata φέρ'. ὅπωc scriberet. Quem anapaestum etsi ab elisione aliquam excusationem habere vidimus, elegantiores tamen numeros poetae reddes, si φέρ' ὅπωc verba integra tribueris Socrati.

Nec recte Ranarum versus 483 sic vulgo inter Xanthiam et Bacchum distribuitur:

Ξ. ἰδοὺ λαβέ. — Δ. προcθοῦ. — Ξ. ποῦ 'cτιν; ὦ χρυcοῖ θεοί:

*) [idque non profecto praeter rationem. F. R.]

Nam primum προcθοῦ cum significet 'admove tibi', necesse est Xanthiae tribuatur. Alioqui si idem ποῦ 'cτιν quaerit, non facile quo quaestio pertineat intellegitur; nam vix poterit ἡ καρδία subiectum, quod editores voluerunt, subaudiri. Quare haud dubie recte Hermannus sic verba singulis personis adsignavit:

Ξ. ἰδοὺ λαβὲ, προcθοῦ. — Δ. ποῦ 'cτιν; — Ξ. ὦ χρυcοῖ θεοί.

Bacchus timore occaecatus cum non statim spongiam a Xanthia oblatam animadvertat, ubinam sit interrogat; deinde celeriter arripiens ipse ano eam admovet. Qua in distributione verborum 'commatis' nota inter λαβέ et προcθοῦ posita iam non magis offendit, quam cum supra copulatos imperativos probavimus in versibus Thesmoph. 1184 κάτηcο, κάτηcο· κτλ. et Ran. 1393 μεθεῖτε, μεθεῖτε κτλ. Neque dissimili de caussa probandus est versus in Aristophanis fragm. apud Mein. II, 1019 (9 v. 2) ἐλᾶν ἀνεκὰc, λέγε, χαῖρε φέγγοc ἡλίου: nam fere nulla pausa histrioni eum versum recitanti observanda fuit inter λέγε imperativum et verba quae dicere machinatorem iussit. Atque cum illa 'commatis' nota cui in nominum enumeratione locus esse solet, similem excusationem admittat, non magis offendemus in versu Dionysi apud Mein. III, 548 (Θεcμ. v. 19): cυνιδεῖν τόπον, ὥραν, τὸν καλοῦντα, τὸν πάλιν.

Versum Eccles. 1005 μὴ cκῶπτέ μ', ὦ τάλαν, ἀλλ' ἕπου δεῦρ' ὡc ἐμέ Bentleius correxit scribens ὦ τᾶν. — In Philemonis fragm. apud Mein. IV, 35 (6 v. 3) ὥcπερ ἐν ἀγρῷ θύμοc· ἐκ δὲ τοῦ λέγειν τε καὶ cum Meinekio θύμ' scribendum est. — In Alexidis fr. ibid. III, 464 (2 v. 15): ἔχει κακὸν, εἰ τύφουcαν· — ἀπολεῖ μ' οὑτοcί, fortasse poeta cum interrogatione ἔχει κάπνην τύφουcαν; scripsit. Quod si cui non placeat, poterit simpliciorem mutationem κάκ' εἰ probare.

Restant duo Aristophanis versus Thesmoph. 219. Lysistr. 731:

χρῆcόν τι νῦν ἡμῖν ξυρόν. — αὐτὸc λάμβανε,
οὐκ εἶ πάλιν, — ἀλλ' ἥξω ταχέωc νὴ τὼ θεώ.

Quos versus ut in sanorum numero haberem, nunquam a me impetravi; tam enim fracti et impediti eorum numeri procedunt, ut Aristophanis in versibus condendis elegantia prorsus indigni videantur. Sensit numerorum insolentiam etiam Fritzschius, qui de Thesmophoriazuson versu his verbis iudicat: 'quum trimeter Comicorum vitam ac familiaris sermonis neglegentiam imitari debeat, nemo iure mirabitur, quod aliquando vel Aristophani versus parum numerosus excidit. Id accidisse puto Thesmoph. v. 219.

Nemo enim primum non opinabitur ante novam personam in fine quarti pedis quippe iambi sibi subsistendum esse, sed protinus animadvertet, se egregie deceptum'. Et haec quidem ille scripsit in disputatione de trimetro comico sua; cum vero Thesmophoriazuson fabulam ipse ederet, talis neglegentiae comprobationem procul habens versui hac transpositione medendum esse censuit: χρῆcόν τι νῦν ξυρὸν ἧμιν. — αὐτὸc λάμβανε. Sed cum ἧμιν trochaeum aequans ab Aristophanis consuetudine abhorreat, nec ξυρὸν ἧμιν in tertio pede elegantem anapaestum efficiant, malo equidem versum in hunc modum redintegrari:

ξυρόν τι νῦν μοι χρῆcον. — αὐτὸc λάμβανε.

Lysistratae autem versus sic scribi potest:

οὐκ εἶ cὺ πάλιν. — ἥξω ταχέωc νὴ τὼ θεώ.

In tetrametro denique iambico Equit. v. 421 ὦ δεξιώτατον κρέαc, ὡc coφῶc γε προὐνοήcω Bentleio assentiendum videtur ὡc particulam delenti.

Ceterum voces bisyllabae, quaecumque integrae anapaestos commode ordiuntur, etiam elisione mutilae saepe sic collocantur, velut φέρ' ἴδω, ἵν' ἔτνοc, δι' ὑδρορρόαc Acharn. vv. 4. 216. 922. Equit. vv. 494. 953. 959. 1002. 1190. 1191. 1214. 1405. 1408. Item in tetrametri primo pede ὑπ' ἀλαζονείαc Ran. v. 919.

Trisyllabarum eae, quae tribrachum aequant, ultima elisa frequenter in thesi anapaestica primi, secundi, quarti pedis collocantur, velut ὁπότ' οὔcηc, πάριτ' εἰc, πάτερ' ἠντιβόλει et similia Acharn. vv. 19. 43. 147. 1063. 1177. Equit. vv. 98. 152. 211, al.; in quinto pede huius elisionis nullum, in tertio duo exempla repperi apud Aristophanem, alterum in Acharn. v. 412 ἀτὰρ τί τὰ ῥάκι' ἐκ τραγῳδίαc ἔχειc; alterum vero cum interpunctione in syllaba elisa in Pac. v. 185:

τί coί ποτ' ἔcτ' ὄνομ'; οὐκ ἐρεῖc; — μιαρώτατοc.

In quo certissimum est recte Bentleium reposuisse τί ποτ' ἐcτὶ τοὔνομ'. Sed in primi, secundi, quarti pedis anapaesto pausam sententiae non respuit vocabulum elisione mutilum: in primo pede πάριθ', ὡc Acharn. v. 44; ἀγάθ'· ἀλλ' Equit. v. 98; ἄπιθ'· οὐ γὰρ ib. v. 1205; in secundo δέδιθ'· οὐ γὰρ Equit. v. 230; καπύρ'· — ἀcτεῖόν γε Antiphanis fragm. apud Mein. III, 100 (2 v. 2); in quarto cκόροδ'; — ὦ Acharn. v. 165; cκόροδ' ὑμὲc ib. v. 761 [Mein.: cκόροδ' ἀμέc;]; φράcεθ'· — ἡ Pac. v. 1054; χλαμύδ'; ἡ Lysistr. v. 987.

In tetrametri iambici primo pede exstat ὁπόθ' ἡ Ran. v. 920.

Perpauca restant de anapaesto tripartito, quae mentione digna videantur. Omnia enim huius generis exempla, quorum prior incisio vel aperte falsa vel suspecta fuit, iam supra capite primo et secundo absolvimus. Altera vero vocula monosyllaba utrum artius cum proximis in versu verbis an cum praecedenti monosyllaba cohaereat, nihil prorsus referre videtur. Ad proxima spectat velut in hisce formis: τίς ὁ φαίνων, τί τὸν ὄρνιν, ὅθ' ὁ δοῦλος, ὁ μετ' ὀρνίθων βίος, τὰ παρ' ὑμῶν Acharn. vv. 401. 824. Vesp. v. 815. Av. vv. 155. 1021. 1171; cum antecedenti autem monosyllaba voce artius nexa est in talibus: ὅ τι ἔστ', τί δέ σοι, τὸ μὲν ἐν, σὺ δὲ νή, τί ποθ' ἡμᾶς, ὁ δ' ἄρ' ἔνδον Acharn. v. 900. Equit. vv. 53. 76. 97. 183. 626. 664. 1022. 1198. — Interpunctionem ante huius generis anapaestos in medio versu ter Aristophanes neglexit ante τί pronomen interrogativum: ἀτὰρ τί τὸ πρᾶγμ' ἦν Eccles. v. 394; ἀτὰρ τί τὸν ὄρνιν Vesp. v. 815; ἀτὰρ τί ποτ' ἐς Nub. v. 187: cf. supra dicta p. 262. Quod etiam saepius fecit in iurandi formulis μὰ Δί' ἀλλ', μὰ Δί' οὐκ vel similibus in secundo aut quarto pede: Acharn. vv. 88. 461. 966. Nub. v. 694. Vesp. vv. 193. 205. 1496. Lysistr. v. 55. Thesmoph. v. 235. Ran. vv. 493. 650. 749. Eccles. v, 556. Plut. v. 704. Cf. Eurip. Cycl. vv. 154. 558. 560. Item in tetrametri quarta sede Ran. v. 937. — Sed gravior interpunctio intercedit in medio anapaesto Pac. v. 930 et Eccles. v. 551:

ὀΐ; — ναὶ μὰ Δί'. — ἀλλὰ τοῦτό γ' ἔστ' ἰωνικὸν —.
ἀτὰρ γεγένηται; — ναὶ μὰ Δί'· οὐκ ᾔδησθά με.

Quorum versuum uterque elisionis excusationem admittit. — Magis singularis tripartiti anapaesti forma exstat in tetrametri secundo pede Thesmoph. v. 558: ὥς τ' αὖ τὰ κρέ' ἐξ ἀπατουρίων κτλ.

Iam ut summam dissertationis paucis complectar, hisce potissimum finibus usum incisi anapaesti in trimetro comico Graecorum circumscriptum esse vidimus:

I. Vox plurium syllabarum post primam vel secundam anapaesti syllabam terminari nequit in tertio aut quinto trimetri pede; terminatur nonnumquam in secundo et quarto eis condicionibus, ut ipsa cum voce proxima arte cohaereat atque ante tertiam versus arsim gravius expressa caesura locum habeat.

II. Monosyllabarum vel bisyllabarum vocum encliticae atque μέν δέ γάρ ἄν ἄρα particulae anapaestum ordiri nequeunt nisi in secundo et quarto pede eisdem condicionibus quibus syllabae finales vocabulorum plurium syllabarum. Ceterae voces monosyllabae vel bisyllabae sat commode in thesim anapaesticam intrant, sed praeter articuli formas, praepositiones atque iurandi formulas in medio versu omnes hac fere constanti condicione, ut excipiant aliquam interpunctionem.

III. Fortior sententiae pausa vel interpunctio post primam aut secundam anapaesti syllabam incidere non potest, praeterquam in principe pede.

IV. Elisio vel disyllabae vel hyperdisyllabae vocis post primam vel secundam anapaesti syllabam offensione caret in pedibus omnibus; attamen interpunctionem tantummodo in primo, secundo, quarto pede admittit, non patitur in tertio vel quinto.

Index locorum tractatorum

OBSERVATIONES CRITICAE

IN

DIONYSII HALICARNASSENSIS ANTIQUITATES ROMANAS

SCRIPSIT

CAROLUS IACOBY

MEMELENSIS

Dionysii Halicarnassensis Antiquitatibus Romanis emendandis si quis operam navaturus est, is nunc demum etiam tomo IV editionis Kiesslingianae superiore anno in lucem emisso editionem in manibus habet, quae arti criticae nostrorum temporum conveniat. Itaque non est cur miremur, quod nunc paulo acrius studia Dionysiana multos ante annos a Friderico Ritschelio resuscitata coluntur, quamquam ne nunc quidem numerus eorum, qui in Dionysii scriptis versantur, dignitati, quae ei scriptori tribuenda videtur, par est. Atque cum ei, qui Antiquitatibus operam antea dabant, id potissimum sequerentur, ut corruptos locos quibus libri scatent ingenio suo emendarent, nostra aetate primum Kiesslingius ipse et in adnotatione critica editionis suae et in programmate Basiliensi anni 1868, tum Grasbergerus in dissertatione ad conventum vicesimum sextum philologorum Germanorum salutandum edita eodem anno atque in tomo XXVIII Philologi (anni 1869) p. 344 et 546 Dionysii usum dicendi observare coeperunt neque paulum in proprietate sermonis restituenda profecerunt.

Mihi autem accuratius in hunc usum inquirenti nonnulla, priusquam ad rem ipsam aggrediar, praefanda esse videntur, ne quis forte modum ac rationem meam tractandi Dionysii vitio mihi vertat. Tradita enim sunt nobis, ut notum est, praeter Antiquitates etiam rhetorica quae dicuntur scripta Dionysii, quae itidem quaestioni meae adhibere non placuit. Et hoc quidem, ut puto, meo iure. Nam primum nemo negare potest alia scribendi ratione historicum multis in rebus uti; tum, quod est gravissimum, horum Dionysii scriptorum exemplaria non exstant, quae certum de usu dicendi iudicium admittant. Quin ne Kiesslingii quidem Antiquitatum editionem satis esse ad accuratam usus dicendi quaestionem instituendam saepius videbimus, cum adnotationi criticae nimis angustum spatium in his exemplaribus Teubnerianis detur. Atque sic factum est, ut observationes meae criticae,

siculi res ipsa coegit, plerumque id impugnent, quod Kiesslingius in editionem suam recepit, praesertim cum equidem viam atque rationem, quam ille in libris Antiquitatum edendis tenuit, non possim omni ex parte probare. Dico autem eam rationem, de qua in praefatione tomi I p. VII nos certiores facit his verbis usus: 'Atque cum id praecipue sectarer ut tandem qualem libri optimi exhiberent Dionysium patefacerem itaque eis qui nunc in Dionysio operam suam collocaturi essent certius substruerem fundamentum, codicum fidem secutus inconstantiae cuiusdam vitium effugere saepe nec potui nec volui. Quod vel maxime cadit in omne genus orthographicum, cum in scriptore aetatis recentioris, praesertim in re per se tam dubia atque incerta, eorum qui nuper Cobeti aliorumque vestigiis insistentes omnia ad unam eandemque regulam revocarunt exemplum sequi noluerim.' Nam etiamsi tantum abest, ut cum Cobeto aliisque omnia ad unam eandemque regulam revocare velim, ut saepius Cobeti emendationes reiecturus sim, tamen magnus locorum numerus exstat, quorum scriptura, qualis in codicibus traditur, cum abhorreat ab usu vel omnium scriptorum Graecorum communi vel Dionysii proprio, corrigenda est. Nec Kiesslingius ipse semper sibi constitit, cum in tomis posterioribus editionis suae saepius mutari iubeat, quae contra usum Dionysii dicta esse videantur. Inspicias velim tomum alterum, ubi p. IV recte de ἀπεχθάνομαι et ἀπέχθομαι verbis, de πᾶς et ἅπας vocabulis agitur; item p. VII rectissime in verbis ἐντὸς τοῦ τείχους, quae Chisianus codex praebet, τοῦ articulus deletur; vel p. XIX pro ἐν ἀσφαλείᾳ merito ἐν ἀσφαλεῖ scribitur et in textum recipitur, et quae sunt similia. Complures autem huiusmodi correctiones, quibus usus loquendi restituitur, Kiesslingius in eo programmate quod supra commemoravi proposuit earumque plurimas prorsus probabiles.

Multum Ritschelius, Ambroschius, Sintenis, Sauppius de Dionysii Halicarnassensis codicibus eorumque auctoritate in diversas partes disputarunt, non consentientes inter se nisi in eo, quod in aestimanda Chisiani atque Urbinatis, ut optimorum codicum, mutua ratione cardinem rei verti intellexerunt omnes. Tum Kiesslingius quoque in praefatione tomi I p. VI de codicum Dionysianorum ratione disseruit, sed valde mirum in modum. Exstant enim eo quem attuli loco haec eius verba: 'Cum autem Chisiani libri antiquissimi auctoritas apud Ritschelium Ambrosiumque tantum valuerit ut ad eius praecipue fidem scriptoris verba exigi

posse existimarent, mihi res longe aliter sese habere videtur. Urbinatis enim praestantia quamvis levioris cuiusdam interpolationis commaculata vestigiis ea est ut emendationem totam fere ab hoc libro repetendam esse mihi persuasum sit. Eam igitur legem mihi proposui, ut Urbinatem quantum fieri posset fideliter exprimerem.' Quae verba si quis legerit, facile adduci potest ut Kiesslingium primum contra Ritschelium Ambroschiumque rationem codicum recte explicavisse credat. Sed si iuste agamus, tantum abest ut Kiesslingio hanc laudem concedamus, ut neglegentiam quandam ei obiciamus. Nam Kiesslingium Ritschelii 'de codice Urbinate Dionysii Halicarnassensis' disputationem editam Bonnae a. 1847 aut cognitam aut in manibus non habuisse apparet*). Illud quidem ei integrum relinquitur, quod ne eis quidem locis Urbinatis codicis scripturas reiecit, ubi sunt maxime perversae. Quicunque autem in Antiquitatibus Dionysii tractandis emendandisque versaturus est, ita versari debet, ut Chisiani Urbinatisque codicum virtutem esse promiscuam sciat. Sic rectissime Ritschelius statuit, sic Sintenis Emend. Dionys. spec. III p. 1, ubi haec verba posuit: '— ut mihi quidem, uti nunc res est, cum suas uterque codex virtutes, sua vitia habeat, nihil magis videatur opus esse quam subtili iudicio, quod idoneo scriptoris usu adiutum singulas lectiones in disceptationem vocet perpensisque rationibus omnibus id constituat, quod Dionysium scripsisse probabile sit.'

Postquam ab hac parte satis videor dixisse, relinquitur ut pauca verba de ordine disputationis meae faciam. Hunc autem totum sic instituere volui, ut primo capite eos locos Antiquitatum Romanarum tractarem, qui ab usu dicendi vel omnium scriptorum Graecorum communi vel proprio Dionysii abhorrere mihi viderentur; tum nonnullos eligerem, quos ego, cum eorum scriptura in ipsis codicibus corrupta exstaret, quantum in me situm erat, coniecturis emendare conarer. Ad primam autem partem disser-

---

*) Suis id verbis ipse Ritschelius questus est Opusc. phil. t. I p. 517 sq. adn. Vbi sui de utroque codice iudicii summam his verbis complectitur: 'In Vrbinate . . . cognovimus raram et prope singularem talis codicis indolem, qui et correctoris manum passus manifestam et cetera neglegentius ab librario habitus tamen utrumque vitium tam eximiis dotibus compensaret ut, si paucis volumus rei summam complecti, deterioris generis melius exemplum Chisianus, deterius autem melioris generis repraesentare Vrbinas existimandus sit.'

tationis quod attinet, nihil antiquius habui quam ut omnia, quantum fieri potuit, ex Antiquitatum libris exempla congererem. Nihil restat, quod disputationi meae praemuniam, nisi hoc unum, miraturos esse fortasse nonnullos meam in quibusdam, quae prima in parte prolaturus sum, audaciam, sed desituros esse mirari, si meminerint quae et qualia pari prudentiae sollertia Ludovicus Dindorfius de usu dicendi Diodori, Polybii, Cassii Dionis aliorumque scriptorum in praefationibus suis disputavit.

Caput I.

I, 4 (t. I p. 5, 15 Kiessl.).

Ludovicus Dindorfius quamvis in praefatione ad Diodorum p. XXXI de παλαιότερος et παλαιότατος formis earumque apud hunc scriptorem usu ita disputaverit, ut etiam eos locos, in quibus apud Dionysium hae formae exstant, respiceret, tamen facere non possum quin huius quidem usum denuo tractem, praesertim cum Dindorfius libri I cap. 4 Reiskii mutationem, qui pro τὰ πάλαι τῶν ἱστορουμένων, quod praebent codices, τὰ παλαίτατα τῶν ἱστορουμένων scribi voluit, probaverit. Dindorfium enim, qui non modo apud Diodorum atque Pausaniam, sed etiam apud Dionysium ubique παλαιότερος et παλαιότατος formas in παλαίτερος et παλαίτατος mutandas esse censet, mirum in modum, quod ad Dionysii usum attinet, errasse iam ostendere conabor, quamquam Ambroschius, ut postea vidi, in programmate Vratislaviensi anni 1840, ubi capita undetriginta ad instituta Romuli pertinentia edidit, magna ex parte recte iam de hoc usu egerat. Nam ut a superlativi forma, cuius apud Dionysium usus constans est, initium disputandi faciam, nusquam παλαίτατος formam exstare haec exempla testimonio sunt:

I, 8 (I, 10, 3) ἀπὸ τῶν παλαιοτάτων μύθων
I, 9 (I, 11, 4) παλαιότατοι τῶν μνημονευομένων
I, 12 (I, 15, 16) τοὺς παλαιοτάτους οἰκήτορας
I, 68 (I, 83, 19) παλαιότατος δὲ ὧν ἡμεῖς ἴσμεν ποιητής
II, 12 (I, 131, 21) οἱ παλαιότατοι τῶν ποιητῶν
V, 17 (II, 133, 26) ποιητῶν τε οἱ παλαιότατοι
VII, 71 (III, 91, 23) παλαιότατος γὰρ ἀνήρ

E quibus evidentissime consequitur eo quem supra attuli loco Reiskii coniecturam reiciendam esse. Sed cum adverbium tolerari vix possit, multo melius cum Stephano et Kiesslingio τὰ παλαιὰ τῶν ἱστορουμένων legemus, quod Ritschelius quoque scripsit, cuius verba conferenda sunt in commentatione anni 1838 p. 8 (Opusc. phil. I p. 497) posita.

De comparativi tamen forma duo sunt observanda. Adiectivi enim forma una est παλαιότερος, id quod duo exempla demonstrant:

I, 13 (I, 16, 19) παλαιότερον δὲ τούτου στόλον
II, 4 (I, 122, 9) γνώμῃ τε ἑπόμενοι τῶν παλαιοτέρων:

proprius autem Dionysii est adverbii usus semper cum ἔτι, ut iam ostendam, coniuncti: et in solo quidem adverbio παλαίτερον formam admitti ex eis quos subieci locis cognoscitur:

I, 14 (I, 18, 15) Λίστα, — ἣν παλαίτερον ἔτι Σαβῖνοι αἱροῦσιν (ubi deteriores tantum codices παλαιότερον praebent)
I, 40 (I, 48, 15) Εὔανδρος δὲ παλαίτερον ἔτι — ἀκηκοὼς
I, 88 (I, 114, 11) τὴν ἡμέραν ταύτην ἔτι παλαίτερον — διάγοντες
III, 34 (I, 270, 17) Μεδύλλειαν παλαίτερον ἔτι Ῥωμαίων ἀποικίαν
III, 61 (I, 301, 31) ἀλλὰ παλαίτερον ἔτι τῆς Ταρκυνίου δυναστείας
V, 21 (II, 137, 22) παλαίτερον ἔτι τοῦτο βουλόμενος
VII, 72 (III, 94, 14) εἴτε παλαίτερον ἔτι
VIII, 16 (III, 119, 18) παλαίτερον ἔτι κατεπεφεύγεσαν
VIII, 57 (III, 174, 9) τούτῳ δὲ ἄρα ἐδέδοκτο παλαίτερον ἔτι
VIII, 74 (III, 198, 2) ἀλλὰ παλαίτερον ἔτι
IX, 9 (III, 234, 22) παλαίτερον γὰρ ἔτι
X, 48 (IV, 72, 32) ἣν δὲ παλαίτερον ἔτι συνερρυηκὼς
XI, 36 (IV, 139, 19) ἀλλὰ παλαίτερον ἔτι.

Sed de duobus, qui iam restant, locis accuratius agere cogimur, cum ἔτι, quod in ceteris adiectum esse vidimus, ibi a codicibus abesse videatur. Exstant enim etiam in editione Kiesslingiana libri II cap. 47 (I, 171, 3) haec verba: Οὐάρρων δὲ Τερέντιος τοῦτ' αὐτοῖς τὸ μέρος οὐχ ὁμολογεῖ παλαίτερόν τε λέγων ἐπὶ ταῖς κουρίαις τεθῆναι τὰ ὀνόματα, quorum corruptelam neque Sintenis in specimine I Emendationum Dionysiacarum p. 27, neque Ambroschius in programmate Vratislaviensi anni 1844, neque Kayserus in censura tomi I editionis Kiesslingianae, quae est in Fleckeiseni annalium tomo LXXXVII anni 1863, quamquam hunc locum tractarunt, perspexerunt. Kiesslingius demum, qui denuo illum emendare conatus est in programmate s. s., παλαίτερόν τε in παλαίτερον ἔτι mutandum esse intellexit, quam correctionem multo ante eum iam Sylburgius proposuerat.

Alter vero locus est IV, 64 (II, 87, 26), ubi omnes codices exhibent: ταύτην τὴν γυναῖκα (Λουκρητίου θυγατέρα) καλλίστην οὖσαν τῶν ἐν Ῥώμῃ γυναικῶν καὶ σωφρονεστάτην ἐπεχείρησεν ὁ Σέξτος διαφθεῖραι, παλαίτερον μὲν ἐπειγόμενος ὁπότε κατάγοιτο παρὰ τῷ συγγενεῖ, τότε δὲ καιρὸν ἁρμόττοντα οἰόμενος ἔχειν. Merito autem primus Kiesslingius in prima parte ἐπειγόμενος participii, cuius notionem huius loci verbis aptam esse vix quisquam contenderit, ἔτι latere suspicatus est, etsi παλαίτερον μὲν ἔτι πειρώμενος, quod ille in adnotatione critica coniecit, vix habet quo commendetur. Sed multo minus mihi quidem ea coniectura placet, quam Grasbergerus in dissertatione anni 1868 sua p. 21 proposuit. Nam ἐπειγόμενος vocabulum ex γλιχόμενος verbo corrumpi potuisse idque facili modo, ut vult Grasbergerus, non possum adduci ut credam. Et quamquam ego quoque ἐπειγόμενος participium non ita emendare possum, ut nihil dubii relinquatur, tamen, cum non ineptum esse videatur, proferam quod mihi venit in mentem. Etenim si verba Dionysii contemplamur quae fecit de nota illa narratione, hanc eorum sententiam esse apparet: Sextus Tarquinii filius a patre Collatiam missus in domum L. Tarquinii Collatini devertit, qui, cum Collatinus tunc esset in castris, a Lucretia excipitur: atque tunc, ut narrat Dionysius, opportunitatem sibi oblatam esse arbitratus est feminae stuprandae. Sic autem si considero opposita esse verba τότε δὲ καιρόν e. q. s. verbis παλαίτερον μέν e. q. s., adducor ut in ἐπειγόμενος inesse ἔτι et verbum quoddam putem, cuius vis sit prohibendi. Itaque pro παλαίτερον μὲν ΕΠΕΙΓΟΜΕΝΟϹ nescio an scribendum sit παλαίτερον μὲν ΕΤΙ ΕΙΡΓΟΜΕΝΟϹ, quae sane lenissima est emendatio. Sed qualecunque participium in ἐπειγόμενος latet, mihi quidem constat etiam hoc loco παλαίτερον μὲν ἔτι scribendum esse.

I, 12 (I, 14, 31).

Dionysius ut ea confirmet, quae libri I cap. 12 de Oenotro Oenotriaque disputavit, Sophoclem testem affert eiusque versus ex Triptolemo promit his verbis usus: μαρτυρεῖ δέ μου τῷ λόγῳ Σοφοκλῆς μὲν ὁ τραγῳδοποιὸς ἐν Τριπτολέμῳ δράματι. Quorum verborum quamquam satis dilucida est sententia neque quisquam adhuc in eis offendit, tamen μου genetivum corrigendum esse aliorum scriptorum ratione dicendi moveor ut credam. Nam cum

in Antiquitatum libris exempla reperire non potuerim, quae prorsus similia sint, ex Herodoti libri II cap. 18 his verbis uti mihi licebit: μαρτυρέει δέ μοι τῇ γνώμῃ, ὅτι τοσαύτη ἐστὶ Αἴγυπτος — καὶ τὸ Ἄμμωνος χρηστήριον: eodemque modo libri IV cap. 29 legitur: μαρτυρέει δέ μοι τῇ γνώμῃ καὶ Ὁμήρου ἔπος ἐν Ὀδυσσείῃ ἔχον ὧδε. Prorsus autem similia verba exstant apud Pausaniam, ubi I, 37, 2 legimus: μαρτυρεῖ δέ μοι τῷ λόγῳ τὸ ἐπίγραμμα τὸ ἐπὶ τῷ Φυτάλου τάφῳ, et IX, 5, 7: μαρτυρεῖ δέ μοι τῷ λόγῳ καὶ Ὅμηρος ἐν τῇ Ὀδυσσείᾳ. Et ut exemplum addam, ubi de vitio scripturae cogitare non licet, compares velim Pausaniae verba quae sunt in libro VIII, 25, 8: ἐπάγονται δὲ ἐξ Ἰλιάδος ἔπη καὶ ἐκ Θηβαΐδος μαρτυρία σφίσιν εἶναι τῷ λόγῳ, ἐν μὲν Ἰλιάδι ἐς αὐτὸν Ἀρίονα πεποιῆσθαι. His igitur exemplis commotus apud Dionysium quoque rectius μαρτυρεῖ δέ μοι τῷ λόγῳ Σοφοκλῆς scribi opinor.

I, 16 (I, 19, 20).

Libri I capitis 16 initio, ubi sunt verba: ὁπότε γὰρ εἰς ὄχλου πλῆθος ἐπίδοσιν αἱ πόλεις τισὶ λάβοιεν — ἢ κακωθεῖσα ταῖς οὐρανίαις (rectius cum Chisiano codice scribetur οὐρανίοις) μεταβολαῖς ἡ γῆ σπανίους τοὺς εἰωθότας καρποὺς ἐξενέγκοι, ἢ τοιόνδε τι πάθος ἄλλο — ἀνάγκην ἐπιστήσειε μειώσεως τοῦ πλήθους, Dionysium scribere non potuisse ἐξήνεγκεν, quod omnes codices exhibent, pro certo habendum est. At vero quicunque haec verba tractarunt, nonne merito mirabimur Sylburgii sensum probasse ἐξενέγκοι optativum commendantis? Et tamen tam facile cognitu erat, quid solum reponendum esset! Nam non modo codicum vestigia propius ad ἐξενέγκειεν aoristi primi optativum spectant, sed eundem usus quoque dicendi Dionysianus requirit, id quod demonstrari potest. Profectus igitur ab hoc loco de omnibus aoristi primi et secundi φέρω verbi formis apud Dionysium accuratius agere in animo habeo. Sed ut praemoneam, qualis apud Atticos scriptores usus sit huius verbi, Buttmanni verba afferre mihi liceat, quae scripsit in grammatica uber. II p. 313: 'Aor. 1 u. 2 ἤνεγκα, ἤνεγκον. In dieser ersten Person und im Optativ (ἐνέγκαιμι, ἐνέγκειε, und οιμι, οι) schwankt der Gebrauch sehr, wie dies auch die Grammatiker bemerken. Von den übrigen Formen sind vorzugsweise und im att. Dialekt zum Theil ausschliessend in Gebrauch im Aktiv der

Infin., das Part. und die 2 sing. Imper. vom Aoristo 2 (ἐνεγκεῖν, ἐνεγκών, ἐνεγκόντος, ἔνεγκε); alles übrige nebst dem ganzen Medio vom Aor. 1 (ἤνεγκαν, κατε, κατο, ἐνεγκάτω, κασθαι, κάμενος etc. Impf. Med. ἔνεγκαι)'*). Sed quomodo, iam quaerimus, de usu eorum scriptorum nobis iudicandum est, qui imitatores Atticorum habendi sunt? Qua in quaestione rursum, quae Lud. Dindorfius in praefatione Diodori p. XXXVI de φέρω verbo disputavit, antea commemoranda video: 'φέρω verbi aoristos inter primum et secundum activi in participio maxime ita variat scriptura ut modo omnibus modo melioribus in libris sit aut prior aut alter, et nemo dixerit secundo tantum an priori promiscue cum illo usus sit Diodorus.' Quanto tamen certius acriusque de Dionysii usu iudicare nobis licet! Totam autem quaestionem ita instituam, ut, cum sola exempla ad usum dicendi demonstrandum valeant, ab indicativo activi initium faciam, exempla quae congessi afferens omnia. Indicativum igitur aoristi activi habes:

II, 36 (I, 159, 1) διήνεγκαν
II, 60 (I, 186, 8) διήνεγκαν
II, 64 (I, 191, 13) ἐξήνεγκαν
IV, 6 (II, 10, 22) ἤνεγκαν
IV, 26 (II, 39, 5) συνήνεγκαν
VI, 66 (II, 289, 31) ἐξήνεγκαν
VII, 37 (III, 46, 10) ἐξήνεγκαν
VII, 45 (III, 55, 31) ἐξήνεγκαν
VIII, 56 (III, 172, 22) συνήνεγκαν
IX, 4 (III, 229, 7) ἀπήνεγκαν
IX, 27 (III, 267, 9) μετήνεγκαν
X, 24 (IV, 37, 24) προσήνεγκαν
X, 30, (IV, 47, 19) ἐξήνεγκαν
XI, 41 (IV, 147, 9) ἤνεγκαν
XIII, 9 (IV, 195, 7) κατήνεγκαν
XV, 8 (IV, 218, 18) ἐξήνεγκαν
XIX, 16 (IV, 246, 15) προεισήνεγκαν (ut Reiskius scripsit: codices enim praebent προσήνεγκαν)
XIX, 16 (IV, 246, 17) εἰσήνεγκα.

Hos igitur locos si Kiesslingius respexisset in adnotatione critica tomi III p. VII, non proposuisset ἐξήνεγκον aoristum secundum pro ἐξήνεγκαν aoristo primo, quem codices exhibent. Ex tertia persona singularis ἤνεγκε cum nihil conligi possit, has formas consulto omitto; pro συνήνεγκεν ἄν tamen, quod apud Kiess-

*) Cobeti quoque verba, quae in Novarum lectionum p. 2 et 3 exstant, comparari possunt. Scribit enim ita: 'Veteres Attici εἶπον constanter dicebant sed εἶπας, εἴπομεν sed εἰπάτην et εἴπατε', in imperativis similiter εἰπέτω et εἰπόντων sed εἴπατον et εἴπατε, ut α sit in secunda persona perpetuum, in primam et tertiam non admittatur, neque in optativo usquam aut in infinitivo aut in participio appareat. Mira est haec consuetudinis morositas, sed constare videbis. Simillimum est, quod in ἤνεγκον et ἤνεγκας dicendi arbitrium constituit.'

lingium libri VII, 45 (III, 55, 13) Sylburgii correctione merito recepta legitur, itidem codices συνήνεγκαν ἄν praebent.

Porro coniunctivo aoristi omisso ad optativi exempla consideranda transeamus. Et ut praemittam locos, quorum scriptura in codicibus non fluctuat, his tribus optativus aoristi primi exstat: I, 42 (I, 52, 9) συνδιενέγκαιεν, VI, 60 (II, 283, 5) ἐπενέγκαιμεν, VIII, 78 (III, 203, 1) συνενέγκαιεν, ubi codex B τε οὖν ἐνέγκαιεν habet. Verum totidem restant, quibus apud Kiesslingium aoristi secundi optativus legitur: quod num iure factum sit, iam videamus. Itaque nunc demum, unde profecta est disputatio, eo redeat. Libri I cap. 16 autem si ex λάβοιεν et ἐπιστήσειε optativis satis intellegitur etiam pro ἐξήνεγκεν indicativo optativum substituendum esse, quis est qui dubitare possit, quin ἐξήνεγκεν non in ἐξενέγκοι, quod Sylburgius voluit, sed in ἐξενέγκειεν mutandum sit? praesertim cum haec correctio non modo lenior sit, sed etiam hiatum tollat. De altero autem loco, libri VII cap. 31 (III, 39, 6), ubi verba sunt πῶς ἄν ὑμεῖς ἐνέγκοιτε τὴν αὐθάδειαν τοῦ συνεδρίου, breviter agere licet; nam cum Chisianus codex et Urbinatis prima manus ἐνέγκαιτε habeant, haec forma, quam Kiesslingius prorsus immerito neglexit, in dubium vocari non potest. Tertio denique loco libri VII cap. 57 (III, 72, 17), ubi legimus ἐπεὶ δὲ ἡ Οὐαλερίου γνώμη νικᾷ, συνενέγκοι μὲν ταῦτα ὑμῖν, de scripturae discrepantia nihil adnotatum est; in editione Sylburgiana νικᾷ καὶ συνενέγκῃ exstat, quod Sylburgius in νικᾷ συνενέγκοι vel συνενέγκαι mutari iussit. Iam nunc vero apparere videtur, infra autem omnibus aoristi formis compositis luculentius apparebit, etiam hoc loco συνενέγκειε scribendum esse.

Imperativus ad quem progredimur, si recte vidi, bis legitur: IV, 84 (II, 109, 27) ἐπενέγκατε et IX, 52 (III, 301, 25) ἀπενεγκάτω. Etenim tertio loco VII, 31 (III, 39, 23), ubi habes ἀλλ' εἴγε τἀναντία βούλεσθε — ἐμοὶ συμβούλῳ χρησάμενοι μετριάσατε καὶ τοὺς λόγους — πολιτικῶς καὶ μὴ δυσοργήτως ἐνέγκετε, satis mirari non possum quod Kiesslingius Chisiani et Urbinatis veram scripturam, quae ἐνέγκητε coniunctivum praebet, mutavit in ἐνέγκετε imperativum, qui dupliciter falsus est. Nam primum imperativi secunda persona pluralis numeri apud Dionysium est ἐνέγκατε; tum quo iure Kiesslingius contra usum Graecorum ἐνέγκητε coniunctivum, cum verba ad μή particulam pertineant, in ἐνέγκετε imperativum mutaverit, equidem perspicere nequeo.

Quod tamen ad infinitivum attinet, constanter Dionysium aoristi secundi infinitivum usurpasse haec exempla docent:

I, 37 (I, 44, 6) ἐξενεγκεῖν
I, 66 (I, 81, 22) ἐξενεγκεῖν
I, 74 (I, 91, 25) ἐξενεγκεῖν
IV, 3 (II, 4, 15) ἐξενεγκεῖν
IV, 27 (II, 41, 2) ἐξενεγκεῖν
IV, 47 (II, 67, 14) εἰcενεγκεῖν
IV, 47 (II, 67, 27) ἀνενεγκεῖν
V, 50 (II, 173, 10) ἐνεγκεῖν
V, 50 (II, 173, 19) διενεγκεῖν
V, 75 (II, 207, 11) ἐνεγκεῖν
VI, 66 (II, 290, 24) ἐξενεγκεῖν
VI, 96 (II, 328, 6) εἰcενεγκεῖν
VII, 17 (III, 24, 5) ἐπενεγκεῖν
VII, 60 (III, 77, 22) ἐπενεγκεῖν
VIII, 36 (III, 146, 22) ἐξενεγκεῖν
X, 3 (IV, 4, 27) ἐξενεγκεῖν
X, 10 (IV, 14, 17) ἐξενεγκεῖν
X, 26 (IV, 41, 29) ἐξενεγκεῖν
XI, 5 (IV, 98, 31) ἐξενεγκεῖν
XI, 7 (IV, 100, 27) ἐπενεγκεῖν
XI, 59 (IV, 166, 32) ἐξενεγκεῖν.

Ex his exemplis evidentissime apparet libri XV cap. 3 (IV, 209, 24), ubi proditum est ἢ δόξαν αἰcχίcτην ἐνέγκαι ξενοκτονίας, ἢ φόνων ἅψαcθαι πολιτικῶν, scribendum esse potius ἐνεγκεῖν.

Reliquum est, ut participii formas tractemus, quarum numerus permagnus est; incipiamus igitur a masculina forma participii aoristi primi:

I, 52 (I, 63, 28) cυνδιενέγκας
II, 30 (I, 151, 23) ἀνενέγκας
II, 41 (I, 164, 15) διενέγκαντες
II, 71 (I, 199, 13) εἰcενέγκαντος
III, 1 (I, 209, 17) cυνδιενέγκας
III, 19 (I, 238, 27) ἐνέγκας
III, 19 (I, 239, 17) ἐξενέγκαντες
III, 20 (I, 240, 16) ἐνέγκας
III, 20 (I, 240, 18) ἐξενέγκας
III, 71 (I, 314, 12) προενέγκας
III, 73 (I, 317, 6) ἐνέγκαντος
IV, 3 (II, 4, 19) ἐπενέγκαντες
IV, 11 (II, 18, 4) cυνενέγκαντες
IV, 34 (II, 50, 4) ἐπενέγκαντες
IV, 80 (II, 104, 11) ἐπενέγκαντος
V, 5 (II, 117, 14) μετενέγκας
VI, 77 (II, 303, 31) εἰcενέγκαντος
VI, 90 (II, 320, 8) ἐπενέγκαντας
VIII, 67 (III, 187, 8) προcενέγκαντας
VIII, 89, (III, 220, 4) cυνενέγκαντες
IX, 41 (III, 285, 29) ἐπενέγκαντος
X, 17 (IV, 27, 9) διενέγκαντες
X, 29 (IV, 45, 18) ἐνέγκαντες
XI, 31 (IV, 134, 8) ἐξενέγκαντος
XI, 60 (IV, 168, 19) ἐπενέγκαcι
XIII, 5 (IV, 191, 28) cυνειcενέγκαντες
XX, 5 (IV, 260, 13) περιενέγκας.

Subsequantur participii aoristi primi formae femininae:

II, 69 (I, 197, 18) ἐνέγκαcαν
III, 15 (I, 232, 30) ἐξενέγκαcα
IV, 62 (II, 84, 3) ἐνέγκαcα
IV, 62 (II, 84, 8) ἐνέγκαcα
IV, 67 (II, 90, 6) ἐνέγκαcα
VIII, 24 (III, 129, 13) ἐπενέγκαcαι.

Quodsi ad participii aoristi secundi formas inquirendas transimus, sex locis Antiquitatum illud exstare videmus: V, 54 (II, 179, 15) ἐξενεγκόντες, ubi codex B ἐνεγκόντες praebet; VII, 8 (III, 11, 5) προενεγκόντες; VII, 31 (III, 38, 28)

μετενεγκόντες; VII, 54 (III, 50, 17) συνδιενεγκόντες; IX, 36 (III, 280, 4) κατενεγκόντες; XI, 22 (IV, 120, 31) ἐπενεγκόντες. Sed his quoque locis, quamvis codices fluctuare non videantur, si contendero aoristi primi formas reponendas esse, haud nescio apud multos in audaciae crimen me incursurum. Et tamen quis est qui neget plenam fidem meae sententiae illud facere, quod tales formae, quales sunt ἐνεγκών ἐνεγκοῦσα, omnino nullae exstant? Itaque equidem plane non dubito, quin Dionysius praeter infinitivum constanter aoristi primi formis usus sit.

Sic quaestione de activi aoristis ad finem perducta medii aoristi formas addam, ut etiam hic primum constanti in usu fuisse doceam. Exstant autem haec exempla:

I, 22 (I, 27, 20) μετενεγκαμένων	VI, 16 (II, 231, 3) ἐξενέγκασθαι
I, 44 (I, 53, 13) συνενεγκάμενοι	VI, 69 (II, 293, 8) ἀπηνέγκατο
I, 56 (I, 69, 19) προσενεγκαμένῳ	VI, 91 (II, 320, 27) εἰσενεγκαμένου
I, 60 (I, 74, 6) συνενεγκάμενοι	VI, 94 (II, 325, 12) ἐξενέγκασθαι
I, 60 (I, 74, 18) μετενεγκαμένων	VIII, 20 (III, 125, 7) ἐξενεγκάμενος
I, 67 (I, 81, 29) ἠνέγκατο	VIII, 61 (III, 178, 10) μετενέγκασθαι
I, 68 (I, 83, 21) ἐπενέγκασθαι	IX, 4 (III, 228, 27) ἠνέγκαντο
II, 13 (I, 132, 17) μετενέγκασθαι	IX, 6 (III, 232, 1) μετηνέγκαντο
II, 14 (I, 133, 7) μετενεγκάμενος	IX, 35 (III, 278, 7) ἐξενεγκάμενος
II, 22 (I, 141, 9) μετενεγκάμενος	IX, 51 (III, 299, 31) ἀπενέγκαιντο
II, 35 (I, 157, 9) μετενέγκασθαι	X, 27 (IV, 43, 1) ἐξενέγκασθαι
II, 46 (I, 169, 31) συνενεγκαμένους	X, 27 (IV, 43, 2) ἐξηνέγκαντο
II, 65 (I, 191, 28) μετενεγκαμένων	X, 30 (IV, 46, 13) εἰσενεγκάμενος
II, 66 (I, 193, 29) ἐξηνέγκατο	X, 38 (IV, 58, 30) προενέγκασθαι
II, 66 (I, 194, 3) μετενεγκαμένου	X, 45 (IV, 68, 4) ἐνεγκάμενον
III, 1 (I, 209, 11) μετενεγκάμενος	X, 46 (IV, 70, 13) ἐξενεγκάμενοι
III, 13 (I, 230, 27) ἐξενέγκασθαι	X, 47 (IV, 71, 19) ἐξενεγκάμενοι
III, 47 (I, 284, 26) μετενέγκασθαι	XII, 1 (IV, 172, 2) ἀπενεγκάμενος
III, 57 (I, 298, 3) ἐξενεγκαμένη	XIII, 4 (IV, 191, 12) προσενεγκάμενοι
III, 59 (I, 299, 30) ἐξενεγκαμένων	
V, 40 (II, 160, 7) μετενέγκασθαι	XX, 14 (IV, 268, 4) ἀπενέγκασθαι.

Denique ut ea, quae modo de usu aoristorum φέρειν verbi apud Dionysium dixi, etiam alius scriptoris usu magis confirmem, ex Polybio exempla afferam, quae hunc quoque scriptorem aoristi primi formas semper usurpasse satis ostendunt. Cuius rei etsi intellego exempla congerenda esse omnia, tamen fateor fieri posse ut quaedam me fugerint. Quae igitur in promptu habeo, haec sunt quae infra scripsi:

I, 38, 5 ἤνεγκαν	II, 49, 2 ὑπενέγκαιεν
II, 13, 7 ἐξήνεγκαν	III, 5, 1 ἐξήνεγκαν
II, 43, 6 ἐνεγκεῖν	III, 27, 5 ἐξενεγκεῖν

III, 27, 7 ἐξενέγκαντες
III, 27, 8 προσεξενεγκεῖν
III, 28, 2 ἐξενεγκεῖν
III, 98, 4 προσενεγκάμενος
IV, 5, 10 ἐξήνεγκαν
IV, 8, 2 ἐνεγκεῖν
IV, 20, 2 διήνεγκαν
IV, 21, 9 περιήνεγκαν
IV, 30, 2 ἐξήνεγκαν
IV, 36, 1 ἐξενεγκεῖν
IV, 36, 6 ἐξενεγκεῖν
IV, 37, 8 ἐξήνεγκαν
IV, 51, 2 προσενεγκάμενοι
IV, 53, 3 ἐξήνεγκαν
V, 27, 7 εἰσενέγκαντες
V, 50, 11 εἰσενέγκαντα
VI, 49, 1 ἐξήνεγκαν
VI, 58, 1 προενεγκάμενοι
IX, 11, 4 ἐπενέγκαι
IX, 17, 3 προσενεγκεῖν
XI, 9, 2 μετενέγκαιεν
XI, 24[a], 3 ἐξενεγκεῖν
XI, 31, 2 προενεγκάμενος
XII, 25[c], 2 προσενέγκασθαι
XII, 25[f], 2 ἀπενέγκασθαι
XV, 8, 7 προσενεγκεῖν
XV, 8, 13 ἀνενεγκεῖν
XV, 17, 3 ἀπενέγκαιεν
XV, 18, 1 ἐξενεγκεῖν
XV, 18, 7 ἐξενεγκεῖν
XV, 21, 8 ἐπήνεγκαν
XXII, 5, 3 εἰσήνεγκαν
XXII, 5, 5 προενεγκάμενοι
XXII, 23, 16 ἐξενεγκεῖν
XXIII, 9[a], 2 ἐνεγκεῖν
XXVII, 15, 4 προσενέγκασθαι
XXVIII, 10, 2 εἰσήνεγκαν
XXIX, 1[h], 2 ἐνεγκεῖν
XXIX, 9, 10 προσήνεγκαν
XXX, 2, 2 εἰσενέγκασθαι
XXXII, 11, 9 διενεγκεῖν
XXXIII, 11, 7 κατενεγκεῖν
XXXVIII, 1[b], 3 ἀπηνέγκαντο
XL, 5, 2 ἐπενέγκαντες
XL, 9, 4 ἐξηνέγκαντο.

Quamquam ne quid dissimulem, unum exstat exemplum aoristi secundi participii activi apud Polybium XI, 18, 4 προσενεγκών, quod tamen in προσενέγκας mutare equidem non dubitarim, praesertim cum in Excerptis tantum tradatur.

XI, 41 (IV, 147, 4).

Sed cum coniunctissima sit cum ea, quam modo instituimus, disputatione illa, quae est de εἶπον et εἶπα aoristis, quaestio, statim hic de his agere in animo habemus, quorum apud Atticos scriptores usum iam supra tetigimus. Atque mirum in modum factum est, ut apud Dionysium horum aoristorum et φέρειν verbi aoristorum usus nulla ex parte inter se congruant. Nam praeter unum locum ubique in indicativo, optativo, imperativo, infinitivo, participio formas aoristi secundi exstare facile monstrari potest: quarum tamen exempla, etsi sunt mihi in manibus, enumerare fastidio est. Et tam Atticus huius aoristi usus apud Dionysium est, ut VI, 59 (II, 282, 13) εἰπέ imperativus, VIII, 29 (III, 137, 1) autem εἴπατε legatur. Libri igitur XI cap. 41 (IV, 147, 4), ubi in codicibus verba exstant: καὶ τὸ λοιπὸν ἀπεῖπαν μηδένα Ῥωμαίων ἄρχειν διὰ βίου τὴν ἀνυπεύθυνον ἀρχήν, quis putabit

aoristum primum ἀπεῖπαν Dionysianum esse? Quamquam Kiesslingius ἀπεῖπαν in textum recepit, parum ut puto memor libri X capitis 9 verborum σιωπὴν προκηρύξαντες εἶπον, ubi rectissime codicis Urbinatis primae manus εἶπαν scripturam neglexit. Itaque etiam libri XI cap. 41 ἀπεῖπαν in ἀπεῖπον mutandum esse pro certo habeo.

I, 69 (I, 84, 16).

Libri I capitibus 68 et 69 Dionysius fabulas Callistrati, Satyri Arctinique poetae, quas de Palladio atque magnorum deorum sacris tradiderunt, secutus Palladium primum ea in urbe fuisse narrat, quam Dardanus condidisset, postea translatum esse Ilium ab illius nepotibus conditum; Ilienses autem id simulacrum servasse diligenterque curasse his verbis docemur quae initio cap. 69 leguntur: ποιήσασθαι δὲ τοὺς Ἰλιεῖς νεών τε καὶ ἄδυτον αὐτοῖς ἐπὶ τῆς ἄκρας καὶ φυλάττειν δι' ἐπιμελείας ἧς ἐδύναντο πλείστης θεόπεμπτά τε ἡγουμένους εἶναι καὶ σωτηρίας κύρια τῇ πόλει. Sic verba non modo in antiquioribus editionibus, sed etiam apud Kiesslingium exstant, qui Chisiani Urbinatisque scriptura, quae est ἐπιμελείας ἢ ἐδύναντο πλείστης, neglecta ἧς genetivum, qui in codice Regio Parisino D littera signato legitur, in textum recepit. Qua in scriptura nemo adhuc haesit; nam est ea sane perspicua. Sed quicunque similes Dionysii locos inspexerit, usum loquendi ὅσος pro ὅς requirere intelleget. Habeo autem hos locos congestos:

- I, 79 (I, 99, 4) καὶ συλλέξας ὅσους ἐδύνατο πλείστους
- III, 33 (I, 268, 30) ἐπικουρικὸν ὅσον πλεῖστον ἐδύνατο μεταπεμψάμενος
- III, 41 (I, 278, 19) τὴν συμμαχικὴν μεταπεμψάμενος ὅσην ἐδύνατο πλείστην (ubi Sintenis Emend. Dionys. spec. II p. 11 τῆς συμμαχικῆς e. q. s. scribendum esse putat)
- III, 57 (I, 297, 15) καὶ παρὰ τῶν συμμάχων ὅσους ἐδύνατο πλείστους παραλαβών
- IV, 66 (II, 89, 23) κάλεσον ὅσον δύνασαι πλείστους φίλους (quo loco rectissime in B πλείστους, quod in ceteris omittitur, exstat)
- VII, 1 (III, 2, 2) σῖτον ὅσον ἂν δύναιντο πλεῖστον ὠνησομένους
- VIII, 2 (III, 104, 7) καὶ Οὐολούσκων ὅσους δύνασαι πλείστους παρασκεύασον ἐλθεῖν
- VIII, 16 (III, 118, 20) στρατιάν τε ὅσην ἐδύναντο πλείστην
- VIII, 64 (III, 181, 2) στρατιὰν ὅσην δύνανται πλείστην καταγράφειν
- VIII, 68 (III, 188, 22) ὅσην ἐδύνατο πλείστην αὐτῶν γῆν κείρας

VIII, 72 (III, 195, 16) καὶ μετεπέμπετο Λατίνων τε καὶ Ἑρνίκων ὅσους ἐδύνατο πλείστους
VIII, 91 (III, 223, 19) προνομεύσαντες αὐτῶν τῆς γῆς ὅσην ἐδύναντο πλείστην
IX, 5 (III, 229, 16) στρατὸν ἐξάγειν ὅσον ἂν πλεῖστον δυνηθῶσι
X, 40 (IV, 61, 13) καὶ πελάταις ἂν ἕκαστοι πλείστοις δύνωνται.

His exemplis commotus equidem ne tantum quidem dubito quin libri I cap. 69 καὶ φυλάττειν δι' ἐπιμελείας ὅσης ἐδύναντο πλείστης scribendum sit; litterae OC in promptu est quam facile post AC intercidere potuerint.

I, 80 (I, 102, 13).

Scriptura codicis Urbinatis, qui libri I c. 80, ubi apud Kiesslingium legitur πρὸς ὡπλισμένους ἄνοπλοι μαχόμενοι, prodidit ἄοπλοι, nos quoque ducit ad notam illam de particula negativa quaestionem, quam Lobeckius accurate ut solet ad Phrynichum p. 728 sqq. instituit. Fluctuant enim, ut hic apud Dionysium, ita apud alios multos scriptores codices, qui modo ἄνοπλος modo ἄοπλος praebent: quorum prius, quamvis magis usitatum sit, tamen de Lobeckii sententia non fuit solum in usu. Qua de discrepantia aliter statuendum esse Lud. Dindorfius putat, qui de ἄνοπλος aliisque similibus vocabulis in Stephani Thesauro sub hac voce egit. Is enim contendit non modo apud Atticos scriptores ubique ἄοπλος pro ἄνοπλος rectius scribi, sed etiam apud Diodorum, Cassium Dionem, Plutarchum, quamvis huius quidem libri plerumque ἄνοπλος habeant, Lucianum, Dionysium, cuius tria affert exempla. Itaque mirum non est, quod idem in praefatione ad Diodorum p. XVII ἄνοπλος, etsi non nisi XX, 210, 1 uno in libro scriptum est ἄοπλος, tamen id ipsum constanter etiam Diodoro esse restituendum arbitratus decem locis ἄνοπλος in ἄοπλος mutavit. Quae corrigendi ratio, vel per se ut mihi quidem videtur reicienda, eo minus probari potest, quod eadem apud Diodorum, Plutarchum, Dionysium uti cogeremur. Nam etiam quod ad Dionysium attinet, uno tantum illo quem praescripsi loco uno in Urbinate ἄοπλος scriptum exstat, contra novem exemplis, ubi codices non fluctuant, ἄνοπλος:

I, 20 (I, 24, 3) ἄνοπλοι	V, 28 (II, 145, 32) ἄνοπλος
I, 21 (I, 25, 16) ἄνοπλοι	V, 39 (II, 158, 24) ἀνόπλους
I, 87 (I, 112, 18) ἄνοπλον	VIII, 14 (III, 116, 31) ἄνοπλοι

VIII, 86 (III, 213, 15) ἄνοπλον
IX, 70 (III, 328, 6) ἄνοπλον
XII, 11 (IV, 184, 28) ἄνοπλος.

Accedit aliud quiddam quod me, ut a Dindorfio dissentiam, etiam magis movet. Nam cum Diodorum, Plutarchum, Dionysium vitandi hiatus studiosos esse constet, nonne illos credemus vel hac de caussa potius ἄνοπλος ubique dixisse, quod in plurimis optimorum librorum locis traditur? Itaque equidem non possum non cum Kiesslingio, ut ceteris locis, ita libri I cap. 80 ἄνοπλος, quod Chisianus praebet, probare.

I, 86 (I, 111, 18).

Antequam ad hunc locum tractandum progredimur, de ea cura atque diligentia, quam Dionysius vocalium concursui vitando adhibuit, breviter agendum est; nam accuratam de hiatu apud Dionysium quaestionem, quam adhuc nemo*) instituit, quam primum fieri poterit in lucem proferre in animo habemus. Sed in praesens tantum pauca exempla, ex quibus conligi potest Dionysium, ubicumque liceret, hiatum semper vitasse, afferre satis esto. Neque sane mirum est eum scriptorem, qui in libro de compositione verborum Isocratei sermonis elegantiam atque vitandi hiatus studium identidem praedicat, ipsum quoque crebrum vocalium concursum dedita opera vitasse. Sed non modo in hoc genere Dionysius sermonem suum numerosum reddere voluisse videtur; nam demonstrari potest eundem consonantium quoque concursum vitare studuisse. An quid aliud est, quod ille constanter πρὶν ἤ forma utitur, ubi vocabulum quod sequitur a consonanti incipit, πρίν autem ante vocabula quae a vocali incipiunt?

His autem praemissis iam ad verba libri I cap. 86 consideranda pergamus, quae apud Kiesslingium talia exstant: ὁ Ῥωμύλος ὑπὸ σπουδῆς τε καὶ τοῦ πρὸς τὸν ἀδελφὸν φθόνου [ὡς δὲ καὶ ὁ φθόνος] ἴσως δὲ καὶ ὁ θεὸς οὕτως ἐνῆγεν, πρὶν καὶ ὁτιοῦν

*) Quae Benselerus in libro, quem 'de hiatu in oratoribus atticis et historicis graecis' scripsit, p. 548 sqq. de hiatu apud Dionysium disputavit, neque accurate sunt exposita neque omnia recte, ut postea apparebit. Sintenis autem, item Ritschelius in disputatione 'de codice Urbinate Dionysii Hal.', quae iterata est in eiusdem Opusc. tomi I p. 516 sqq., hanc quaestionem magis significarunt quam pertractarunt. Nuper etiam Grasbergerus Philologi tomi XXVIII (a. 1869) p. 546 nonnullis Dionysii locis hiatum sustulit.

ϲημεῖον θεάϲαϲθαι. Vbi tamen πρὶν καὶ ὁτιοῦν non recte se habere Kiesslingius intellexit, qui in adnotatione critica πρὶν ἢ ὁτιοῦν scribendum esse opinatur: quam correctionem a dicendi genere Dionysii proprio prorsus abhorrere statim intellegemus. Quamquam, ne iniquius agere videamur, non est tacendum eundem Kiesslingium in adnotatione critica tomi II p. XXXV verum dicendi usum recte perspexisse: ibi enim neque codicis A scriptura πρίν neque cum B μή probata in textum libri VI c. 31 πρὶν ἢ προαιϲθέϲθαι recipiendum esse vidit, his quidem verbis additis: 'semper autem πρὶν ἢ forma utitur Dionysius ante vocabula, quae a consonanti incipiunt'. Atque in contrariam quoque partem libri XIII, c. 8, ubi sunt verba πρὶν ἢ εἰϲ χεῖραϲ ἐλθεῖν, delendum esse ἤ ante εἰϲ praepositionem Kiesslingio concedere debemus. Verum cum nonnulli loci restent qui vitiosi habendi sint, ut cognoscamus Dionysium ubique πρὶν ἤ et πρίν formas ita uti diximus distinxisse, exempla ex Antiquitatibus ad unum omnia congerenda esse videntur. Sunt autem haec:

I, 34 (I, 41, 16) πρὶν Ἡρακλέα
I, 43 (I, 52, 25) πρὶν ἡβῆϲαι
I, 60 (I, 74, 14) πρὶν ἦν
I, 73 (I, 90, 16) πρὶν Αἰνείαν
I, 80 (I, 102, 25) πρὶν ἐν
II, 5 (I, 123, 27) πρὶν ἢ παρά
II, 31 (I, 152, 24) πρὶν ἢ καταϲτήϲαϲθαι
II, 32 (I, 153, 25) πρὶν ἐπιχειρῆϲαι
II, 38 (I, 160, 18) πρὶν ἀνατεῖλαι
II, 60 (I, 185, 31) πρὶν ὄψει
II, 61 (I, 188, 1) πρὶν ἐκεῖνον
II, 72 (I, 202, 7) πρὶν εἰϲ
III, 3 (I, 212, 28) πρὶν ἥλιον
III, 5 (I, 215, 23) πρὶν ἢ γενναῖον
III, 20 (I, 240, 15) πρὶν ἢ φυλάξαϲθαι
III, 24 (I, 252, 29) πρὶν ἐντόϲ
III, 27 (I, 256, 31) πρὶν ἡμέραν
III, 37 (I, 274, 29) πρὶν ἐπικουρίαν
III, 39 (I, 276, 22) πρὶν ἢ παραϲκευάϲαϲθαι
III, 44 (I, 282, 1) πρὶν ἢ τῇ θαλάττῃ
III, 57 (I, 297, 16) πρὶν ἐκείνουϲ
III, 63 (I, 303, 13) πρὶν ἀφικέϲθαι
III, 64 (I, 304, 26) πρὶν ἐκείνουϲ
III, 66 (I, 307, 12) πρὶν εἰϲ
IV, 1 (II, 1, 11) πρὶν ἐπί
IV, 39 (II, 57, 1) πρὶν εἰϲ
IV, 40 (II, 59, 4) πρὶν ἢ βεβαίωϲ
IV, 42 (II, 61, 22) πρὶν ἁλῶναι
IV, 56 (II, 77, 27) πρὶν ἢ παθεῖν
IV, 71 (II, 94, 24) πρὶν ἢ τά
IV, 72 (II, 96, 5) πρὶν ἐπιχειρεῖν
IV, 79 (II, 103, 6) πρὶν ἢ μαρανθῆναι
IV, 79 (II, 103, 22) πρὶν ἢ πενθῆϲαι
IV, 85 (II, 110, 22) πρὶν ἢ κλειϲθῆναι
V, 14 (II, 130, 4) πρὶν ἐκείνουϲ
V, 14 (II, 130, 12) πρὶν ἢ τούϲ
V, 16 (II, 132, 14) πρὶν ἡμέραν
V, 34 (II, 152, 8) πρὶν ἐπιτελεϲθῆναι
V, 37 (II, 156, 10) πρὶν ἐπί
V, 42 (II, 162, 22) πρὶν ἐπί
V, 44 (II, 164, 19) πρὶν αἰϲθέϲθαι
V, 44 (II, 164, 23) πρὶν εἰϲ
V, 49 (II, 172, 14) πρὶν ἢ καταϲτρατοπεδεύεϲθαι

V, 57 (II, 183, 28) πρὶν ἀφοσιώσασθαι
V, 77 (II, 209, 4) πρὶν ἢ πάντα
VI, 3 (II, 214, 21) πρὶν ἢ συνελθεῖν
VI, 4 (II, 216, 1) πρὶν αἰσθέσθαι
VI, 5 (II, 216, 10) πρὶν ἢ χάρακι
VI, 9 (II, 222, 5) πρὶν εἰς
VI, 14 (II, 228, 29) πρὶν ἢ τήν
VI, 22 (II, 239, 22) πρὶν ἐκπληρῶσαι
VI, 29 (II, 247, 19) πρὶν εἰς
VI, 31 (II, 250, 11) πρὶν ἢ προαισθέσθαι
VI, 31 (II, 250, 16) πρὶν ἢ ταῖς
VI, 34 (II, 254, 22) πρὶν ἄρξασθαι
VI, 49 (II, 270, 17) πρὶν ἢ τῶν
VI, 62 (II, 285, 24) πρὶν ἢ βλαβῆναι
VI, 91 (II, 321, 9) πρὶν ἢ λαμπρόν τι
VII, 8 (III, 11, 4) πρὶν εἰς
VII, 10 (III, 13, 22) πρὶν αἰσθέσθαι
VII, 13 (III, 18, 3) πρὶν ἢ πεπαῦσθαι
VII, 17 (III, 23, 14) πρὶν ἡμέραν
VII, 72 (III, 92, 10) πρὶν ἄρξασθαι
VIII, 3, (III, 105, 14) πρὶν ἥλιον
VIII, 5 (III, 107, 13) πρὶν ὁποῖός τις
VIII, 8 (III, 110, 32) πρὶν ἢ λαβεῖν
VIII, 9 (III, 112, 13) πρὶν ἢ τάς
VIII, 12 (III, 114, 17) πρὶν ἔκπυστα
VIII, 18 (III, 122, 21) πρὶν ἐπιρραχθῆναι
VIII, 27 (III, 133, 21) πρὶν ἐγχειρεῖν
VIII, 27 (III, 134, 10) πρὶν ἐν
VIII, 54 (III, 169, 10) πρὶν ἄν
VIII, 55 (III, 171, 24) πρὶν ἢ τόν
VIII, 65 (III, 183, 17) πρὶν ἀριστεύειν
VIII, 70 (III, 192, 6) πρὶν ἑτέρου
VIII, 75 (III, 199, 22) πρὶν ἅπαντα
VIII, 84 (III, 210, 31) πρὶν εἰς
IX, 21 (III, 256, 16) πρὶν ἢ συμμῖξαι
IX, 26 (III, 264, 5) πρὶν ἡμέραν
IX, 34 (III, 276, 21) πρὶν ἡμέραν
IX, 47 (III, 294, 3) πρὶν ἐκείνους
IX, 53 (III, 303, 9) πρὶν εἰς
IX, 57 (III, 308, 22) πρὶν ἐπαγγελθῆναι
IX, 59 (III, 313, 16) πρὶν εἰς
IX, 63 (III, 319, 20) πρὶν ἡμέραν
IX, 63 (III, 319, 31) πρὶν ἐλθεῖν
IX, 64 (III, 321, 11) πρὶν εἰς
IX, 71 (III, 329, 6) πρὶν ἐλθεῖν
X, 7 (IV, 10, 2) πρὶν ἀκίνητόν τε
X, 10 (IV, 14, 16) πρὶν εἰς
X, 18 (IV, 28, 29) πρὶν ἢ πᾶς
X, 19 (IV, 30, 3) πρὶν ἀποθέσθαι
X, 26 (IV, 41, 14) πρὶν ἅπαντας
X, 40 (IV, 61, 20) πρὶν ἡμέραν
X, 48 (IV, 72, 16) πρὶν ὁτιοῦν
XI, 6 (IV, 99, 25) πρὶν ἢ κληθῆναι
XI, 7 (IV, 101, 22) πρὶν ἢ τά
XI, 8 (IV, 102, 20) πρὶν εἰς
XI, 19 (IV, 115, 18) πρὶν ἢ τό
XI, 20 (IV, 116, 30) πρὶν ἡμέραν
XI, 20 (IV, 117, 12) πρὶν ἐντεῦθεν
XI, 36 (IV, 139, 19) πρὶν ἢ τήνδε
XI, 37 (IV, 141, 10) πρὶν ἐκ
XI, 46 (IV, 154, 13) πρὶν ἐπιστῆναι
XI, 46 (IV, 154, 23) πρὶν εἰσαγγελθῆναι
XII, 13 (IV, 186, 9) πρὶν ἁλῶναι
XIV, 9 (IV, 204, 6) πρὶν εἰς
XV, 3 (IV, 212, 12) πρὶν αὐτός
XV, 7 (IV, 218, 3) πρὶν ἢ πειραθῆνα
XV, 10 (IV, 220, 22) πρὶν αἰσθέσθαι
XVIII, 5 (IV, 231, 7) πρὶν ἀποσταλῆναι
XIX, 10 (IV, 239, 17) πρὶν ἐξετάσαι

XX, 5 (IV, 260, 5) πρὶν αἰσθέσθαι XX, 11 (IV, 265, 30) πρὶν ἐπιφανῆναι

Postquam tantum exemplorum cumulum coacervavimus, redeamus unde profecti sumus. Vidimus igitur supra Kiesslingium libri I c. 86 πρὶν ἢ ὁτιοῦν scribi iussisse: quae correctio nunc vix quisquam dubitabit quin reicienda sit. Et cum καί particula ante ὁτιοῦν mea quidem sententia prorsus redundet, rectius πρὶν ὁτιοῦν σημεῖον θεάσασθαι, aut si illam servare malueris, πρὶν ἢ καὶ ὁτιοῦν σημεῖον θεάσασθαι scribemus. Restant nunc denique duo loci, qui confidenter corrigendi sunt. Alter est libri VII c. 29 (III, 37, 17), ubi Kiesslingii exemplar praebet καὶ πρὶν πειραθῆναι ἀγανακτεῖτε, haud dubie autem καὶ πρὶν ἢ π. ἀ. scribendum est. Altero loco libri IX, 14 (III, 246, 1), ubi verba exstant ἔφθασε γοῦν τὸ τῶν Οὐιεντανῶν στράτευμα πρὶν συνελθεῖν, non minus certum est a Dionysio profectum esse πρὶν ἢ συνελθεῖν.

II, 58 (I, 184, 16).

Libri II cap. 58 exeunte in exemplo Kiesslingiano haec leguntur: ἀπέστειλε τοὺς παραληψομένους τὸν ἄνδρα (Νόμαν Πομπίλιον) ἐπὶ τὴν ἀρχὴν ἐνιαυτῷ τρίτῳ τῆς ἑκκαιδεκάτης ὀλυμπιάδος, ἐν ᾗ ἐνίκα στάδιον Πυθαγόρας Λάκων. Ibi autem quis Dionysium ἐν ᾗ ἐνίκα στάδιον scripsisse credat, qui magnum illum exemplorum cumulum ante oculos habeat, quae documento sunt ἣν ἐνίκα στάδιον solum in usu fuisse? Compares velim quae adnotavi exempla:

I, 71 (I, 87, 24) ἀποικίαν στείλαντες Ἀλβανοὶ — ἔτους ἐνεστῶτος πρώτου τῆς ἑβδόμης ὀλυμπιάδος, ἣν ἐνίκα στάδιον Δαϊκλῆς Μεσσήνιος.

III, 1 (I, 210, 10) ὁ δεύτερος ἐνιαυτὸς τῆς ἑβδόμης καὶ εἰκοστῆς ὀλυμπιάδος, ἣν ἐνίκα στάδιον Εὐρυβάτης Ἀθηναῖος ἄρχοντος Ἀθήνησι Λεωστράτου.

III, 36 (I, 272, 27) παραλαμβάνει τὴν ἀρχὴν ὁ Μάρκιος ἐνιαυτῷ δευτέρῳ τῆς τριακοστῆς καὶ πέμπτης ὀλυμπιάδος, ἣν ἐνίκα Σφαῖρος Λακεδαιμόνιος.

III, 46 (I, 283, 14) παραλαμβάνει τὴν βασιλείαν ἐνιαυτῷ δευτέρῳ μάλιστα τῆς μιᾶς καὶ τετταρακοστῆς ὀλυμπιάδος, ἣν ἐνίκα Κλεώνδας Θηβαῖος.

IV, 1 (II, 1, 7) διάδοχος — γίνεται Τύλλιος ἐνιαυτῷ τετάρτῳ τῆς πεντηκοστῆς ὀλυμπιάδος, ἣν ἐνίκα στάδιον Ἐπιτελίδης Λάκων.

IV, 41 (II, 60, 9) κατὰ τὸν τέταρτον ἐνιαυτὸν τῆς ἑξηκοστῆς καὶ πρώτης ὀλυμπιάδος, ἣν ἐνίκα στάδιον Ἀγάθαρχος Κερκυραῖος.

V, 1 (II, 112, 7) ὀλυμπιάδος μὲν ὀγδόης καὶ ἑξηκοστῆς ἐνεστώσης, ἣν ἐνίκα στάδιον Ἰσχόμαχος.
V, 37 (II, 155, 27) ὀλυμπιὰς μὲν ἦν ἐνάτη καὶ ἑξηκοστή, ἣν ἐνίκα στάδιον Ἰσχόμαχος.
V, 50 (II, 172, 30) ἐπὶ δὲ τῆς ἑβδομηκοστῆς ὀλυμπιάδος, ἣν ἐνίκα στάδιον Νικέας Λοκρός.
VI, 1 (II, 211, 4) ἐπὶ τῆς ἑβδομηκοστῆς καὶ πρώτης ὀλυμπιάδος, ἣν ἐνίκα στάδιον Τισικράτης Κροτωνιάτης.
VI, 34 (II, 253, 13) μελλούσης εἰς τοὐπιὸν τῆς ἑβδομηκοστῆς καὶ δευτέρας ὀλυμπιάδος, ἣν ἐνίκα δεύτερον Τισικράτης Κροτωνιάτης.
VI, 49 (II, 270, 13) ἐπὶ τῆς ἑβδομηκοστῆς καὶ δευτέρας ὀλυμπιάδος, ἣν ἐνίκα στάδιον Τισικράτης Κροτωνιάτης.
VIII, 77 (III, 200, 32) τῷ δ' ἑξῆς ἐνιαυτῷ τῆς ἑβδομηκοστῆς καὶ τετάρτης ὀλυμπιάδος ἐνεστώσης, ἣν ἐνίκα στάδιον Ἀστύλος Συρακούσιος.
IX, 18 (III, 252, 20) ἐπὶ τῆς ἑβδομηκοστῆς καὶ ἕκτης ὀλυμπιάδος, ἣν ἐνίκα στάδιον Σκάμανδρος Μιτυληναῖος.
IX, 37 (III, 280, 23) ἐπὶ τῆς ἑβδόμης καὶ ἑβδομηκοστῆς ὀλυμπιάδος, ἣν ἐνίκα στάδιον Δάντης Ἀργεῖος.
IX, 56 (III, 306, 27) κατὰ τὴν ἑβδομηκοστὴν καὶ ὀγδόην ὀλυμπιάδα, ἣν ἐνίκα στάδιον Παρμενίδης Ποσειδωνιάτης.
IX, 61 (III, 316, 8) ἐπὶ δὲ τῆς ἐνάτης καὶ ἑβδομηκοστῆς ὀλυμπιάδος, ἣν ἐνίκα Ξενοφῶν Κορίνθιος.
X, 1 (IV, 1, 2) ὀλυμπιὰς μὲν ἦν ὀγδοηκοστή, ἣν ἐνίκα στάδιον Τορύμβας Θεσσαλός.
X, 26 (IV, 40, 24) ὀλυμπιὰς μὲν ἦν ὀγδοηκοστὴ καὶ πρώτη, ἣν ἐνίκα στάδιον Πολύμναστος Κυρηναῖος.
X, 53 (IV, 78, 7) ἐπὶ δὲ τῆς ὀγδοηκοστῆς καὶ δευτέρας ὀλυμπιάδος, ἣν ἐνίκα στάδιον Λύκος Θεσσαλός.
XI, 1 (IV, 91, 1) ἐπὶ δὲ τῆς ὀγδοηκοστῆς καὶ τρίτης ὀλυμπιάδος, ἣν ἐνίκα στάδιον Κρίσων Ἱμεραῖος.

Hoc tamen extremo loco animadvertendum est codices στάδιον verbum omittere, a Kiesslingio primum in textum immissum: id quod ille mihi locos III, 36. III, 40. VI, 34. VIII, 61 inspicienti prorsus immerito fecisse videtur. Sed sciens unum locum praetermisi, cuius verba cum eandem offensionem praebeant atque libri II caput 58 a quo profecti sumus, facile cuipiam videantur huius ipsius scripturam firmare. Legimus enim libri VIII cap. 1 initio (III, 101, 2) non fluctuantibus libris haec: οἱ δὲ μετὰ τούτους ἀποδειχθέντες ὕπατοι κατὰ τὴν ἑβδομηκοστὴν καὶ τρίτην ὀλυμπιάδα, καθ' ἣν ἐνίκα στάδιον Ἀστύλος Κροτωνιάτης: ut hic quoque praepositionem ἣν relativo praemissam habeamus. Nec tamen quidquam hoc exemplum valere concedet, qui, quam facile κατά praepositio ex eo qui antecedit versu huc quoque

inrepere potuerit, secum reputaverit. Itaque mea quidem sententia nihil dubii relinquitur quin, si libri II capite 58 suum restituere Dionysio voluerimus, ἣν ἐνίκα στάδιον Πυθαγόρας Λάκων scribendum sit.

III, 10 (I, 225, 19).

Kiesslingius, cum Urbinas libri III capite 10, ubi ceteri codices praebent ἀλλὰ καὶ βασιλεῖς ἀποδείκνυτε ξένους, pro ἀποδείκνυτε habeat ἀποδεικνύστε, in textum recepit ἀποδεικνύετε, lenissima sane mutatione; eadem tamen num vera sit, postea videbimus. Nunc, cum δείκνυμι et δεικνύω formarum usu haec disputatio omnis contineatur, non alienum videtur Lud. Dindorfii sententiam, quam de illis verbis in praefatione Diodori p. XXI proposuit, praemittere. Scribit autem de Diodori usu haec: 'etsi indicativi non solum praesens in υω saepius est apud Diodorum, et imperfecti forma tertiae singularis in υ pro υε nusquam apparet nisi apud Photium 31, 19, 8, ubi ἐδείκνυ, participii tamen forma illa non magis usus est, quam verbi φύω formis ἐναφυῆναι et ἀναφυέντων.' Iam vero de Dionysii usu quid sit statuendum, videamus. Et ut, sicut res ipsa poscit, ab indicativi praesenti incipiam, huius quidem nullae formae usitatae sunt nisi in μι exeuntes:

I, 8 (I, 10, 18) ἀποδείκνυμι	VIII, 35 (III, 144, 29) ἐπιδείκνυτε
I, 76 (I, 94, 15) ἀποδείκνυσιν	VIII, 90 (III, 222, 1 et 3) ἀποδείκνυσιν
III, 46 (I, 283, 8) ἀποδείκνυσι	IX, 47 (III, 294, 15) δείκνυμι
IV, 4 (II, 6, 26) ἀποδείκνυσιν	X, 4 (IV, 6, 1) ἀποδείκνυσιν
IV, 62 (II, 84, 28) ἀποδείκνυσιν	X, 23 (IV, 37, 9) ἀποδείκνυσιν
IV, 84 (II, 110, 10) ἀποδείκνυσι	XI, 56 (IV, 162, 30) ἀποδείκνυτε
VI, 49 (II, 270, 8) ἀποδείκνυσιν	XI, 62 (IV, 169, 23) ἀποδείκνυσι
VII, 31 (III, 39, 19) ἀποδείκνυτε	XIII, 6 (IV, 192, 25) ἀποδείκνυσι.
VII, 55 (III, 70, 15) ἀποδείκνυτε, ubi tamen codd. ἀποδείκνυνται	

Nisi quod tamen tertia persona pluralis semper in ύουσι, non in ύασι exit: ut ἀποδεικνύουσι legatur VI, 89. VI, 90. XI, 61. X, 17. XIX, 13.

Tum quod ad imperfecti formas attinet, Dionysius eandem atque Diodorus rationem sequitur, ut qui semper formis in υε et υσαν desinentibus utatur:

I, 81 (I, 103, 14) ἐπεδείκνυσαν	VIII, 77 (III, 202, 4) ἐπεδείκνυσαν
IV, 40 (II, 58, 6) ἀπεδείκνυεν	IX, 57 (III, 310, 10) ἐδείκνυε
VI, 28 (II, 245, 31) ἐπεδείκνυεν	X, 9 (IV, 13, 27) ἐδείκνυσαν
VI, 81 (II, 308, 9) ἀπεδείκνυε	X, 33 (IV, 52, 19) ἐπεδείκνυσαν.

Libri IV cap. 47 (II, 67, 5) postquam Pflugkius et Sintenis Emend. Dionys. II p. 14 ἰδίαν δὲ γνώμην ἀπεδείκνυτο μὴ τὰ κατηγορηθέντα λύειν restituerunt codicum memoria ἀπεδείκνυ τὸ vere correcta, quam emendationem suo iure in textum recepit Kiesslingius, non dubito quin libri VI capite 26 (II, 244, 5) pro ἐδείκνυ τὸ στῆθος μεστὸν τραυμάτων scribendum sit ἐδείκνυε, quod in Reiskiana quoque editione exstat.

Participium vero praesentis semper in ύς exire haec exempla documento sunt:

I, 78 (I, 97, 9) ἀποδεικνύς
II, 23 (I, 141, 29) ἀποδεικνύς
II, 63 (I, 189, 26) ἀποδεικνύς
IV, 60 (II, 82, 7 et 10) δεικνύς
VI, 27 (II, 245, 20) ἐπιδεικνύντες
VI, 93 (II, 324, 8) ἀποδεικνύς
X, 5 (IV, 7, 19) ἀποδεικνύς.

Restat ut de infinitivo agatur, qui rursus testimonio est Dionysium, quacumque ratione posset, hiatum vitasse. Nam constanter δεικνύναι forma usus est, si a consonanti quod sequitur vocabulum incipit, contra δεικνύειν, si a vocali. Atque eodem modo Polybium quoque infinitivos distinxisse facile demonstrari potest. Hos autem locos ex Antiquitatibus congessi:

I, 83 (I, 106, 20) δεικνύναι τεκμήριον
IV, 11 (II, 18, 26) ἀποδεικνύναι τούς
IV, 20 (II, 29, 10) ἀποδεικνύειν ἢ περί
IV, 84 (II, 110, 10) ἀποδεικνύναι βασιλικήν
VI, 90 (II, 320, 11) ἀποδεικνύναι τούς
VII, 30 (III, 38, 4) ἀποδεικνύναι καί
VII, 49 (III, 59, 32) ἀποδεικνύναι πρόφασιν
VII, 56 (III, 71, 24) ἀποδεικνύναι τάς (ut recte Portus codicum scripturam ἀποδείκνυτε correxit)
VIII, 90 (III, 221, 29) ἀποδεικνύναι πρός
IX, 44 (III, 290, 25) ἀποδεικνύναι καί
IX, 51 (III, 300, 30) ἀποδεικνύναι. ταῦτ'
IX, 46 (III, 293, 4) ἀποδεικνύναι, τιμωρούς
IX, 52 (III, 301, 15) ἀποδεικνύειν, ἀλλά
X, 30 (IV, 47, 17) ἀποδεικνύναι, τῶν
X, 55 (IV, 82, 12) ἀποδεικνύειν ἡμῶν
XI, 11 (IV, 105, 20) ἀποδεικνύναι καί
XI, 16 (IV, 112, 9) ἀποδεικνύναι καί.

Idem autem, quod modo de δείκνυμι et δεικνύω verborum formis disputavi, etiam in alia similia ut ὀμνύω (quod VI, 84 (II, 312, 30) exstat ὀμνύειν ἡμῖν), cadere vix est quod moneam. Ex his autem exemplis evidentissime consequitur, ut Kiesslingii emendatio, qui libri V capite 48 (II, 170, 10), ubi verba sunt:

ἀλλὰ καὶ τοὺς βίους αὐτῶν — ἐπιδείκνυσθαι. ἐκεῖνος τοίνυν sqq., pro ἐπιδείκνυσθαι maluit ἐπιδεικνύναι, reicienda sit. Atque pariter libri XI capite 56 (IV, 162, 30), ubi legitur χιλιάρχους τε ἀντὶ τῶν ὑπάτων ἀποδείκνυτε, ἀριθμὸν αὐτῶν ὁρίσαντες, Porti emendatio ἀποδεικνύναι scribentis improbanda est: nam utraque mutatione hiatus prodit.

Ex tota igitur disputatione, quam ad finem iam perduximus, etsi facile conligi potest Dionysium utraque forma et δείκνυμι et δεικνύω usum esse, tamen, quod ad praesentis formas attinet, solas in μι exeuntes usitatas esse apparet. Itaque libri III capite 10 cum ceteris codicibus ἀποδείκνυτε scribendum esse persuasum habeo.

III, 35 (I, 271, 25).

Libri III capite 35 haec legimus: καὶ κατὰ δαίμονα τῆς ἡμέρας ἐκείνης χειμερίου σφόδρα γενομένης κατά τε ὄμβρον καὶ ζάλην καὶ σκότον: quae cum omnibus in codicibus sic scripta exstent atque sanae scripturae speciem prae se ferant, nemini offensioni fuerunt. Attamen aliquid in eis est contra Dionysianum usum loquendi dictum. In usu quidem apud scriptores Graecos et ὁ σκότος et τὸ σκότος fuisse notum est; testatur enim Thomas Magister p. 333, 9 Ritsch.: ὁ σκότος καὶ τὸ σκότος· τὸ δὲ σκοτία οὐκ ἐν χρήσει. Εὐριπίδης ἐν Φοινίσσαις· σκότος δεδορκώς, similiterque Photius II p. 166 Nab.: σκότος καὶ σκότον ἑκατέρως. οὕτως Ἀμειψίας. Non male autem scholiasta ad Hecubae Euripidis principium harum formarum usum distinxisse videtur, cuius haec verba sunt: γράφεται καὶ τὸ σκότος οὐδετέρως καὶ ὁ σκότος· καὶ τῷ μὲν οὐδετέρῳ χρῶνται οἱ κοινοί, τῷ δὲ ἀρσενικῷ οἱ Ἀττικοί. Aliter quidem, sed ut videtur vix recte, Moeris Atticista iudicavit haec habens p. 209, 29 Bekk.: σκότος οὐδετέρως Ἀττικοί, σκοτία Ἕλληνες, prorsus omisso genere masculino. Recentiore memoria de eodem vocabulo Valckenaerius ad Euripidis Phoenissarum v. 380 egit, de cuius sententia et neutrum et masculinum genus Atticis scriptoribus in usu fuit. Sed quod ad Dionysii loquendi consuetudinem attinet, exemplorum quae infra posui multitudo satis superque ostendere videtur, illum quidem semper τὸ σκότος genere neutro dixisse, quo scholiastae Euripidei praeceptum confirmatur ..

I, 65 (I, 80, 19) ἀνὰ τὸ σκότος

II, 41 (I, 164, 16) σκότους ὄντος ἤδη

II, 56 (I, 181, 28) ἡ ζάλη καὶ τὸ σκότος
II, 56 (I, 182, 8) τὸν ἥλιον καὶ σκότος
III, 8 (I, 220, 23) ὑπὸ σκότους
III, 21 (I, 242, 16) ὑπὸ τοῦ σκότους
V, 39 (II, 158, 23) τὸ σκότος
V, 42 (II, 162, 32) διὰ τὸ σκότος
VIII, 43 (III, 156, 3) σκότους ὄντος ἤδη
VIII, 85 (III, 212, 14) καὶ σκότος οἷον — γίνεται
IX, 4 (III, 228, 29) σκότους
IX, 55 (III, 306, 18) σκότους δ' ἐπιλαμβάνοντος
X, 10 (IV, 15, 18) ὑπὸ σκότους
X, 20 (IV, 30, 12) σκότους ἔτι ὄντος
X, 46 (IV, 70, 7) σκότους ὄντος ἤδη
XII, 2 (IV, 175, 20) σκότους ὄντος ἤδη
XVI, 3 (IV, 223, 7) ἀφελομένου δὲ τοῦ σκότους.

His igitur commotus exemplis etiam eo loco, a quo quaestio mea profecta est, pro καὶ σκότον ut καὶ σκότος scribatur suaserim.

III, 37 (I, 274, 15).

Ibi posita verba Dionysii, de quibus iam Grasbergerus egit in dissertatione Herbipolitana sua (a. 1868) p. 81, operae pretium videtur iterum tractare. Exstant illic apud Kiesslingium haec: καὶ νομίσαντες δι' ἀνανδρίαν οὐχ ἱκανὸν εἶναι πολέμου στρατηγεῖν. Conlatis autem alterius loci verbis libri IV capitis 45 (II, 64, 19), ubi codices omnes καὶ πολέμους στρατηγεῖν. ἱκανός praebent, loquendique ratione Polybii aliorumque scriptorum posteriorum communi comparata Grasbergerus Dionysium quoque στρατηγεῖν verbum semper cum accusativo construxisse opinatus est; quin eundem scriptorem idem verbum potuisse modo accusativo modo genetivo iungere prorsus negavit. Sed ille cum me iudice iusto levius hanc quaestionem tractarit, liceat mihi exemplis ex Antiquitatibus conquisitis omnibus rem, si fieri potest, absolvere. Omitti autem eum locum consentaneum est, ubi στρατηγεῖν habet vim fallendi, libri V cap. 29 (II, 147, 3): ὁ μὲν δὴ ταῦτ' ἔλεγε στρατηγῆσαι τὸν ἄνδρα διανοούμενος: ac fortasse hic recte Sylburgius eumque secutus Kayserus καταστρατηγεῖν, ut aliis exemplis, scribendum esse censuerunt. Vt igitur ad eum, a quo profecti sumus, locum revertamur, ibi quidem accusativum recte se habere, id quod Grasbergerus sensit, haec exempla docent:

III, 23 (I, 147, 9) ὁ δὲ ἀνὴρ οὗτος — ὡς κακῶς ἐστρατηγηκὼς τὸν πόλεμον
VIII, 78 (III, 203, 20) ἀνὴρ στρατηγῆσαι πολέμους τῶν τότε δεινότατος
IX, 31 (III, 272, 10) καὶ ὅτι ῥᾷστον ἁπάντων ἐστὶ λόγῳ στρατηγεῖν πολέμους ἔξω τοῦ δεινοῦ βεβηκότας:

quibus etiam XII, 7 (IV, 181, 32) verba διαστρατηγεῖν δὲ τὸν πόλεμον comparari possunt. Sed quid fiat duobus locis hisce: VIII, 13 (III, 116, 19) δίδωμι δέ σοι τὴν αἵρεσιν, εἴτε τῆς ὑπερορίου στρατιᾶς εἴτε τῆς ἐνθάδε ὑπομενούσης ἐθέλεις στρατηγεῖν, et XI, 42 (IV, 149, 3) ὡς καλῶς ἡμῶν ἐστρατηγήκατε —? Hos enim nemo puto corrigere audebit: ut erraverit Grasbergerus Dionysium στρατηγεῖν verbum cum genetivo iunxisse negans. Et tamen non dubito quin cum Grasbergero, vel ut rectius dicam cum Sinteni — nam hic primus Emend. Dionys. spec. III p. 3 usum στρατηγεῖν verbi tractavit — verba libri III capitis 37 in πολέμους στρατηγεῖν corrigenda sint. Nam πόλεμον στρατηγεῖν similiter dictum est atque πολεμεῖν πόλεμον; contra si στρατηγεῖν cum substantivo quale est στρατιά iungitur, genetivo opus est, quia ita praevalere στρατηγός substantivi notio videtur.

Huius autem verbi στρατηγεῖν cognitione instructi ad alium locum restituendum aggredimur, qui libri VIII cap. 79 (III, 204, 15) sic scriptus exstat: καὶ μετὰ ταῦτα Μάλλιος, ὁ ἐν τῷ Γαλατικῷ πολέμῳ στρατηγῶν e. q. s., ad quae Kiesslingius adnotavit: 'ὁ ἐν scripsi, ἐν libri.' Mihi tamen editiones Sylburgianam atque Reiskianam inspicienti Kiesslingius errasse videtur; adnotandum enim potius erat: 'ὁ ἐν scripsi, ὁ libri', cum illis in editionibus legamus καὶ μετὰ ταῦτα Μάλλιος, ὁ τῷ Γαλατικῷ πολέμῳ στρατηγῶν, ut Kiesslingius non ὁ articulum, sed ἐν praepositionem addidisse videatur. Utcunque res se habet, rectius atque secundum usum loquendi nescio an ὁ τὸν Γαλατικὸν πόλεμον στρατηγῶν scribendum sit, quae etiam lenior mutatio est.

III, 57 (I, 298, 6).

Libri III capite 57, quo quae bella Tarquinius cum Tuscis gesserit, Dionysius narrat, posita haec sunt: ἡ δὲ Ῥωμαίων δύναμις ἧς Ταρκύνιος ἡγεῖτο τὴν Οὐιεντανῶν κείρουσα καὶ λεηλατοῦσα χώραν — συνελθούσης ἐξ ἁπασῶν τῶν Τυρρηνίδων πόλεων μεγάλης τοῖς Οὐιεντανοῖς ἐπικουρίας εἰς μάχην καταστᾶσα νίκην ἀναμφίλογον αἵρεται. Quibus in verbis quamquam de codicum discrepantia nihil apud Kiesslingium adnotatum est necdum quisquam offendit, αἵρεται verbum potius in ἀναιρεῖται mutandum esse putaverim: non quo nesciam Graecis scriptoribus et νίκην αἵρεσθαι et νίκην ἀναιρεῖσθαι in usu fuisse, sed quod ceteris in locis Dionysii semper νίκην ἀναιρεῖσθαι exstare vidi, ut ex his quae subieci exemplis intellegitur:

I, 87 (I, 112, 24) ἀποθανόντος δ' ἐν τῇ μάχῃ τοῦ Ῥώμου νίκην οἰκτίστην ὁ Ῥωμύλος — ἀνελόμενος

III, 53 (I, 292, 15) ἐξ οὗ νίκην ἀναιρεῖται βασιλεὺς Ταρκύνιος ἐπιφανεστάτην

V, 47 (II, 168, 32) ἀπῄεσαν ἐπ' οἴκου λαμπροτάτην ἀνῃρημένοι νίκην

XI, 48 (IV, 156, 24) καὶ τῶν ἱππέων μεγάλην προθυμίαν παρασχομένων νίκην ἀναιρεῖται λαμπροτάτην.

Quamquam, si ab ipso νίκη vocabulo discesseris, ut apud alios scriptores, ita apud Dionysium quoque dupliciter dicta sunt talia: et πόλεμον, μάχην, ἀγῶνα ἀναιρεῖσθαι, ut V, 61. VIII, 37. VIII, 51, et πόλεμον vel ἀγῶνα αἵρεσθαι, v. c. III, 23. IX, 9. IX, 16. X, 27. XI, 1. Sed cum, ut iam dixi, praeter hunc unum, de quo agimus, locum νίκην αἵρεσθαι in Antiquitatibus non inveniatur, rectius, ut mihi quidem videtur, νίκην ἀναμφίλογον ἀναιρεῖται scribetur: lenissima id quidem post praegressas ON litteras mutatione.

IV, 47 (II, 68, 14).

Vidimus iam supra, cum de πρὶν ἢ et πρίν formis egimus, singularem Dionysii curam diligentiamque fuisse in concursu cum vocalium tum, si fieri potuit, consonantium vitando. Cuius rei observationem dum animum induco etiam ad alios locos transferre, quamvis suspicer nonnullis audaciorem me visurum esse, tamen facere non possum quin, quod pro explorato habeam, in medium proferam. θέλειν enim et ἐθέλειν verba Atticos quidem scriptores promiscue usurpasse, sed ita tamen ut ἐθέλειν verbum praeferrent, ex eis quae Lobeckius ad Phrynichum p. 7 disputavit, facile cognoscitur. Sed de eorundem verborum apud Dionysium usu aliud quiddam statuendum esse iam demonstrare conabor. Nam etsi is quoque verba illa promiscue usurpare solet, tamen si recte observavi, ex ultima vocis antecedentis littera ita pendere voluit, ut θέλειν forma utatur, ubi vox in vocalem exiens antecedit, ἐθέλειν vero, ubi in consonantem. Hanc autem utriusque formae distinctionem a librariis in codicibus saepius obscuratam esse non est profecto quod miremur. Et tamen exemplorum quae conquisivi multitudo satis superque sententiam meam firmare videtur. Compares velim hos locos:

II, 3 (I, 121, 22) ἄρχεσθαι θέλουσιν

IV, 22 (II, 31, 29) ἐὰν μὴ θέλωσιν

IV, 54 (II, 75, 24) ἐκεῖνοι θέλωcι
IV, 62 (II, 83, 32) ἀπεμπολῆcαι θέλουcα
V, 19 (II, 136, 12) χρήματα θέλῃ
V, 67 (II, 196, 29) μὴ θελήcωcι
V, 73 (II, 204, 3) ὅτι θέλοι
VI, 9 (II, 221, 25) πατρίδοc ἐθέλειν
VI, 80 (II, 307, 31) ἡμῖν ἐθελήcουcιν
VIII, 31 (II, 39, 5) ἂν ἐθέλωcιν
VIII, 13 (III, 116, 20) ὑπομενούcηc ἐθέλειc
VIII, 28 (III, 135, 13) κοινωνεῖν ἐθελήcει
VIII, 38 (III, 148, 24) εἰ θέλουcιν
VIII, 39 (III, 149, 17) ἐὰν ἐθελήcωcι (ita recte Kiesslingius Urbinatis scriptura ἐὰν θελήcωcι merito neglecta)
VIII, 41 (III, 152, 3) τὸ θέλειν
VIII, 41 (III, 152, 4) ἃ θέλομεν
VIII, 47 (III, 160, 24) κοινωνεῖν ἐθελήcειc
XI, 11 (IV, 106, 8) μὴ θέλονταc
XI, 41 (IV, 146, 27) μὴ θέλειν
XI, 61 (IV, 168, 30) τοῖc ἐθέλουcι
XIII, 9 (IV, 195, 15) τί θέλει
XIX, 10 (IV, 239, 9) αὐτοὶ θέλομεν.

Priusquam autem ad eos locos tractandos transeam, quos cum sententiae meae obstare videantur, antea consulto omisi, silentio praeterire nolo Lobeckium l. s. s. in libri IX capite 63, ubi Sylburgii suasu nunc cυνήγαγε τοὺc ἐθελοντὰc πεντακιcχιλίουc μάλιcτα ἄνδραc legitur, ἐθέλονταc codicum scripturam retinendam putare ut similibus exemplis satis firmatam. Illuc autem ut iam me convertam: quod in libri IV capite 31 (II, 47, 12) scriptum est εἰ τὰ δίκαια ποιεῖν ἤθελεc, IX, cap. 3 (III, 227, 28) ἐκπολιορκῆcαι τὸν χάρακα ἠθέληcαν, XII, cap. 13 (IV, 186, 8) ἐπικηρυκεύεcθαι πρὸc τοὺc πολιορκοῦνταc ἤθελον, ex his quidem exemplis nihil conligi posse apparet. At dubium esse non potest, quin libri VIII cap. 23 (I, 251, 21) verba παραcτῇ δὲ μηδενὶ ὑμῶν δέοc ἂν ταῦτα ἐθέλῃ πράττειν vitiosa sint: ubi ταῦτα θέλῃ reponendum esse vix erit quin mihi adsentiatur; nam ταῦτ' ἐθέλῃ, de quo forsitan quispiam cogitaverit, etsi falsum non est, minus placet. Nec verendum videtur ne in nimiae audaciae crimen incurram, qui contendam non modo libri IV cap. 47, ubi ἐὰν θελήcητε legitur, scribendum esse ἐὰν ἐθελήcητε — (supra vidimus libri VIII cap. 39 vitiosam scripturam ἐὰν θελήcωcι uno in codice B tradi —), sed etiam his quinque locis ἐθέλω verbi formas restituendas esse:

V, 68 (II, 198, 19) τοὺc μὲν θέλονταc
VI, 1 (II, 211, 17) μένειν θέλωcιν
VI, 57 (II, 279, 15) περὶ παντὸc θέλοντεc
VIII, 42 (III, 152, 25) πάντωc θέλετε
XI, 22 (IV, 120, 28) τοὺc θέλονταc.

IV, 71 (II, 95, 15).

In adnotatione critica tomi II p. XVI ad verba libri IV capitis 71 τὰ μὲν ἄλλα, ἔφη, ὀρθῶς ἐπιλογίζεσθαί μοι δοκεῖς, Ἰούνιε Kiesslingius codicis B scripturam ἔφησεν, quam praetervidérat, adfert. A qua profectus equidem Dionysium ἔφη et ἔφησεν formas ubique hoc consilio, ut tolleret hiatum, distinxisse idoneis ut puto argumentis demonstrare studebo. Nonnullis quidem in locis et in Chisiano et in Urbinate huius usus constantiam librariorum neglegentia turbatam esse non est quod miremur; nam solent in talibus ne optimi quidem codices scripturae integritatem servare. Cuius rei culpam non in Dionysium esse conferendam ingens multitudo exemplorum, quae servant regulam, sat certo ostendit. Haec igitur exempla e librorum ordine digesta iam proferam, ita quidem ut, quae mea quidem sententia corrigenda sunt, de eis postremo agam. Exstant autem, si recte observavi, haec:

I, 78 (I, 96, 22) ἔφη καί
I, 82 (I, 104, 32) ἔφη τὸν καιρόν
II, 3 (I, 119 29) ἔφη ταῖς
II, 3 (I, 120, 31) ἔφη τε
II, 3 (I, 121, 14) ἔφη πολλάς
II, 3 (I, 121, 24) ἔφη πρός
II, 4 (I, 122, 21) ἔφη βασιλείας
II, 61 (I, 187, 20) ἔφη γενέσθαι
II, 61 (I, 187, 26) ἔφη διδάσκεσθαι
II, 63 (I, 190, 10) ἔφη παραγινόμενος
III, 3 (I, 213, 10) ἔφη, τούς
III, 3 (I, 213, 23) ἔφη, τοῦτο
III, 16 (I, 234, 7) ἔφη τούς
III, 17 (I, 235, 25) ἔφη, πρᾶγμα
III, 17 (I, 236, 15) ἔφη, καί
III, 21 (I, 242, 6) ἔφη, τήν
III, 24 (I, 253, 9) ἔφησεν, ὦ Τύλλε
III, 30 (I, 263, 5) ἔφησεν αὐτῷ
III, 48 (I, 285, 24) ἔφη τῷ
III, 60 (I, 300, 27) ἔφησεν, ἐφ' οἷς
III, 60 (I, 300, 19) ἔφη παρ' αὐτῶν
III, 71 (I, 314, 4) ἔφη, καιρός
IV, 23 (II, 32, 8) ἔφη, τῶν
IV, 23 (II, 32, 24) ἔφη καί,
IV, 23 (II, 33, 14) ἔφη τούς
IV, 27 (II, 40, 24) ἔφη τιμωριῶν
IV, 29 (II, 42, 26) ἔφησεν, ὦ Ταρκύνιε
IV, 30 (II, 46, 8) ἔφη τά
IV, 30 (II, 46, 10) ἔφη, βουλευταί
IV, 37 (II, 53, 32) ἔφησεν. ὅτι
IV, 37 (II, 54, 13) ἔφησεν ἀφίστασθαι
IV, 46 (II, 66, 19) ἔφη καί
IV, 47 (II, 67, 4) ἔφη δεῖν
IV, 47 (II, 67, 20) ἔφη, Τύρνος
IV, 48 (II, 68, 21) ἔφη δέχεσθαι
IV, 48 (II, 68, 23) ἔφη δεῖν
IV, 57 (II, 78, 7) ἔφη βούλεσθαι
IV, 57 (II, 78, 27) ἔφη, καί
IV, 58 (II, 79, 28) ἔφη τήν
IV, 60 (II, 81, 18) ἔφησεν, ὦ χρήζετε
IV, 60 (II, 81, 27) ἔφησεν, ὦ ἄνδρες
IV, 65 (II, 88, 11) ἔφη, χαρίσασθαι
IV, 66 (II, 89, 15) ἔφη γίνομαι
IV, 66 (II, 89, 21) ἔφη, συμφοράς
IV, 70 (II, 93, 32) ἔφη δεῖν
IV, 70 (II, 94, 2) ἔφη. ταῦτ'
IV, 84 (II, 109, 19) ἔφη, τά

V, 8 (II, 121, 16) ἔφη καταδικάζειν
V, 9 (II, 122, 23) ἔφησεν αὐτοῖς
V, 9 (II, 123, 20) ἔφησεν, ἐπεί
V, 9 (II, 123, 23) ἔφη, ζῶντος
V, 19 (II, 135, 29) ἔφη, βάλλειν
V, 30 (II, 148, 5) ἔφη, ποιήσαιο
V, 30 (II, 148, 8) ἔφησεν αὐτόν
V, 60 (II, 186, 29) ἔφη παρά
V, 66 (II, 194, 32) ἔφη καλῶς
V, 67 (II, 196, 7) ἔφη δεῖν
V, 67 (II, 196, 17) ἔφη, ψυχῇ
V, 67 (II, 196, 21) ἔφη τοῖς
V, 68 (II, 197, 11) ἔφη δεῖν
V, 68 (II, 198, 26) ἔφη, καί
V, 71 (II, 202, 11) ἔφη γάρ
VI, 16 (II, 231, 16) ἔφησεν αὐτοῖς
VI, 21 (II, 237, 19) ἔφη, τά
VI, 21 (II, 237, 27) ἔφη, παντός
VI, 24 (II, 241, 12) ἔφη, πέρα
VI, 25 (II, 243, 13) ἔφη δεῖν
VI, 26 (II, 243, 25) ἔφη, γεννηθείς
VI, 30 (II, 249, 25) ἔφη παρά
VI, 60 (II, 283, 19) ἔφη καί
VI, 68 (II, 292, 3) ἔφησεν, ὅτι
VI, 69 (II, 293, 18) ἔφη τό
VI, 72 (II, 296, 23) ἔφη δεῖν
VI, 72 (II, 297, 32) ἔφησεν εἶναι
VI, 94 (II, 325, 16) ἔφη καί
VII, 7 (III, 9, 28) ἔφη βούλεσθαι
VII, 7 (III, 10, 16) ἔφη τετιμωρῆσθαι
VII, 8 (III, 11, 4) ἔφη πρίν
VII, 16 (III, 22, 5) ἔφη, μέμνησθ' ὅτι
VII, 16 (III, 22, 9) ἔφησεν ὁ Γεγάνιος
VII, 16 (III, 22, 19) ἔφησεν, ὦ δημόται
VII, 17 (III, 23, 24) ἔφη, κύριοι
VII, 17 (III, 23, 30) ἔφη, τήν
VII, 33 (III, 41, 17) ἔφησεν, εἴ τις
VII, 33 (III, 41, 19) ἔφη μετά
VII, 36 (III, 45, 8) ἔφη. τήν
VII, 49 (III, 59, 28) ἔφη πεποιῆσθαι
VII, 50 (III, 60, 18) ἔφη δεῖν
VII, 61 (III, 78, 14) ἔφη προδώσειν
VII, 68 (III, 88, 3) ἔφη δόξαι
VII, 68 (III, 88, 17) ἔφη ποιήσασθαι
VII, 68 (III, 88, 28) ἔφη καθ' ἡδονήν
VIII, 1 (III, 102, 22) ἔφη, τοῦτο
VIII, 2 (III, 103, 4) ἔφη, τιμήν
VIII, 2 (III, 103, 22) ἔφη, καί
VIII, 13 (III, 115, 28) ἔφη δ' οὖν
VIII, 36 (III, 145, 24) ἔφησεν· εἴτε
VIII, 39 (III, 149, 22) ἔφησεν ἡ Οὐαλερία
VIII, 45 (III, 157, 31) ἔφησεν ἐρεῖν
VIII, 70 (III, 191, 30) ἔφη καί
VIII, 70 (III, 192, 1) ἔφη ποιήσειν
VIII, 71 (III, 194, 4) ἔφη νόμῳ
VIII, 87 (III, 216, 15) ἔφη προδώσειν
VIII, 87 (III, 216, 23) ἔφη προσέξειν
IX, 1 (III, 225, 16) ἔφη συγχωρήσειν
IX, 10 (III, 238, 2) ἔφησεν, ὦ ὕπατος
IX, 17 (III, 252, 6) ἔφη δὲ τοῦτ'
IX, 33 (III, 275, 10) ἔφη δὲ δεῖν
IX, 37 (III, 281, 23) ἔφη μόνως
IX, 44 (III, 290, 16) ἔφησεν αὐτούς
IX, 50 (III, 298, 20) ἔφη χρήσεσθαι
IX, 51 (III, 300, 2) ἔφη δοκεῖν
IX, 51 (III, 300, 10) ἔφη τε
IX, 51 (III, 300, 26) ἔφη, γνώμην
IX, 52 (III, 301, 16) ἔφησεν, ὦ Οὐαλέριε
IX, 54 (III, 304, 31) ἔφη ποιήσειν
IX, 57 (III, 309, 31) ἔφη γάρ
X, 9 (IV, 13, 11) ἔφη δ' ὁ
X, 9 (IV, 13, 20) ἔφη τούς
X, 15 (IV, 23, 14) ἔφη τούς
X, 17 (IX, 26, 23) ἔφη δεῖν
X, 18 (IV, 28, 23) ἔφη κρατουμένους
X, 18 (IV, 28, 26) ἔφη, πᾶσαν
X, 18 (IV, 29, 2) ἔφη χαριεῖσθαι

X, 19 (IV, 29, 30) ἔφη τό
X, 24 (IV, 28, 30) ἔφη cπένδεcθαι
X, 25 (IV, 39, 25) ἔφη δεδωκέναι
X, 29 (IV, 45, 12) ἔφηcεν, ὦ πολῖται
X, 30 (IV, 46, 14) ἔφηcεν ἐρεῖν
X, 36 (IV, 55, 29) ἔφη δ' οὖν
X, 40 (IV, 60, 29) ἔφη πάντα
X, 44 (IV, 66, 32) ἔφηcεν. ἀλλ'
X, 49 (IV, 73, 14) ἔφη, Μάρκον
X, 52 (IV, 77, 21) ἔφη, ταύτην
X, 52 (IV, 77, 27) ἔφη τήν
XI, 4 (IV, 97, 7) ἔφηcεν ὁ Οὐαλέριος
XI, 15 (IV, 109, 27) ἔφηcεν, ὦ Κλαύδιε
XI, 21 (IV, 118, 26) ἔφη· περί
XI, 30 (IV, 132, 12) ἔφη τόν
XI, 30 (IV, 132, 21) ἔφη τε
XI, 30 (IV, 133, 15) ἔφη, λόγων
XI, 34 (IV, 137, 20) ἔφη πολλούς
XI, 40 (IV, 145, 25) ἔφη, προπηλακίζουcιν
XI, 44 (IV, 152, 5) ἔφη δεῖν
XI, 52 (IV, 159, 3) ἔφη παρακεχωρημένον
XI, 56 (IV, 162, 16) ἔφηcεν, ἡλίκων
XI, 57 (IV, 164, 12) ἔφη τῶν
XI, 57 (IV, 164, 19) ἔφη πολιτευμάτων
XI, 57 (IV, 164, 25) ἔφη θαυμάζειν
XI, 58 (IV, 165, 25) ἔφη, πᾶcαν
XI, 59 (IV, 166, 20) ἔφη μή
XI, 59 (IV, 166, 21) ἔφη τε
XII, 1 (IV, 174, 32) ἔφη μηνυτήν
XII, 2 (IV, 176, 1) ἔφη, κελεύει
XII, 2 (IV, 176, 24) ἔφη, δημοτικοί
XII, 11 (IV, 184, 13) ἔφη τῆc
XII, 11 (IV, 184, 17) ἔφηcεν, ἐcτίν
XII, 13 (IV, 186, 16) ἔφηcεν, ὦ Ῥωμαῖοι
XIII, 1 (IV, 189, 10) ἔφη· βεβουλεῦcθαι
XIX, 5 (IV, 235, 13) ἔφηcεν, ἕωc
XIX, 5 (IV, 235, 19) ἔφηcεν, ἀγανακτήcητε
XIX, 8 (IV, 237, 18) ἔφη, πολῖται
XX, 4 (IV, 258, 17) ἔφη μέγαν
XX, 6 (IV, 261, 12) ἔφη θεωρεῖν.

Consulto igitur Dionysium ἔφη et ἔφηcεν formas ita distinxisse, ut hiatum vitaret, si quis magnum exemplorum cumulum quem coacervavimus perlustraverit, non vereor ne mihi non concessurus sit. Sed restant loci eique non pauci, quibus medela adhibenda est. Nam ut quattuor exempla, ubi ἔφηcε pro ἔφη legitur, tolerari posse largiamur:

V, 68 (II, 197, 24) ἔφηcε τούς
XI, 5 (IV, 98, 12) ἔφηcε. θᾶττον
XI, 60 (IV, 168, 4) ἔφηcε, δυεῖν
XII, 2 (IV, 176, 10) ἔφηcε δεῖν

(quamquam pro ἔφηcε δεῖν duodecim locis rectius ἔφη δεῖν scriptum exstat): tamen nemo puto Dionysium haec scripsisse sibi persuadebit, quae iam proferam. In libri enim III capite 71 (I, 314, 21), ubi apud Kiesslingium legitur παῖε θαρρῶν, ἔφη, ὦ Ταρκύνιε, aut scribendum est ἔφη, Ταρκύνιε, quod in Reiskiana exstat, aut ἔφη in ἔφηcεν mutandum, prorsus ut libri IV c. 29 ἄρ', ἔφηcεν, ὦ Ταρκύνιε proditum est. Altero autem loco libri IV c. 39 (II, 56, 27) τὰ μὲν πρῶτα, ἔφη, ὦ Ταρκύνιε, πέπρακταί coι κατὰ τὸ δέον verba, quae eodem vitio laborant, mea qui-

dem sententia codicis B auctoritate emendanda sunt, qui versu 27 ὦ Ταρκύνιε vocibus omissis proximo versu post πέπρακταί cοι insertum habet Ταρκύνιε. Atque eandem ἔφηcεν pro ἔφη formam quamvis non fluctuantibus codicibus etiam his locis restituendam esse, ut foedissimus hiatus tollatur, quis negaverit?

VII, 49 (III, 59, 23) ἔφη, ἔγνωcαν
VII, 68 (III, 88, 9) ἔφη ἀναcτάc
VIII, 11 (III, 114, 2) ἔφη· ἃ μέν
VIII, 73 (III, 196, 26) ἔφη, ὁ φθόνοc
IX, 45 (III, 291, 18) ἔφη, ἥδε
X, 27 (IV, 43, 5) ἔφη. ἀλλ'
XI, 56 (IV, 163, 8) ἔφη, ἃ καὶ τοῖc.

His igitur omnibus locis pro ἔφη proprium Dionysii usum dicendi ἔφηcεν formam requirere persuasum habeo. Restat ut locum tractem, quem antea consulto omisi. Legimus enim libri V cap. 65 (II, 193, 26) apud Kiesslingium haec verba: τελευτῶν δ' ἔφη ὡc εἰ καὶ μηδὲν ἐπεχείρουν ἐκεῖνοι — λέγειν. Quae si sic scripta in codicibus exstarent, hiatus caussa haud dubie corrigenda essent. Sed cum codices pro τελευτῶν δ' ἔφη, quod Kiesslingius de sua coniectura scripsit, quam immerito probavit Kayserus in censura Fleckeiseni Annal. tomo XCIII (a. 1866) inserta p. 37, praebeant ἔφη τε λέγων, quaeritur num alio et fortasse leniore modo verba emendari ita possint ut item hiatus vitetur. Ac sane mirum est, quod Kiesslingius, quamquam τε λέγων rectissime in τελευτῶν mutavit, verum non vidit. Etenim scribendum erat potius ἔφη δὲ τελευτῶν, quod quominus ille in textum reciperet, aliis nisi fallor locis se prohibitum sensit, ut

VI, 69 (II, 293, 18) τελευτῶν ἔφη
IX, 37 (III, 281, 23) καὶ τελευτῶν ἔφη
X, 17 (IV, 26, 23) τελευτῶν ἔφη δεῖν
XI, 59 (IV, 166, 20) τελευτῶν ἔφη μὴ δύναcθαι.

Qui si verba libri XI cap. 30 (IV, 133, 5) respexisset, quae sunt καὶ πολὺν ἐκ τῶν παρόντων κινήcαc ἔλεον περὶ τοῦ χρόνου τῆc δίκηc ἔφη τελευτῶν· ἐπειδὴ e. q. s., ubi eodem modo, ne hiatus fieret, τελευτῶν postpositum est, etiam eo de quo agimus loco ἔφη δὲ τελευτῶν scripsisset. Nam in ἔφη verbo, quod in sententiae principio conlocatum est, offensionem non esse haec exempla documento sunt:

IX, 33 (III, 275, 10) ἔφη δὲ δεῖν
IX, 57 (III, 309, 31) ἔφη γὰρ ὅτι
X, 9 (IV, 13, 11) ἔφη δ' ὁ μὲν
X, 36 (IV, 55, 29) ἔφη δ' οὖν παρελθών.

V, 60 (II, 187, 26).

Libri V cap. 60 exeunte (II, 187, 26) verba leguntur omnibus in codicibus sic scripta: τοῖς δὲ ἄλλοις ἅπασιν ἀπέδωκε τήν τε πόλιν ἔχειν καὶ τὰ χρήματα, γῆν τε αὐτῶν ἀπετέμετο τὴν ἡμίσειαν, ἣν ἐκληρούχησαν e. q. s. Ibi Sintenis Dionysii ratione dicendi recte observata in Spec. II emend. Dionys. p. 11 γῆς δ' αὐτῶν scribi voluit verbis libri VI c. 20 (II, 235, 28) conlatis: τὴν μὲν ἄδειαν ἅπασι συγκεχωρῆσθαι — τῆς δὲ γῆς τὴν ἡμίσειαν ἀφαιρεθῆναι. Sed etsi Kiesslingius partem huius emendationis probavit, cum γῆς τε αὐτῶν ἀπετέμετο τὴν ἡμίσειαν in textum recipi iuberet (est enim γῆν accusativus, qui in textu ipso legitur, in γῆς genetivum mutandus, ut intellegitur ex erratis typographicis), tamen ne sic quidem verba ita constituta sunt ut ratio dicendi requirit; multitudine enim exemplorum demonstrabo semper articulum addi:

II, 15 (I, 134, 17) καὶ τῆς οὐσίας αὐτῶν τὴν ἡμίσειαν εἶναι δημοσίαν
II, 54 (I, 178, 11) τῆς τε χώρας τὴν ἡμίσειαν ἀποτεμόμενος
IV, 25 (II, 36, 15) τὴν ἡμίσειαν τῆς ἐξουσίας ἀφελόμενος
IV, 62 (II, 84, 7) δόξασα δὲ ἄφρων τις εἶναι — ἀπελθοῦσα πάλιν τὰς ἡμισείας τῶν ἀπολειπομένων κατέκαυσε
V, 49 (II, 172, 9) ἄγων τὴν ἡμίσειαν τῆς ἑτέρας στρατιᾶς
V, 58 (II, 184, 15) Οὐετούριος δὲ τὴν ἡμίσειαν τῆς στρατιᾶς ἐπαγόμενος
V, 59 (II, 185, 19) ἐτάχθη ὑπὸ τῆς βουλῆς τὴν ἡμίσειαν τῆς στρατιᾶς ἔχων
VI, 20 (II, 235, 28) τῆς δὲ γῆς τὴν ἡμίσειαν αὐτοὺς ἀφαιρεθῆναι
VI, 88 (II, 318, 20) τῶν δὲ παρὰ τῆς βουλῆς ἀφιγμένων οἱ μὲν ἡμίσεις — εἰς τὴν πόλιν ὑπέστρεψαν
VII, 5 (III, 7, 1) ὁ βασιλεὺς τῶν Τυρρηνῶν Πορσίνας — δοὺς τὴν ἡμίσειαν τῆς στρατιᾶς
IX, 5 (III, 230, 2) ἀπέλυσαν τῆς ἀποσταλείσης δυνάμεως τὴν ἡμίσειαν
X, 53 (IV, 78, 15) τῶν δ' ἄλλων πολιτῶν ἀμφὶ τοὺς ἡμίσεις μάλιστα διεφθάρησαν
XX, 15 (IV, 268, 7) οἱ Βρέττιοι τὴν ἡμίσειαν τῆς ὀρεινῆς παρέδωκαν αὐτοῖς.

Duos tamen locos sciens praetermisi: V, 36 et XI, 47, ubi τὴν ἡμίσειαν τῆς στρατιᾶς μοῖραν et τὴν ἡμίσειαν τοῦ στρατοῦ μοῖραν legitur. Quae cum ita sint, libri V c. 60 non modo γῆν accusativus in γῆς mutandus est, sed τῆς articulo addito et τὲ in δὲ correcto totus locus sic potius scribendus est: τοῖς δὲ

ἄλλοιc ἅπαcιν ἀπέδωκε τήν τε πόλιν ἔχειν καὶ τὰ χρήματα, τῆc δὲ γῆc ἀπετέμετο τὴν ἡμίcειαν.

V, 68 (II, 198, 29).

Quae caussa fuerit, cur Kiesslingius pro scriptura codicis B, qui libri VI cap. 75 exeunte μεγάλα φρονούcαc exhibet (de codicis A scriptura nihil adnotatum est), emendationem Sintenisianam μέγα φρονούcαc sequeretur, libri autem V cap. 68 extremo μεγάλα φρονεῖν cum eodem non mutaret, non apparet. Et quamvis ante me iam Sintenis de plurimis Dionysii locis, ubi vel μέγα φρονεῖν vel μεγάλα φρονεῖν legitur, disputaverit, tamen cum miro modo locum neglexerit qui minime erat neglegendus, iterum et accuratius quidem, ut spero, singula tractare operae pretium esse putavi. Cum autem Sintenis in Emendat. Dionys. spec. II p. 34 Cobeti verbis, quae in Variarum lectionum p. 232 scripsit, commotus sit, ut ubique μεγάλα φρονεῖν in μέγα φρονεῖν apud Dionysium mutandum esse contenderet, primum ipsa Cobeti verba afferam quae haec sunt: 'Attici dicebant constanter omnes μέγα φρονεῖν, μεῖζον, μέγιcτον φρονεῖν, ut ταπεινὸν, cμικρὸν φρονεῖν, neque μεγαλοφρονεῖν et multo minus μεγαλοφρονεῖcθαι, quod plane barbarum est et verbo χαίρομαι simillimum. Graeculi dicebant μεγάλα, μείζω, μέγιcτα φρονεῖν, et saepissime μεγαλοφρονεῖν, unde passim factum est, ut istae sordes labentis Graecitatis in antiquitatis monumenta se insinuarent, saepe a criticis expulsae, saepius expellendae.' Quibuscum comparanda sunt, quae idem Nov. lect. p. 269 et p. 643 disputavit. Sed diu ante Cobetum iam Lobeckius in commentario Soph. Aiacis ad versum 1120, ubi codices deteriores cμικρὰ φρονεῖν praebent, de hoc genere copiosius disputavit, et praeter multos aliorum scriptorum locos etiam Dionysii libri V cap. 68 verba attulit, ut μεγάλα φρονεῖν a Graecis dictum esse ostenderet. Sed transeamus ad Dionysium ipsum, apud quem num μεγάλα φρονεῖν tolerari possit, iam ita quaerendum est ut, cum in solis exemplis vis omnis argumentationis consistat, haec proferamus omnia. Legimus igitur apud Dionysium haec:

I, 6 (I, 8, 20) μέγα φρονεῖν
IV, 29 (II, 43, 5) μέγα φρονεῖν
VI, 51 (II, 273, 25) μέγα φρονεῖν
VI, 59 (II, 281, 24) μέγα φρονῶν
VI, 75 (II, 302, 1) μέγα φρονούcαc (ubi B μεγάλα φρονούcαc)
VI, 92 (II, 322, 25) μέγα φρονοῦντεc
VI, 93 (II, 325, 2) μέγα φρονοῦντεc

VIII, 1 (III, 102, 12) μέγα φρονοῦντος
VIII, 83 (III, 210, 11) μέγα φρονήσαντες
IX, 6 (III, 230, 31) μέγα ἐφρόνουν
IX, 51 (III, 300, 20) μέγα φρονεῖν
X, 49 (IV, 74, 8) μέγα φρονοῦντος
X, 60 (IV, 88, 28) μέγα φρονεῖν
XI, 49 (IV, 157, 6) μέγα φρονοῦσιν
XVII, 4 (IV, 229, 8) μέγα φρονῶν.

His igitur praeter unum locis omnibus apparet codices non variare; nam quod in veteribus editionibus saepius falso μεγάλα φρονεῖν legitur, nihil ad rem. Eorum autem locorum multitudinem si quis consideraverit, non dubito quin cum Sinteni atque Kiesslingio et libri V c. 68 et VI c. 75 contra codicis B memoriam potius μέγα φρονεῖν scripturam amplexurus sit. Et tamen Sintenisiana disputatio eo laborat, quod comparativorum et superlativorum exempla prorsus neglexit. Nam etiamsi μεῖζον sine codicum discrepantia X, 25 (IV, 40, 18) μεῖζον φρονῶν et XI, 31 (IV, 134, 21) μεῖζον φρονῶσι, item μέγιστον II, 17 (I, 136, 6) μέγιστον φρονούντων, II, 63 (I, 190, 1) μέγιστον φρονοῦσαι, XIX, 15 (IV, 245, 9) μέγιστον φρονῶ legitur, tamen unus locus relinquitur, quem nemo adhuc corrigere ausus est, a Sinteni ne commemoratus quidem. Exstant enim V, 8 (IV, 120, 32) haec verba: ἔργα — μεγάλα καὶ θαυμαστὰ λέγειν ἔχων, ἐφ' οἷς μέγιστα φρονοῦσι Ῥωμαῖοι. Itaque aut hoc quoque loco μέγιστον scribendum est, aut me quidem iudice μεγάλα φρονεῖν, ubi tradatur, servandum est. Et ut similia quaedam addam, nonne habemus VII, 53 (III, 66, 10) ἀνόσια φρονοῦντας, VIII, 1 (III, 102, 17) μέτρια φρονῆσαι, X, 45 (IV, 68, 7) ἐλεύθερα φρονεῖν? Sed ne sic quidem hanc quaestionem ad finem perductam esse puto; in promptu enim sunt apud Dionysium etiam aliae verborum compositiones, quae respiciendae erant. An quis negabit μέγα et μεγάλα δύνασθαι, quae his locis traduntur: IV, 9 (II, 13, 24) μέγιστον δυναμένους, VIII, 77 (III, 201, 7) μέγα δυνάμενοι, X, 5 (IV, 6, 20) μέγιστον δυνάμενος, X, 41 (IV, 62, 23) μεγάλα δυνάμενος, apte comparari posse? Praeterea cum non modo III, 25 (I, 254, 9) μέγα ἐμβοήσαντες, V, 42 (II, 163, 7) μέγα ἀναβοήσαντες, VII, 37 (III, 44, 1) μέγα ἐμβοήσαντες, IX, 3 (III, 227, 31) μέγα ἐμβοήσαντες scriptum exstet, sed etiam μεγάλα ἀναβοήσας XII, 2 (IV, 176, 23) legatur, facere non possum quin contra Sintenim et μεγάλα φρονεῖν et μέγιστα φρονεῖν, quod facile quispiam corrigere animum inducat, retinendum esse contendam. Quamquam μεγαλοφρονῶν, quod codices XI, 4 (IV, 96, 27) praebent, cum Kiesslingio in μέγα φρονῶν (vel

facilius etiam in μεγάλα φρονῶν) propterea mutaverim, quod verbi compositi illius aliud apud Dionysium exemplum omnino non exstat.

VI, 16 (II, 230, 31).

Libri VI cap. 16 cum verba: ὡς δὲ ταύτῃ προσέθεντο τῇ γνώμῃ, καὶ οἱ προχειρισθέντες ὑπ' αὐτῶν πρέσβεις ἀφικόμενοι πρὸς τὸν δικτάτορα καὶ παραχθέντες ἐπὶ τὴν ἐκκλησίαν διηγοῦντο τοὺς ἐξαπατήσοντας λόγους, ὀλίγον ἐπισχὼν ὁ Ποστόμιος χρόνον e. q. s., qualia exstant apud Kiesslingium, primum legi atque adnotationem criticam inspexi, e qua et Chisiani et Urbinatis scripturam esse ἐξῆγον intellexi, satis mirari non potui Cobetum pro ἐξῆγον, cui hic nullus sane locus, διηγοῦντο proposuisse nec ἐξηγοῦντο potius, quod facillimum erat coniectando assequi; postea tamen ipsum hoc ἐξηγοῦντο iam in editione Reiskiana esse vidi. Quae autem caussa fuerit, cur Cobetus ἐξηγοῦντο repudiaret, ex Nov. lect. p. 289 intellegimus, ubi de διοικίζειν et ἐξοικίζειν verbis egit. Cui Cobeti iudicio Kiesslingius primum obsecutus διηγοῦντο, ut vidimus, in textum recepit; postea tamen in programmate Basiliensi p. 15 sententia mutata pro ἐξῆγον potius ἐξήνεγκον scribendum esse opinatus est, quod Cobeti emendatio non modo violentior esset, sed ne apta quidem ad dicendi usum Dionysii proprium. Et hoc quidem ille suo iure. Cobetus igitur et Kiesslingius inter se consentiunt de reiciendo ἐξηγεῖσθαι verbo: quorum ad sententiam non possum quin ipse accedam, cum praeter unum locum l. III cap. 8 ἐξηγεῖσθαι semper idem valere videatur atque 'interpretari, explicare,' neque usquam, si recte observavi, λόγον ἐξηγεῖσθαι dictum sit. Compares velim

I, 20 (I, 24, 6) ἐξηγούμενος τὸ λόγιον
II, 10 (I, 128, 19) ἐξηγεῖσθαι τὰ δίκαια
II, 22 (I, 141, 26) ἐξηγουμένων τὰ θεῖα
II, 64 (I, 190, 30) ἐξηγουμένοις τὰ θεόπεμπτα σημεῖα
V, 57 (II, 183, 31) ὑπὸ τῶν ἐξηγουμένων τὰ θεῖα
X, 57 (IV, 85, 15) τὰ θεῖα ἐξηγησαμένων.

Codices igitur quod praebent ἐξῆγον, id vero non esse in ἐξήνεγκον cum Kiesslingio mutandum, satis ex eis apparet, quae de aoristis φέρω verbi supra disputavimus: forma est enim a Dionysii usu prorsus aliena. Quo accedit quod Kiesslingius ne uno quidem exemplo locutionem quae est λόγον ἐκφέρειν firmare potuit: nam aliud est λόγον ἐκφέρειν, aliud λόγῳ ἐκφέρειν τι.

Atque nunc demum disputatio eo esse deducta videtur, ut quid novi ipse habeam, in lucem proferam. Nam si scripturae vestigia, quae haec sunt ἐπὶ τὴν ΕΚΚΛΗCΙΑΝΕΞΗΓΟΝ τοὺc ἐξαπατήcονταc λόγουc, consideraveris, non nimis difficilem concedes hanc coniecturam esse: ἐπὶ τὴν ΕΚΚΛΗCΙΑΝΔΙΕΞΗΛΘΟΝ τ. ἐ. λ.: praesertim cum λόγουc διεξελθεῖν apud Dionysium usitatissimum sit, cuius rei pauca haec exempla documento sint:

IV, 8 (II, 13, 4) καὶ λόγον διεξῆλθε τοιόνδε
IV, 26 (II, 38, 14) λόγον διεξῆλθε παρακλητικόν
IV, 46 (II, 66, 1) καὶ πολλοὺc ὑπὲρ ἀμφοτέρων διεξῆλθε λόγουc
VII, 21 (III, 29, 7) λόγον διεξῆλθε κατὰ τοῦ δήμου τοιόνδε
VII, 54 (III, 67, 14) καὶ λόγον διεξῆλθε
IX, 47 (III, 293, 13) διεξελθὼν δὲ τὸν ὑπὲρ τοῦ δήμου λόγον
IX, 51 (III, 299, 29) καὶ λόγουc διεξῆλθον ἐπιεικεῖc
X, 15 (IV, 23, 30) καὶ λόγον εὐπρεπῆ διεξελθών
X, 22 (IV, 35, 14) κἀκεῖνοι τοὺc ἐπιcταλένταc ὑπὸ τῆc βουλῆc λόγουc διεξῆλθον
X, 30 (IV, 46, 30) καὶ μακρὸν διεξελθὼν λόγον
X, 55 (IV, 81, 31) καὶ φιλανθρώπουc διεξῆλθε λόγουc
XI, 16 (IV, 111, 9) καὶ πολιτικοὺc διεξελθεῖν λόγουc
XI, 19 (IV, 114, 32) ὁ δὲ ἀναcτὰc τοιούτουc διεξῆλθε λόγουc.

Horum enim exemplorum numerum, quibus emendationem meam non fieri praeter loquendi consuetudinem Dionysii probatur, iam augere nolo, sed potius aliam quandam Kiesslingii opinionem refutabo. Prorsus enim immerito ille cum libri VII c. 45 (III, 55, 30) τοcαύταc δὲ ἀρετὰc — ἃc οὐδ᾽ ἐν πολλῷ πάνυ χρόνῳ διελθεῖν ῥᾴδιον, tum VII, 58 (III, 73, 27) καὶ πολλὰ ἐγκώμια τῆc βουλῆc διελθόντεc, pro διελθεῖν scribendum esse διεξελθεῖν sibi persuasit. Num vero loci, quales habes VII, 62 (III, 79, 5) διῆλθεν ὅcαc ἐcτρατευμένοc ἦν — cτρατείαc, IX, 41 (III, 286, 10) παντοδαποὺc διῆλθον λόγουc, IX, 46 (III, 292, 17) καὶ διῆλθε ὑπὲρ τοῦ δήμου λόγον, prorsus fugerunt Kiesslingium? Atque Kayserus quoque in censura tomi III editionis Kiesslingianae, quae exstat in Fleckeiseni Annalium tomo LXXXXVII (a. 1868) p. 812, illas Kiesslingii mutationes ut falsas redarguit, conlato quidem ὀλίγα διελθεῖν, quod exemplum initio cap. 73 libri VII legitur.

VII, 19 (III, 26, 12).

T. Geganio Macerino P. Minucio consulibus cum gravis fames ex secessione orta Romanos afficeret et domesticae discordiae, quae a capite primo libri VII usque ad caput 19 a Dionysio

pluribus enarrantur, Romae non desinerent, dilectus habitus est, ut exercitus extra Romani agri fines mitteretur. Dux autem huius exercitus C. Marcius fuit qui Coriolos ceperat, καὶ οἱ πλεῖστοι (sic enim pergit scriptor p. 26 v. 11) τῶν συναραμένων τὰ ὅπλα δημοτῶν τοῦτον ἐξιόντα ὁρῶντες ἐπερρώσθησαν, οἱ μὲν δι' εὔνοιαν, οἱ δὲ τοῦ κατορθώσειν ἐλπίδι. Quae verba, quamquam de codicum discrepantia nihil adnotatum est, tamen habent quae me offendant. Ceteris enim locis comparatis Dionysium συναίρεσθαι verbum non cum accusativo, sed cum genetivo semper construxisse docemur. Videamus igitur, qualia sint, quae infra posita sunt exempla:

I, 9 (I, 11, 13) Ἑλλήνων τινὲς ἀναμιχθέντες αὐτοῖς συνήραντο τοῦ — πολέμου
I, 20 (I, 24, 22) συνάρασθαι σφίσι τῆς διεξόδου
I, 27 (I, 32, 19) τοῖς συναραμένοις τοῦ στόλου
I, 47 (I, 57, 23) τῶν συναραμένων αὐτοῖς τοῦ πολέμου
IV, 83 (II, 107, 32) συναροῦνται τοῦ πολέμου
V, 21 (II, 137, 23) συνήρετο δ' αὐτῷ τοῦ πολέμου
VI, 3 (II, 214, 19) συναρουμένων σφίσι τοῦ πολέμου
VI, 25 (II, 242, 9) συνάρασθαι τοῦ πολέμου
VI, 28 (II, 246, 26) συνάρασθαι τῆς στρατείας αὐτῷ
VI, 29 (II, 247, 23) αὐτοῖς οὐ συνήραντο τοῦ πολέμου
VI, 34 (II, 253, 25) συνάρασθαι τοῖς πατρικίοις πολέμου
VI, 37 (II, 256, 31) τοὺς συναραμένους ἡμῖν τῶνδε τῶν πολέμων
VI, 42 (II, 261, 5) συνάρασθαι τοῦ πολέμου
VI, 43 (II, 263, 8) συναράμενοι τοῦ πολέμου
VI, 76 (II, 302, 20) συναρούμεθα τῶν ἀγώνων ὑμῖν
VI, 77 (II, 303, 22) συνηράμεθα ὑμῖν καὶ τοῦδε τοῦ πολέμου
VI, 80 (II, 307, 16) συναράμενοι τῆς στρατείας
VII, 13 (III, 18, 29) συναράμενον τῆς ἐξόδου
VII, 64 (III, 82, 21) οἱ μὲν συναράμενοι τοῦ ἔργου
VIII, 16 (III, 118, 29) συνάρασθαι τοῦ πολέμου
IX, 1 (III, 225, 7) τοῦ πολέμου συναιρομένη
IX, 1 (III, 225, 3) συνάρασθαι σφίσι τοῦ — πολέμου
IX, 16 (III, 248, 24) συνάρασθαι σφίσι τοῦ — πολέμου
IX, 16 (III, 248, 32) συνήραντο δ' αὐτῷ τῆς ἐξόδου
IX, 34 (III, 275, 31) αὐτοῖς συνάρασθαι τοῦ πολέμου
X, 15 (IV, 23, 16) αὐτοῖς συναρεῖται τοῦ πολέμου
X, 15 (IV, 23, 31) συνάρηται τοῦ πολέμου
X, 20 (IV, 30, 20) συνήραντο τοῦ πολέμου
X, 27 (IV, 42, 29) συνάρασθαι τοῦ καλλίστου ἀγῶνος
XI, 25 (IV, 124, 20) τοῦ πρὸς Αἰκανοὺς συνάρασθαι πολέμου.

Ex his igitur exemplis facile perspicitur συναίρεσθαι apud Dionysium constanter cum genetivo iungi. Inde autem minime hoc consequi, ut in eo a quo exorsi sumus loco τὰ ὅπλα in

τῶν ὅπλων convertamus, aliorum ratio exemplorum ostendet. Est enim, ne longus sim, pro composito verbo ϲυναραμένων simplex ἀραμένων scribendum, quod semper cum accusativo iunctum frequentatur a Dionysio, velut V, 64 (II, 192, 3) μὴ κατὰ τῶν πατρικίων ἄρῃ τὰ ὅπλα; IX, 16 (III, 248, 23) καὶ ὅϲουϲ μετ' αὐτῶν ἤραντο πολέμουϲ; XI, 41 (IV, 146, 27) μὴ θέλειν ἄραϲθαι τὰ ὅπλα. In paucis exemplis subsisto, quia post ea quae disputavi pluribus non opus est ut libri VII c. 19 τῶν ἀραμένων τὰ ὅπλα δημοτῶν scribendum esse intellegatur, ϲύν autem praepositionem ex ϲυνεϲτράτευεν, quod versu 9 legitur, male repetitam huc irrepsisse.

VIII, 67 (III, 186, 9).

Ad quaestionem nunc transeundum est, quam etsi iam Grasbergerus in dissertatione Herbipolitana a. 1868 p. 22 praeripuit, tamen recolendam puto, cum ille ad certam sententiam pervenire non potuerit. Ut enim multis aliis in locis textus Dionysii Kiesslingianus fluctuat, ita, quamvis I, 21 (I, 25, 12) ἐπὶ μήκιϲτον χρόνον exstet, tamen IV, 25 (II, 37, 8) — per errorem apud Grasbergerum IV, 27 — ἐπὶ μήκιϲτον χρόνου legitur idque ex emendatione Kiesslingii, qui qua ratione motus codicum scripturam ἐπὶ μήκιϲτον χρόνον mutarit, vix quisquam intelleget. Grasbergerus autem, cum II, 76 (I, 207, 25) ἡλικίαϲ δ' ἐπὶ μήκιϲτον scriptum sit, quod in dubitationem vocari non possit, eo adduci se patitur, ut ἐπὶ μήκιϲτον locutionem omnino poscere genetivum opinetur. Verum idem, quamquam ἐπὶ πλεῖϲτον χρόνον et ἐπὶ πλεῖϲτον χρόνου, quorum prorsus eadem ratio est, non neglexit, tamen neque recte, ut mihi videtur, neque accurate rem tractavit. Itaque primum exempla afferenda sunt omnia: I, 21 (I, 25, 12) ἐπὶ μήκιϲτον χρόνον, οἷον, ubi codices non fluctuant; IV, 25 (II, 37, 8) ἐπὶ μήκιϲτον χρόνου καρποῦνται, ubi codices recte χρόνον praebent; VII, 70 (III, 90, 21) ἐπὶ μήκιϲτον χρόνον διὰ φυλακῆϲ ἔχει sine codicum discrepantia; I, 56 (I, 69, 9) ἐπὶ πλεῖϲτον χρόνου ἐκμηκυνθηϲομένην, quod cum Kiesslingius perperam in textum receperit, tamen, quando codex Chisianus et Urbinatis conlatio Hudsoniana ἐπὶ πλείϲτου χρόνου exhibent, id ut in ἐπὶ πλεῖϲτον χρόνον mutetur vel hiatus postulat. Sed plus quam haec exempla verba libri VIII, 67 (III, 186, 9) valere videntur, quae omnibus in libris sic produntur: διέμενον οὖν ἐπὶ πλεῖϲτον χρόνον τῆϲ ἡμέραϲ ἀγχωμάλωϲ αἱ φάλαγγεϲ ἀγω-

νιζόμεναι: unde evidentissime apparet Dionysium ἐπὶ πλεῖστον χρόνον dixisse ut ἐπὶ μήκιστον χρόνον. Sed quid? nonne habemus genetivum mutationi omni refragantem in verbis libri II c. 76 ἡλικίας δ' ἐπὶ μήκιστον traditum? Habemus sane, et addere possumus haec exempla: I, 17 (I, 21, 20) ἐπὶ μήκιστον εὐτυχίας; I, 24 (I, 30, 5) ἐπὶ πλεῖστον γῆς, ubi codex B falso τῆς γῆς praebet; VII, 21 (III, 28, 30) ἐπὶ μήκιστον ἐπιφανείας; VIII, 78 (III, 203, 14) ἐπὶ μήκιστον τιμῆς. Quae cum ita sint, errare non videbimur sic statuentes: si μήκιστος vel πλεῖστος iungitur cum χρόνος vocabulo aliisve quae sunt masculini generis, per utrumque vocabulum idem casus perpetuatur; sin vero cum vocabulis feminini generis, neutrum cum genetivo constructum placuit.

IX, 21 (III, 257, 26).

Priusquam ad alia aggrediar, corrigas velim illa quae IX, 21 sic scripta exstant: οὐ μὴν ἐχώρησέ γε αὐτοῖς κατὰ τὴν ἐλπίδα τὸ ἔργον. Quibus in verbis τὴν articulo ante ἐλπίδα deleto κατ' ἐλπίδα scribendum esse haec exempla testimonio sunt: II, 44 (I, 167, 18) οὐδενός σφισι χωροῦντος κατ' ἐλπίδα; VI, 82 (II, 309, 30) ὅταν αὐτοῖς κατ' ἐλπίδα χωρήσῃ τὰ πράγματα. Atque prorsus similia vel potius eadem verba XI, 47 (IV, 157, 8) leguntur οὐ μὴν ἐχώρησέ γ' αὐτοῖς κατ' ἐλπίδα τὸ ἔργον. Praeterea etiam hi loci conferendi sunt quos subieci:

I, 18 (I, 22, 25) κατὰ γνώμην ἐδόκει χωρεῖν αὐτοῖς τὰ πράγματα
II, 30 (I, 151, 21) ἐὰν ἡ πεῖρα αὐτῷ κατὰ νοῦν χωρήσῃ
III, 5 (I, 215, 14) οὐδὲν ἐχώρει κατὰ νοῦν
III, 23 (I, 249, 29) ἐὰν ἡμῖν κατὰ νοῦν χωρήσῃ τὸ ἔργον
III, 23 (I, 250, 12) ἐὰν μὲν ὁρῶ κατὰ γνώμην — χωροῦντά μοι
III, 28 (I, 258, 5) ἐπεὶ τὰ πρῶτα ἡμῖν κατ' εὐχὴν κεχώρηκε
III, 28 (I, 259, 30) εἰ μὲν οὖν κατὰ νοῦν ἡ πεῖρα αὐτοῖς ἐχώρει
III, 28 (I, 260, 20) εἰ μὴ κατὰ νοῦν αὐτοῖς ἡ προδοσία χωρήσειεν
III, 33 (I, 268, 18) ἐπεὶ τὰ πρῶτα κατὰ γνώμην αὐτοῖς ἐχώρησε
III, 41 (I, 278, 31) χωρήσαντος δὲ αὐτῷ καὶ τούτου κατὰ γνώμην
III, 59 (I, 299, 22) οὐ μὴν ἐχώρησέ γε αὐτοῖς ἡ πεῖρα κατὰ νοῦν
IV, 4 (II, 6, 16) ὅταν δὲ τὰ πρῶτα ἡμῖν χωρήσῃ κατὰ νοῦν
IV, 9 (II, 14, 19) εἰ δὲ ἡ πρώτη πεῖρα τοῖς ἐχθροῖς αὐτῶν χωρήσει κατὰ νοῦν
IV, 52 (II, 73, 23) τῶν πλείστων αὐτῷ κατὰ νοῦν χωρούντων
V, 33 (II, 151, 26) οὐκ εἴασε δ' αὐτοῖς κατὰ νοῦν χωρῆσαι
VI, 17 (II, 232, 13) ἁπάντων δὲ χωρησάντων αὐτῷ κατ' εὐχήν
VI, 20 (II, 236, 13) ἀλλ' ὅτι ἂν μὴ αὐτοῖς κατὰ γνώμην χωρήσῃ
VI, 43 (II, 262, 11) κατὰ νοῦν χωρήσαντος αὐτῷ τοῦ πολέμου
VIII, 17 (III, 120, 13) ἅπαντα — κατὰ γνώμην αὐτῷ προχωροῦντα

VIII, 27 (III, 133, 18) ὅτῳ πάντα κατὰ νοῦν ἐχώρησε
VIII, 28 (III, 135, 7) κατὰ γνώμην χωρήσαντός σοι τοῦδε τοῦ ἔργου
VIII, 69 (III, 191, 1) τάχ᾽ ἂν αὐτῷ κατὰ νοῦν τὸ ἔργον ἐχώρησε
VIII, 91 (III, 222, 23) ἐπειδὴ τὰ πρῶτα αὐτοῖς κατὰ νοῦν ἐχώρησε
IX, 2 (III, 226, 27) ἅπαντα κατὰ νοῦν ἐχώρησεν
IX, 16 (III, 249, 12) κατὰ νοῦν ὁ πόλεμος ἐχώρησε
IX, 26 (III, 264, 11) ὡς ἑνὶ τῷ τότε κινδύνῳ κατὰ νοῦν χωρήσαντι
IX, 30 (III, 271, 13) καὶ ὅταν μὲν τοῦτο χωρήσῃ κατὰ νοῦν
IX, 31 (III, 272, 16) τοῖς δ᾽ οὐκ ἐχώρησεν ἡ πεῖρα κατὰ νοῦν
IX, 56 (III, 307, 18) καὶ αὐτοῖς ἀμφοτέροις κατὰ γνώμην τὰ τοῦ πολέμου ἐχώρησεν
X, 14 (IV, 21, 32) ἐὰν δ᾽ ἄρα μηδὲν αὐτῷ τούτων κατὰ νοῦν χωρῇ
XI, 23 (IV, 122, 6) ἀλλ᾽ οὐδὲν αὐτοῖς ἐχώρει κατὰ νοῦν
XX, 8 (IV, 262, 26) οὐ χωρούντων αὐτῷ τῶν ἐν Σικελίᾳ πραγμάτων κατὰ νοῦν.

IX, 23 (III, 260, 14).

C. Horatio T. Menenio consulibus non modo ad Cremeram fluvium infeliciter pugnatum est, sed etiam alter Romanorum exercitus a Tuscis superatus duce Menenio, qui circiter triginta stadia a Cremera aberat, castris ad latus montis positis. Tusci vero importunitate castrorum Romanorum cognita atque montis cacumine occupato castra communiverunt. Verba haec sunt: ε μὲν οὖν συνιδὼν ὁ Μενήνιος, οἷον ἔδωκε πλεονέκτημα τοῖς πολεμίοις, μετέγνω τε τὴν ἁμαρτάδα καὶ εἰς ἀσφαλέστερον ἀπῆγε χωρίον τὴν στρατιάν, σοφὸς ἂν ἦν· νῦν δὲ δι᾽ αἰσχύνης λαμβάνων τὸ δοκεῖν ἡμαρτηκέναι, καὶ τὸ αὔθαδες πρὸς τοὺς μεταδιδάσκοντας φυλάττων, εἰς αἰσχύνης ἄξιον πτῶμα ἔπεσεν Sic Kiesslingius codices deteriores secutus scripsit: Chisianus enim atque Urbinas pro εἰς αἰσχύνης ἄξιον v. 14 habent μετὰ αἰσχύνης ἄξιον ipso teste Kiesslingio. Editione tamen Reiskiana inspecta fere adducor ut illum errasse putem: ut in qua pro verbis νῦν δὲ δι᾽ αἰσχύνης habere Vaticanum νῦν δὲ μετ᾽ αἰσχύνης adnotatum sit. Opinor igitur in adnotatione critica p. XXIX non versum '14', sed '12 μετὰ αἰσχύνης' legendum esse. Verum hoc utcumque se habet, apud me quidem constat neque μετὰ αἰσχύνης ἄξιον πτῶμα ἔπεσεν, neque εἰς αἰσχύνης ἄ. π. ἔ. locum habere posse. Primum enim nego equidem Graecos dixisse εἰς πτῶμα πίπτειν; nam aliud est, si cum substantivis ut νόσος, ξυμφορά vel similibus πίπτειν coniungitur, aliud si cum πτῶμα: nam quam notum est frequentari πίπτειν εἰς νόσον, εἰς ξυμφοράν, εἰς ὕβρεις, εἰς ὕπνον, tam certum est semper πίπτειν

πτῶμα dici. Neque Dionysium alia dicendi ratione usum esse satis verba libri XII c. 16 (IV, 188, 25) ostendunt: ἀλλὰ καὶ τῷ φαυλοτάτῳ ῥᾴδιον ὄντα ϲυμβαλεῖν, ὅτι πεϲεῖν αὐτῷ πᾶϲα ἀνάγκη πτῶμα ἄϲχημον. Itaque contenderim eo quoque de quo agimus loco scribendum esse καὶ τὸ αὔθαδεϲ πρὸϲ τοὺϲ μεταδιδάϲκονταϲ φυλάττων, αἰϲχύνηϲ ἄξιον πτῶμα ἔπεϲεν, deleta εἰϲ praepositione, quae fortasse ex initio αἰϲχύνηϲ verbi orta est; sin vero, quod nunc diiudicari non potest, re vera codices A et B μετὰ αἰϲχύνηϲ habent, rectius μετ' αἰϲχύνηϲ πτῶμα ἔπεϲεν repones ἄξιον vocabulo eiecto, ita ut μετ' αἰϲχύνηϲ pro adiectivo dictum sit ut libri IV c. 65 (II, 88, 10) ὧν ποτέραν αὐτὴ προηρεῖτο λαβεῖν ἠξίου, θάνατον μετ' αἰϲχύνηϲ ἢ βίον μετ' εὐδαιμονίαϲ.

Propositarum a nobis coniecturarum utra utri praestet, suo quisque sensu arbitretur; ego nescire me fateor, nec prius sciri posse credo quam de optimorum codicum scriptura certius constiterit.

X, 7 (IV, 9, 27).

Optativorum forma tertiae pluralis etsi X, 7 (IV, 9, 27), ubi sunt verba: ὅϲ' ἂν εἰϲ ταπεινοὺϲ καὶ πένηταϲ ὑβρίϲαιεν, itemque alio quoque loco quem infra afferam, in αιεν pro ειαν exit, tamen apud Dionysium illam tolerari non posse ex his exemplis intellegitur quae infra scripta sunt:

I, 80 (I, 102, 13) δράϲειαν	VIII, 27 (III, 134, 12) ἀξιώϲειαν
II, 9 (I, 128, 7) πράξειαν	VIII, 75 (III, 199, 16) ἀπαντήϲειαν
IV, 9 (II, 14, 3) ἀπολαύϲειαν	IX, 51 (III, 300, 10) ὁμολογήϲειαν
IV, 55 (II, 76, 11) πιϲτεύϲειαν	X, 4 (IV, 6, 15) ϲωφρονήϲειαν
IV, 58 (II, 79, 19) πράξειαν	X, 34 (IV, 53, 8) ἄρξειαν
VI, 11 (II, 224, 24) χωρήϲειαν	X, 54 (IV, 80, 22) ἀπαλλάξειαν
VI, 2 (II, 213, 17) νεωτερίϲειαν	XX, 3 (IV, 255, 26) κρατήϲειαν.
VIII, 2 (III, 103, 27) ἄρξειαν	
VIII, 2 (III, 104, 13) ἀκούϲειαν	

Itaque Kiesslingius VII, 59 (III, 75, 30), ubi legitur εἰ μὲν οὖν — τὸ αὐτὸ φρονήϲαιεν, id quod ille dubitanter tantum in apparatu critico adnotavit, rectius φρονήϲειαν recepisset, praesertim cum idem φρονήϲειαν IV, 20 (II, 19, 18) exstet. Sed plane diversa est ratio formarum optativorum in είημεν, είητε, είηϲαν desinentium. Nam quamvis constanter tertiae pluralis formae in εῖεν exeant, tamen primae et secundae pluralis formas semper in είημεν et είητε desinere facile ex his exemplis cognoscitur quae subieci:

I, 82 (I, 106, 10) εὑρεθεῖεν	VII, 14 (III, 20, 10) βουληθεῖεν
III, 15 (I, 233, 13) βουληθεῖεν	VII, 36 (III, 44, 24) κληθεῖεν
IV, 20 (II, 29, 27) σχισθεῖεν	VII, 59 (III, 74, 26) κληθεῖεν
V, 13 (II, 129, 21) ἀναγκασθεῖεν	VIII, 38 (III, 148, 9) δεηθεῖεν
V, 54 (II, 178, 30) κοιμηθεῖεν	VIII, 77 (III, 201, 29) ζημιωθεῖεν
V, 70 (II, 200, 27) ἐναντιωθεῖεν	X, 2 (IV, 2, 19) ἀναγκασθεῖεν
VI, 70 (II, 294, 26) βουληθεῖεν	XIV, 8 (III, 203, 7) κελευσθεῖεν.

In είημεν autem et είητε exeuntes formae his locis, quos afferre satis habeo, exstant:

III, 7 (I, 218, 21) πεισθείητε	VIII, 39 (III, 149, 19) δυνηθείημεν
III, 9 (I, 221, 22) ἀναγκασθείημεν	X, 12 (IV, 18, 6) ἀναγκασθείητε
VII, 29 (III, 37, 3) βουληθείητε	X, 29 (IV, 45, 29) ἀπολειφθείημεν
VII, 29 (III, 37, 5) κατηγοροίημεν	X, 29 (IV, 46, 6) δεηθείημεν.

Itaque VI, 79 (II, 306, 12) pro φιλοχωροῖμεν haud scio an rectius φιλοχωροίημεν scribatur. Denique quod ad εἰμί verbi formas optativi attinet, etsi

III, 28 (I, 260, 12) εἴημεν	II, 15 (I, 134, 21) εἶεν
VI, 68 (II, 292, 27) εἴητε	VIII, 87 (III, 217, 21) εἶεν
XI, 5 (IV, 99, 8) εἴημεν	

leguntur, saepius tamen εἴησαν exstat, ut I, 11 (I, 13, 18), II, 72 (I, 200, 11), VIII, 91 (I, 222, 30).

XVI, 2 (IV, 222, 22).

quamquam hic amoris nulla mentio fit. Cum igitur necesse sit ex corrupto versus quarti verbo aliquid erui quo sententia illa, amoris aetatem iuventutem esse, plane distincteque exprimatur, omnes, qui illius loci correctores non effecerunt ipsam illam sententiam, nihil profecisse emendando credendi sunt. Quo pertinent haec commenta, quae ex parte non illam solam ob caussam offensioni sunt: Grotii ἄνθεα τῆϲ ἥβηϲ, Schneidewini εὐανθὴϲ ἥβη γ. ἁρπαλέα vel ἁρπαλέη, Schneideri ἄνθε' ἀεὶ ἥβη, Kayseri ἄνθε' ὁμηλικίηϲ vel ἡλικίηϲ δ' ἄνθεα, Hartungii ἄνθεα τέρπν' ἥβηϲ addita hac versione: 'Wonniger Jugend Maiblüten sind Männern und Frau'n Ganz hinreissend', aliorumque quorundam coniecturae quas enumerare hic supersedemus. Felicioris condicionis esse facile videantur quae G. Hermannus et Ahrensius excogitarunt, quorum ille ἄνθεα ταῦθ' ἥβηϲ, hic οἷ' ἥβηϲ ἄνθεα scribi voluit. At stare hae coniecturae propterea nequeunt, quod ἄνθεα ἥβηϲ minime significat iuventutis delicias atque oblectamenta, sed nihil aliud praeter ipsam iuventutem, quode iam Stollius recte monuit in Philologi t. VI p. 748. Non minus reiciendum est Sauppii inventum εἰν ἥβηϲ ἄνθει γ. ἁρπαλέα scribentis, interpunctione post versum tertium sublata, Epistolae crit. ad Hermannum p. 136. Nec enim intellegitur quo ταῦτα (v. 3) commode referri possit. Quod si voluit ad χρυϲέηϲ Ἀφροδίτηϲ spectare, id facile intellegitur fieri nullo pacto posse. Restat Bergkii illud ἔϲτε: quam scripturam cum ipse ne verbo quidem vindicaverit, accuratiore disputatione eam ut omnium maxime probabilem commendavit Stollius Philologi l. s. s. Is tamen defensor vereor ne sua huius loci, qualem Bergkius constituit, interpretatione ipse monstraverit, quam paulum illa coniectura commendationis habeat. Sic enim Stollius: 'Es ergiebt sich für das ganze Fragment folgender Sinn: „was ist das Leben ohne Liebe

sterben möchte ich, wenn mir nicht mehr am Herzen lägen die Freuden der Liebe, die Freuden der Liebe, während die liebliche Jugend uns blüht; wenn aber das traurige Alter über uns gekommen, plagen uns stets die Sorgen" . . . . Die Worte in V. 4 ἁρπαλέα ἀνδράσιν ἠδὲ γυναιξίν sind zugefügt, um den folgenden Gegensatz in ἐπεὶ δ' ὀδυνηρὸν ἐπέλθῃ γῆρας zu heben.' Quam autem haec contorta est et artificiosa, ne dicam obscura orationis structura! qualia longe abhorrent a poetae elegiaci simplicitate et candore. Quid enim? ecquis versum quartum legens verba γίγνεται ἁρπαλέα inter se discindere et ἁρπαλέα ἀνδράσιν ἠδὲ γυναιξίν volet pro appositione habere ad ἥβης ἄνθεα pertinente? Mihi quidem hoc durissimum videtur. Num vero alia ratione ἔστε illud commode explicari possit, vehementer dubito.

Scribendum ego propono

οἷς ἥβης ἄνθεα γίγνεται ἁρπαλέα —,

qua mutatione satis leni illa quam requisivimus sententia plane efficitur.

In mentem mihi haec coniectura venerat, cum a Stollio commemoratum vidi, Fulvium Vrsinum οἷσκ' praebere. Quae scriptura cum haud dubie unius plurimve codicum Farnesianae bibliothecae auctoritate nitatur, meam illam emendationem haud mediocriter confirmat; fortasse autem etiam plus probat, cum ex οἷσκ' illo facili negotio οἷς θ' eruatur, ad similitudinem eorum quae habes v. 6 ὅ τε, fr. 2, 8 ὅσον τε, 2, 13 ὧν τε, 5, 7 ὅ τε.

CAROLVS BRVGMANN
Mattiacus.

Ad Thucydidem.

In Thucydidis libris ut non pauca esse corrupta hodie satis constat, ita dubium non est quin, quae VII, 13, 3 legimus, non integra nobis tradita sint. Scribit enim Nicias Atheniensibus, quos labores atque res adversas exercitus perpetiatur Syracusas obsidens, postquam autem de aliis iam nuntiavit, de nautis sic pergit: τὰ δὲ πληρώματα διὰ τόδε ἐφθάρη τε ἡμῖν καὶ ἔτι νῦν φθείρεται, τῶν ναυτῶν (τῶν) μὲν διὰ φρυγανισμὸν καὶ ἁρπαγὴν καὶ ὑδρείαν μακρὰν ὑπὸ τῶν ἱππέων ἀπολλυμένων· οἱ δὲ θε-

ράποντες, ἐπειδὴ ἐς ἀντίπαλα καθεστήκαμεν, αὐτομολοῦσι, καὶ οἱ ξένοι οἱ μὲν ἀναγκαστοὶ ἐσβάντες εὐθὺς κατὰ τὰς πόλεις ἀποχωροῦσιν, οἱ δ' ὑπὸ μεγάλου μισθοῦ τὸ πρῶτον ἐπαρθέντες καὶ οἰόμενοι χρηματιεῖσθαι μᾶλλον ἢ μαχεῖσθαι, ἐπειδὴ παρὰ γνώμην ναυτικόν τε δὴ καὶ τἆλλα ἀπὸ τῶν πολεμίων ἀνθεστῶτα ὁρῶσιν, οἱ μὲν ἐπ' αὐτομολίας προφάσει ἀπέρχονται, οἱ δ' ὡς ἕκαστοι δύνανται (πολλὴ δ' ἡ Σικελία)· εἰσὶ δ' οἳ καὶ αὐτοὶ ἐμπορευόμενοι ἀνδράποδα Ὑκκαρικὰ ἀντεμβιβάσαι ὑπὲρ σφῶν πείσαντες τοὺς τριηράρχους τὴν ἀκρίβειαν τοῦ ναυτικοῦ ἀφῄρηνται. Vbi cum cetera omnia satis dilucide expressa sint, tamen quid verba οἱ μὲν ἐπ' αὐτομολίας προφάσει ἀπέρχονται sibi velint, aegre intellexeris.

Fuerunt quidem qui hunc locum sic scriptum non solum ut prorsus Thucydideum servarent, sed etiam duri quicquam in ea enuntiatione inesse negarent; nec tamen eisdem contigit, ut vel tantulum sanae sententiae ex verbis supra positis elicerent. In horum interpretum numero Bredovius est, qui in praefatione ad Heilmanni interpretationem Germanicam p. 218, perversa quadam explicatione prolata, verba illa sic breviter defendere studuit: 'dass sie wirklich zum Feinde übergehen, ist nicht gesagt: sie suchen nur loszukommen.' Id autem quomodo cum scriptoris verbis congruat, parum liquet. Alii in sermonis duritie offenderunt quidem, eandem tamen defendere animum induxerunt, idque duplici modo: alteri αὐτομολίας pro genetivo singularis habentes, alteri pro accusativo pluralis. Sic Lindavius in Spicilegio critico in Thucydidem et Livium (Vratislaviae ed. a. 1818) p. 12 tolerari posse vulgatam existimat, si quis sibi informet illos, de quibus agitur, praetextu repetendorum eorum, qui exercitum deseruissent, digressos; mirum tamen esse addit, si singuli homines ex hostium praesidiis aliisque Siciliae civitatibus transfugas se repetituros professi sint ducesque eis fidem habuerint. Addere poterat, ἐπ' αὐτομολίας προφάσει nullo modo illud valere quod Latine dicas 'praetextu repetendorum eorum qui exercitum deseruissent', id quod graece sic potius dicendum erat: οἱ μὲν ἐπὶ προφάσει ὡς μετιόντες τοὺς αὐτομολήσαντας (vel αὐτομόλους).

Didotius vero in ea editione, quae ex ipsa officina Didotiana Parisiis anno 1813 prodiit, ἐπ' αὐτομολίας προφάσει idem esse dicit quod 'consilio transfugiendi vel transfugere conati.' Idem videtur Haasius sensisse, cum in Didotiana altera anni

1840 sic vertit: 'partim transfugiendi causa discedunt'. Engelmanniani denique exemplaris editor demonstrare conatur πρόφαςιν 'consilium' vel nostrum 'Absicht' significare posse, his verbis usus: 'da ἐπ' αὐτομολίας προφάςει doch gewiss umschrieben werden kann durch αὐτομολίας αὐτοῖς προφάςεως (sc. αἰτίας) ὑπαρχούςης, so accommodirt man sich blos der modernen Anschauungsweise, wenn man 'Absicht' statt 'Grund' sagt.' Verum is quidem non mediocriter errat, cum πρόφαςιν et αἰτίαν prorsus easdem esse censet. Satis quidem constat causae et consilii vim non tam certis finibus circumscriptam esse, quin altera alterius aliquam partem habeat; nam si quid consilio quodam facimus, illo consilio commoti agimus et consilium vel propositum tali modo pro causa agendi habemus. Sed hoc omne ad αἰτίας vocem pertinet, non ad πρόφαςιν: quam si Engelmannianae editor sic temere pro αἰτίᾳ poni contendit, petitione, ut cum dialecticis loquar, principii utitur. πρόφαςις enim vox, e radice φαν vel φα orta et cum φαίνειν et φάναι artissime coniuncta, causam quidem aut veram aut falsam prodit, sed semper manifestam, verbis demonstratam, dicendo declaratam; numquam igitur consilium intimo pectore celatum significare potest. Non sum ego sane nescius Thucydidem I, 23, 5 τὴν ἀληθεςτάτην πρόφαςιν, ἀφανεςτάτην δὲ λόγῳ opposuisse ταῖς ἐς τὸ φανερὸν λεγομέναις αἰτίαις, sed inde nego hoc effici, πρόφαςιν idem esse atque αἰτίαν. Talia enim oxymora scriptoribus placuerunt non numquam, ubi facete simulque per irrisionem loquuntur, numquam vero argutam illam contrariorum verborum coniunctionem urgeri volunt. Itaque quemadmodum e Thucydidis verbis, quae sunt III, 43, 2 ψευςάμενον πιςτόν, non concludes πιςτόν et ψευςάμενον pares vel similes notiones esse: vel si Demosthenis illud (8, 69) πολιτεύεςθαι ἀςφαλῶς θραςύς legas, non putabis re vera in illo πολιτεύεςθαι ἀςφαλῶς inesse θραςύτητα aliquam: ita e πρόφαςιν vocis cum ἀφανεςτάτην λόγῳ conexione nullo iure colligas πρόφαςιν nihil aliud esse nisi αἰτίαν, non solam eam quae verbis declaratur. Hoc igitur sentio: scriptorem πρόφαςιν de industria et consulto cum adversae notionis adiectivo ἀφανεςτάτην λόγῳ sociasse, ut levem quandam irrisionem efficeret: id quod haud scio an nobis quoque imitari liceat, velut 'der wahre officielle Grund, der aber am wenigsten vorgebracht wurde, war die Macht Athens, die öffentlich vorgegebenen Ursachen waren aber folgende.' Atque prorsus eodem modo

[illegible] expediendi sunt, qui facile contra nos facere videntur. Thucydides VI, 6, 1 οἱ Ἀθηναῖοι στρατεύειν ὥρμηντο [illegible] τῇ ἀληθεστάτῃ προφάσει τῆς πάσης (sc. Σικελίας) [illegible] δὲ ἅμα εὐπρεπῶς βουλόμενοι τοῖς ἑαυτῶν ξυγ-[illegible] Demosthenis in oratione de corona § 156 τὴν μὲν [illegible] πρόφασιν ἀπεκρύπτετο, κοινὰ δὲ .... ποιεῖν προσεποιεῖτο.

[illegible] quae disputavimus apparet πρόφασιν et αἰτίαν nequaquam esse easdem. Verum etiamsi illud verbum concederemus aliquando dici pro consilio, eo tamen de quo agimus loco [illegible] parum apta esset ad sententiam. Nam cum Nicias non quo consilio, sed quo modo discedant nautae Atheniensium [illegible], non possunt οἱ μὲν ἐπ' αὐτομολίας προφάσει (h. e. ἐπ' αὐτομολίᾳ) ἀπερχόμενοι eis opponi de quibus dicitur οἱ δὲ ὡς [illegible] δύνανται. Qua de causa ἐπ' αὐτομολίας προφάσει verba [illegible] 'transfugiendi causa' valere possent, non essent ferenda, id quod lecta interpretatione, quam praebet Engelmanniana, planissime apparebit: '(die Söldner) entfernen sich theils in der Absicht um überzulaufen, theils wie jeder kann.'

Neque vero plus profecisse Arnoldus videbitur, dupliciter πρόφασις vocem explicari posse dicens: posse enim eam aut pro excusatione aut pro occasione esse. Duplici igitur modo interpretatus est verba ἐπ' αὐτομολίας προφάσει, aut 'excusationem aliquam afferentes ad transfugiendum', aut 'ubi transfugiendi occasio praebetur.' Ac priorem quidem interpretationem probari posse nego: non quo eam graece loquendi rationi repugnare putem cum commentario Engelmannianae: nam προφάσει τινὸς χρῆσθαι non solum idem est atque latine 'excusare aliquid' vel 'aliquid pro praetextu habere', sed etiam idem valet quod προφασίζεσθαί τι ἐπί τινι 'praetextu uti ad rem aliquam perpetrandam'. Quod et genetivi, quem obiectivum vocare solemus, ambigua natura ita fert et exempla docent, qualia sunt apud Thucydidem IV, 126, 5 αὐτοκράτωρ δὲ μάχη μάλιστ' ἂν καὶ πρόφασιν τοῦ σώζεσθαί τινι πρεπόντως πορίσειεν, in fragmento [illegible] μικρὰ πρόφασίς ἐστι τοῦ πρᾶξαι κακῶς, apud Platonem Menexeni p. 245 B ἵν' αὐτῷ πρόφασις εἴη τῆς ἀποστάσεως, apud Thucydidem III, 9, 2 πρόφασίς τε μηδεμία ὑπάρχοι τῆς ἀποστάσεως, in Platonis Phaedro p. 234 A ἔχθρας πρόφασιν [illegible] aliisque locis permultis. Itaque concedendum erit [illegible]ίας προφάσει per se significare posse 'praetextu [illegible]ut transfugerent' ('finding some excuse for going

over to the enemy'); sed etiamsi scriptor aliquid huiusmodi dicere voluisset, tamen numquam fieri potuisse puto ut tam languida enuntiatione uteretur. Quid enim sibi vult illud αὐτομολίας? Scriptor postquam satis plane et copiose de transitione militum (αὐτομολοῦςι, ἀποχωροῦςι, ἀπέρχονται) locutus est, nonne sua sponte intellegitur excusationes, quas milites abeuntes afferant, ad transfugiendum spectare? Certe Thucydides 'densus ille et brevis et semper instans sibi', qui 'sententiis magis quam verbis abundat', omissa αὐτομολίας voce longe et simplicius et dilucidius dixisset οἱ μὲν ἐπὶ προφάςει τινὶ vel προφαςιζόμενοί τι ἀπέρχονται, οἱ δὲ ὡς ἕκαςτοι δύνανται. — Altera vero προφάςεως definitio, quam Arnoldus attulit, etiam minus satisfacere potest. Qui cum πρόφαςιν simpliciter significare occasionem non accedente ulla alia notione contendit ('simply in the sense of an occasion'), valde dubitare licebit num ullius verbi vis primaria adeo tolli possit, eius ut ne vestigium quidem remaneat. Verum hoc cum longum sit ultra persequi, largiamur Arnoldo posse πρόφαςιν aliquando pro opportunitate, occasione dici simpliciter; at quid ille duobus argumentis his opponet: primum, de priore Arnoldi explicatione αὐτομολίας verbum supervacaneum et languidum esse; alterum, oppositorum inter se verborum οἱ μὲν ἐπ' αὐτομολίας προφάςει ('partim ubi transfugiendi occasio praebetur') et οἱ δ' ὡς ἕκ. δύνανται ('partim ut cuique copia offertur') notiones a sana cogitandi ratione recedere? Nam cum secundum Arnoldum ἐπ' αὐτομολίας προφάςει prorsus idem significet quod ὡς ἕκαςτοι δύνανται, non potuit ullo modo alterum alteri opponi.

Transeundum nunc est ad eam explicandi rationem, quam primus protulit Goellerus. Qui verba ἐπ' αὐτομολίας προφάςει sana esse censens errorem criticorum inde ortum dicit, quod praepositionem iunxerint cum προφάςει, quae iungenda sit cum αὐτομολίας accusativo pluralis, haec ut sententia sit: alios sub aliquo praetextu castris desertis transfugisse, alios ut cuique abeundi copia facta sit, ne praetextu quidem usos discessisse: προφάςει ut habeamus pro προφάςει τινὶ positum. Quodsi solam sententiam spectes, facile videare in Goelleri interpretatione acquiescere posse; linguae autem rationem qui consuluerit, non poterit non haesitare. Itaque Poppo, quamquam Goellerum secutus, tamen dativum potius αὐτομολίᾳ vel αὐτομολίαις pro accusativo αὐτομολίας desiderat. Bloomfieldius vero in plurali of-

alii duo loci expediendi sunt, qui facile contra nos facere videantur: Thucydidis VI, 6, 1 οἱ Ἀθηναῖοι στρατεύειν ὥρμηντο ἐφιέμενοι μὲν τῇ ἀληθεστάτῃ προφάσει τῆς πάσης (sc. Σικελίας) ἄρξειν, βοηθεῖν δὲ ἅμα εὐπρεπῶς βουλόμενοι τοῖς ἑαυτῶν ξυγγενέσι; item Demosthenis in oratione de corona § 156 τὴν μὲν ἀληθῆ πρόφασιν ἀπεκρύπτετο, κοινὰ δὲ .... ποιεῖν προσεποιεῖτο.

Ex eis quae disputavimus apparet πρόφασιν et αἰτίαν nequaquam esse easdem. Verum etiamsi illud verbum concederemus aliquando dici pro consilio, eo tamen de quo agimus loco ea ipsa notio parum apta esset ad sententiam. Nam cum Nicias non quo consilio, sed quo modo discedant nautae Atheniensium narret, non possunt οἱ μὲν ἐπ' αὐτομολίας προφάσει (h. e. ἐπ' αὐτομολίᾳ) ἀπερχόμενοι eis opponi de quibus dicitur οἱ δὲ ὡς ἕκαστοι δύνανται. Qua de causa ἐπ' αὐτομολίας προφάσει verba etiamsi 'transfugiendi causa' valere possent, non essent ferenda, id quod lecta interpretatione, quam praebet Engelmanniana, planissime apparebit: '(die Söldner) entfernen sich theils in der Absicht um überzulaufen, theils wie jeder kann.'

Neque vero plus profecisse Arnoldus videbitur, dupliciter πρόφασις vocem explicari posse dicens: posse enim eam aut pro excusatione aut pro occasione esse. Duplici igitur modo interpretatus est verba ἐπ' αὐτομολίας προφάσει, aut 'excusationem aliquam afferentes ad transfugiendum', aut 'ubi transfugiendi occasio praebetur.' Ac priorem quidem interpretationem probari posse nego: non quo eam graece loquendi rationi repugnare putem cum commentario Engelmannianae: nam προφάσει τινὸς χρῆσθαι non solum idem est atque latine 'excusare aliquid' vel 'aliquid pro praetextu habere', sed etiam idem valet quod προφασίζεσθαί τι ἐπί τινι 'praetextu uti ad rem aliquam perpetrandam'. Quod et genetivi, quem obiectivum vocare solemus, ambigua natura ita fert et exempla docent, qualia sunt apud Thucydidem IV, 126, 5 αὐτοκράτωρ δὲ μάχῃ μάλιστ' ἂν καὶ πρόφασιν τοῦ σώζεσθαί τινι πρεπόντως πορίσειεν, in fragmento Menandri μικρὰ πρόφασίς ἐστι τοῦ πρᾶξαι κακῶς, apud Platonem Menexeni p. 245 B ἵν' αὐτῷ πρόφασις εἴη τῆς ἀποστάσεως, apud Thucydidem III, 9, 2 πρόφασίς τε μηδεμία ὑπάρχοι τῆς ἀποστάσεως, in Platonis Phaedro p. 234 A ἔχθρας πρόφασιν ζητήσουσιν, aliisque locis permultis. Itaque concedendum erit ἐπ' αὐτομολίας προφάσει per se significare posse 'praetextu aliquo prolato ut transfugerent' ('finding some excuse for going

over to the enemy'); sed etiamsi scriptor aliquid huiusmodi dicere voluisset, tamen numquam fieri potuisse puto ut tam languida enuntiatione uteretur. Quid enim sibi vult illud αὐτομολίας? Scriptor postquam satis plane et copiose de transitione militum (αὐτομολοῦcι, ἀποχωροῦcι, ἀπέρχονται) locutus est, nonne sua sponte intellegitur excusationes, quas milites abeuntes afferant, ad transfugiendum spectare? Certe Thucydides 'densus ille et brevis et semper instans sibi', qui 'sententiis magis quam verbis abundat', omissa αὐτομολίας voce longe et simplicius et dilucidius dixisset οἱ μὲν ἐπὶ προφάσει τινὶ vel προφασιζόμενοί τι ἀπέρχονται, οἱ δὲ ὡς ἕκαστοι δύνανται. — Altera vero προφάσεως definitio, quam Arnoldus attulit, etiam minus satisfacere potest. Qui cum πρόφασιν simpliciter significare occasionem non accedente ulla alia notione contendit ('simply in the sense of an occasion'), valde dubitare licebit num ullius verbi vis primaria adeo tolli possit, eius ut ne vestigium quidem remaneat. Verum hoc cum longum sit ultra persequi, largiamur Arnoldo posse πρόφασιν aliquando pro opportunitate, occasione dici simpliciter; at quid ille duobus argumentis his opponet: primum, de priore Arnoldi explicatione αὐτομολίας verbum supervacaneum et languidum esse; alterum, oppositorum inter se verborum οἱ μὲν ἐπ' αὐτομολίας προφάσει ('partim ubi transfugiendi occasio praebetur') et οἱ δ' ὡς ἕκ. δύνανται ('partim ut cuique copia offertur') notiones a sana cogitandi ratione recedere? Nam cum secundum Arnoldum ἐπ' αὐτομολίας προφάσει prorsus idem significet quod ὡς ἕκαστοι δύνανται, non potuit ullo modo alterum alteri opponi.

Transeundum nunc est ad eam explicandi rationem, quam primus protulit Goellerus. Qui verba ἐπ' αὐτομολίας προφάσει sana esse censens errorem criticorum inde ortum dicit, quod praepositionem iunxerint cum προφάσει, quae iungenda sit cum αὐτομολίας accusativo pluralis, haec ut sententia sit: alios sub aliquo praetextu castris desertis transfugisse, alios ut cuique abeundi copia facta sit, ne praetextu quidem usos discessisse: προφάσει ut habeamus pro προφάσει τινὶ positum. Quodsi solam sententiam spectes, facile videare in Goelleri interpretatione acquiescere posse; linguae autem rationem qui consuluerit, non poterit non haesitare. Itaque Poppo, quamquam Goellerum secutus, tamen dativum potius αὐτομολίᾳ vel αὐτομολίαις pro accusativo αὐτομολίας desiderat. Bloomfieldius vero in plurali of-

fendens Thucydidem αὐτομολίαν scripsisse suspicatur; Engelmannianae denique editor omnino negat προφάσει pro προφάσει τινὶ dici posse. Nec dissimulari potest his dubitationibus Goelleri coniecturam valde labefactari. Mittamus licet ea quae Poppo vituperat; largimur ἐπί aliquando accusativo ita iungi, ut propositum ad quod quis tendat indicetur, quem usum exempla a Kruegero ad Thuc. VI, 9, 3 collata satis defendere videntur; pluralis autem ferri nequit, neque ea quibus Bloomfieldius ad eum excusandum utitur exempla ullam habent vim probandi. Affert enim e Cassii Dionis XLVIII, 19 p. 540 ὥς τε εὔξασθαι ἐπισχεθῆναι σφῶν τὰς αὐτομολίας et ex Iosephi bell. Iud. VI, 8, 2 οὐ μὴν ἀντέχειν οἱ φρουροὶ πρὸς τὰς αὐτομολίας ἴσχυον: ipse tamen fatens eis locis pluralis numeri rationem hanc esse, ut ad plurium actiones spectet. Recteque profecto interpres Engelmannianus docet προφάσει tantumdem valere atque 'dem Vorgeben nach, vorgeblich', 'per speciem', numquam vero eadem vi dici atque προφάσει τινὶ 'cum praetextu aliquo', notione a Thucydidis certe usu aliena. Rursus autem Bloomfieldius quibus exemplis suam sententiam fulcire studet, eis re vera nihil probat; nam plurimum interest, utrum προφάσει sibi iunctum adiectivum vel genetivum necne habeat. Itaque e talibus, qualia sunt VI, 8, 3 προφάσει βραχείᾳ καὶ εὐπρεπεῖ, VI, 79, 2 εὐλόγῳ προφάσει, V, 22, 1 τῇ αὐτῇ προφάσει, VI, 76, 2 προφάσει μὲν ᾗ πυνθάνεσθε, III, 86, 2 τῆς οἰκειότητος προφάσει, nequaquam colligere licet προφάσει per se positum posse pro προφάσει τινὶ esse, 'praetextu aliquo'. Reputanda denique est mala verborum collocatio, quae Goelleri structura efficitur. Nam cum οἱ μὲν προφάσει opponantur verbis οἱ δ' ὡς ἕκαστοι δύνανται, quae vero supersunt, ἐπ' αὐτομολίας ἀπέρχονται, ad utramque partem spectent, scribi oportuit a Thucydide οἱ μὲν προφάσει ἐπ' αὐτομολίας ἀπέρχονται, οἱ δ' ὡς ἕκαστοι δύνανται: quem minime credibile est gravissimi momenti verbum προφάσει inter leviora delitescere passum esse. Adde quod ἐπ' αὐτομολίας ἀπέρχονται verbis pro simplici ἀπέρχονται positis satis languida enuntiatio prodit, et satis habebis argumentorum ad Goelleri artificium reprobandum.

Restat ut coniecturae examinentur, quibus emendare tralaticia verba viri docti animum induxerunt. Et Reiskius quidem quod coniecit, λιθολογίας vel ὑλοκοπίας, cum per se dissimillimum veri sit, tum propterea non potest non displicere, quod de

φρυγανιcμῷ iam antea scriptor satis locutus est. Nec felicius res cessit Kruegero αὐτομαχίαc vel αὐτοτολμίαc commendanti, quod cum a scriptura codicum nimis discrepat, tum sanam sententiam vix praebet. An quis credat mercennarios illos incredibili praetextu hoc abiisse, sua ipsorum opera pro Atheniensibus se certaturos esse, Niciam vero tam stultum fuisse ut tali mendacio crederet? Porro Lindavius in 'Spicilegio critico' αὐτοτελείαc scribi iussit: miro id conatu et falsa sententia, cum illos velit hoc specioso praetextu abiisse, velle se suis sumptibus vivere et sibimet ipsos commercio victum parare. Quo factum est ut Poppo hanc coniecturam ne refutatione quidem indigere dicat.

Superest igitur ut probabiliorem, si fieri potest, loci emendationem ipsi proponamus. Ac saepe numero cogitanti succurrit mihi ΑΥΤΟΜΟΛΙΑC corruptum esse ex ΑΥΤΟΝΟΜΙΑC, sententiamque totius loci hanc fuisse: mercennarios hostium opibus perterritos, cum emolumenta quae exspectassent evanescere viderent, aufugere studuisse ob eamque causam civitatis suae quemque libertatem (αὐτονομίαν) obtendisse. Nicias enim, postquam de vernaculis militibus locutus est, quaedam refert de externis, quos in duas partes dividit: οἱ μὲν ἀναγκαcτοὶ ἐcβάντες — οἱ δὲ ὑπὸ μεγάλου μιcθοῦ τὸ πρῶτον ἐπαρθέντες. Quae verba satis esse indicio videntur, Athenienses illorum quidem civitates non magni fecisse iusque earum violasse, horum autem αὐτονομίαν veritos violentia omni se abstinuisse. Itaque hi socii, civitatum suarum auctoritate freti, ubi res militaris displicuit, missionem postulabant. Et nonnullis quidem contigisse videtur, ut hoc praetextu allato discederent; alii vero, ubi Athenienses moram missionis interponere coeperunt, prout cuique facultas offerebatur discedebant, alii mancipia Hyccarica ut ipsorum vice functura substituebant, ipsi ut abscederent.*)

Theodorvs Forssmann
Archangelopolites.

*) [Pridem haec et scripta erant et inter sodales 'societatis philologae' disceptata atque defensa me quidem rei summam prorsus approbante, cum Lipsiam allata est Caroli Badhami, viri et graece doctissimi et iudicio imprimis valentis, 'Adhortatio ad iuventutem academicam Sydneiensem' anno MDCCCLXIX Sydneiae prodita 'ex officina Gibbsiana et Shallardiana': quae fere tota in illustrando emendandoque Thucydide versatur. Ibi igitur p. 24 haec scripta vidimus: 'Ibid. [l. VII] 13. Pro αὐτομολίαc lege

Ad Ciceronem.

1.

Epist. ad Atticum II, 4, 4: 'tu quicquid indagaris de re publica et maxime quos consules futuros putes, facito ut sciam: tametsi minus sum curiosus; statui enim nihil iam de re publica cogitare.' Ita codices et editiones omnes. Nos donec edocti erimus 'facito ut sciam' esse Ciceronianum, 'fac cito ut sciam' praeferemus.

2.

II, 5, 3 editores ita: 'tu tamen de Curtio ad me rescribe certius, et num quis in eius locum paretur, et quid de P. Clodio fiat, et omnia, quem ad modum polliceris, ἐπὶ σχολῆς scribe, et quo die Roma te exiturum putes, velim ad me scribas' e. q. s.: orationis conformatione scilicet Cicerone dignissima! Mediceus cum pro 'fiat et' habeat 'frē', scribendum est: 'tu tamen de Curtio ad me rescribe certius, et num quis in eius locum paretur, et quid de P. Clodio. de fratre omnia' e. q. s. Cf. II, 6, 2. Verbi 'faciendi' omissi exempla cumulare non attinet.

3.

I, 10, 6 Mediceus prodidit: 'proinde eo animo te velim esse, quasi mei negotii causa in ista loca missus esses; sin autem' ('me' margo) 'eum et offendes erga te et audies, quasi mihi, si quae parta erunt, non modo te praesente, sed per te parta sint'. Vbi qui marginis correctionem asciverunt, extrema verba cepisse non videntur. Scriptum erat, ni fallit coniectura: 'sin autem, me eum' e. q. s.

αὐτονομίας. προφάσει hic idem est quod σκήψει. Mercedis et praedae avidi a liberis civitatibus venerant.' Sed quam laudem, si temporis rationem spectas, inscienti Forssmanno Badhamus, eandem ipsi Badhamo praeripuit Arnoldus Passovius, cuius nunc demum in manus meas perveniens 'de comparationibus Homericis' dissertatio iam anno MDCCCLII Berolini edita inter alias 'theses' disputandi causa propositas hanc habet sexto loco perscriptam p. 48: 'Thuc. VII, 13 emendandum esse οἱ μὲν ἐπ' αὐτονομίας προφάσει ἀπέρχονται pro ... αὐτομολίας ...'. — Singulari igitur casu Thucydidi bis contigit recenti memoria, ut in idem emendandi consilium terna ingenia concurrerent: id quod etiam l. VIII cap. 46 a semet, Stahlio, Madvigio factum nuper demum Classenus narrabat Musei Rhenani t. XXV p. 446. F. R.]

4.

I, 18, 2 libri: 'in re publica vero, quamquam animus est praesens, tamen voluntas etiam atque etiam ipsa medicina efficit'. Vbi Victorii 'ipsa me deficit', Bosii 'ipsa medicinam effugit', Klotzii 'ipsa medicinam efficit', Graevii et Bootii 'tamen etiam atque etiam ipsa (sc. res publica) medicinam refugit', et si quae sunt aliorum conamina, medicinam vix effecerint. Nos, sollemnium apud librarios peccatorum memores, ita haec a Cicerone profecta credimus: 'ipsam medicinam non efficit'. Negationis sat saepe in Mediceo similium, maxime *m*, litterarum vicinitate absorptae si quis desideret exempla, hisce fruatur quae subieci: VI, 1, 18; IX, 7, 4; VIII, 2, 3; XI, 3, 2; XIII, 48, 1; XV, 8, 2.

5.

XV, 29, 1 pro Medicei scriptura: 'quod non solum mea, verum etiam tua me expedis, gratum', Orellius et Klotzius 'tua mi', Bootius 'tua nunc', Baiterus dubitanter 'tua causa me' substitui voluerunt. Simplicius opinor poterant: 'quod non solum mea, verum etiam tuamet expedis, gratum', ne oppositionis vis evanesceret. Metuerat enim Cicero, ne Atticus, totus, ut ipse iusserat XV, 2, 1 ('sic enim decet te mea curare, tua me'), occupatus in amici negotiis absolvendis atque expediendis, suarum rerum esset incuriosus officiosaeque sedulitatis poenas lueret. 'met' autem particulae ad pronomen possessivum adiunctae exempla praeter Sallustianum Iug. 85 'meamet' vide apud Haasium ad Reisigii schol. gramm. lat. p. 199.

LVDOVICVS MENDELSSOHN
Oldenburgensis.

Ad Livium*).

Leguntur apud Livium XXII, 48, 5 sq. in enarratione pugnae Cannensis haec quae infra posui:

*) [Excerpsit haec quae subsequuntur ipse scriptor ex uberiore commentatione, quae iam non est prae manu: in qua multa, quae hic nimio brevitatis studio ne tetigit quidem, diligentius erat ac singillatim per-

'Cum alibi terror ac fuga, alibi pertinax in mala iam spe proelium esset, Hasdrubal, qui *ea parte* praeerat, *subductos ex media acie Numidas,* quia segnis eorum cum adversis pugna erat, ad persequendos passim fugientis mittit, Hispanos et Gallos equites Afris prope iam fessis caede magis quam pugna adiungit.'

Hic primum ab eis, quae scriptor supra tradiderat cap. 46, 1 et 7, prorsus discrepat quod Hasdrubal dicitur *ea parte* i. e. laevo cornu praefuisse, quem dextro potius, non laevo ubi Numidae constiterant, praefuisse sciamus. Deinde fieri prorsus non potuit, ut Numidae ex *media* acie subducerentur, cum eos laevum cornu tenuisse constet.

Certe hoc loco veram rationem Livium non satis dilucide menti suae informatam habuisse ex tota rerum descriptione antea facta intellegitur, hanc ubi cum Polybiana comparaverimus. Ac mihi quidem animo finxisse videtur, copiarum ordinibus, cum 'alibi terror ac fuga, alibi pertinax in mala iam spe proelium esset', tumultu pugnae et fugae plane perturbatis, casu magis quam consilio et a ducibus et a militibus res gestas esse: quare etiam capitis 49 initio, ubi Paulus extremo proelio pugnaverit non distincte describit, sed verbis non satis planis 'parte altera' pugnatum esse tantum generaliter significat. Qua de causa haud scio an verba quae sunt 'Hasdrubal, qui ea parte praeerat' reapse sint ab ipso Livio scripta.

Verum quae consequuntur, tam perversa sunt atque a vero copiarum ordine tantopere discrepantia, ut ea, qualia prodita sunt, non a Livio, qui ordinis modo recte planeque descripti tam celeriter oblivisci non potuit, profecta, sed librariorum errore turbata esse mihi persuasum sit. Etenim cum a primae enuntiationis verbis 'Hispanos et Gallos' oculi ad alterius quae sequebantur verba 'Numidas quia segnis' aberrassent, factum esse puto ut haec membra inter se permutarentur. Quod si recte sentio, sic omnia ad pristinum ordinem revocanda erunt:

'Hasdrubal, qui ea parte praeerat, subductos ex media acie Hispanos et Gallos equites Afris prope iam fessis caede magis quam pugna adiungit, Numidas, quia segnis eorum cum adversis pugna erat, ad persequendos passim fugientis mittit.'

Quippe casu omissa in ipsa continuitate verborum cum in

---

secutus. Quo pertinet, quod tacite probat Gronovii emendatione pro *pedites* restitutum *equites*; item quod Perizonii, Matthiaci, Heerwageni coniecturas refellere supersedit. F. R.]

margine ut fit adscriberentur, evenit postea ut non suum in locum reciperentur. — Verbis autem ita collocatis *subductos* voce etiam apertius, Hasdrubalem locum suum inter pugnandum mutasse, significatur (cf. Polyb. III, 116), eis vero, quae sunt *ex media acie*, unde venerit recte additur: nam re vera Hasdrubal laevo in cornu equitibus Romanis fugatis ad mediam aciem, deinde ad dextrum cornu transgressus est.

EDMVNDVS LAMMERT
Sondershusanus.

Ad Tacitum.

Historiarum lib. IV, 48, 3 haec leguntur: *legio in Africa auxiliaque tutandis imperii finibus sub divo Augusto Tiberioque principibus proconsuli parebant.* Quae quamquam adhuc neminem offendisse videntur, tamen vix sunt sic a Tacito scripta. Cum enim secundum loquendi usum illius aetatis 'sub Augusto Tiberioque' idem significet quod 'Augusto Tiberioque principibus' vel 'imperantibus', hoc loco *principibus* vox non potest non supervacanea videri: eadem enim illa abundantia laborat ac si quis dicat 'Augusto Tiberioque principibus imperantibus.' Talem autem abundantiam prorsus abhorrere ab usu Taciteo exempla clamant quae subieci.*)

Agr. 6, 13 *sub Nerone*; 45, 9 *sub Domitiano*; Hist. I, 46, 6 *sub quo* (sc. Nerone); 75, 10 *sub Othone*; II, 75, 7 *sub Claudio*; III, 24, 10 *sub M. Antonio*; *sub Corbulone*; 62, 8 *sub Nerone*; IV, 11, 17 et 13, 4 *sub Vitellio*; 43, 4 et 44, 7 *sub Nerone*; 68, 11 *sub C. Caesare*; V, 9, 12 *sub Tiberio*; Ann. I, 7, 12 *sub Augusto*; 31, 6 *sub C. Silio legato* (quo exemplo observatio mea nullo modo infringitur: necessario enim *legato* additum est, ut intellegeretur quo ille tum functus esset munere); II, 64, 15 *sub Augusto*; III, 1, 5 *sub Germanico*; 48, 5 *sub divo Augusto*; VI, 36, 6 *sub quo* (sc. Lentulo Gaetulico); 57, 13 *sub Augusto*; XIII, 42, 10 *sub quo* (sc. Claudio). Idem usus observatur, cum duo vel tria nomina sociantur: Hist. I, 16, 5 *sub Tiberio et Gaio et*

*) In afferendis exemplis utor editione Halmiana altera.

Claudio; 50, 14 *sub Pompeio Brutoque*; 77, 17 *sub Claudio ac Nerone*; 89, 7 *sub Tiberio et Gaio.*

Quae cum ita sint (collegi enim exempla XXVI), *principibus* vocem aio e glossemate ortam esse, quod ideo fortasse quispiam adscripsit, ne *proconsuli* vox, quam per compendium scriptam fuisse consentaneum est, ad *Tiberio* pertinere putaretur.

Annalium lib. I capite 44 fere medio tradita haec sunt, nondum a quoquam in dubitationem vocata: *discurrunt mutati et seditiosissimum quemque vinctos trahunt ad legatum legionis primae C. Caetronium.* Sic autem scripsisse Tacitum nego. Numquam enim, cum magistratus appellatio antecedit, praenomen nomini proprio additur. Simile quiddam iam Boetticherus intellexit Lexici Tacitei p. 117, ubi docet aut 'Lucanum Annaeum' dici aut 'L. Annaeum Lucanum'. Quem sequitur Draegerus 'de syntaxi et stilo Tac.' § 221, qui etiam hunc, quem nunc tractamus, usum in transcursu tetigit potius quam exposuit. Exempla igitur haec habeto, quae infra posui.

Hist. I, 9, 6 *censoris Vitellii*; 26, 12 *praefectus Laco*: (27, 6 *libertus Onomastus*;) 31, 9 *tribuni Cetrius Severus, Subrius Dexter*; 49, 2 *dispensator Argius*; 58, 13 *centurio Crispinus*; 56, 5 *centuriones Nonius Receptus, Donatius Valens*; 90, 16 *imperator Augustus*; II, 8, 12 *centurionem Sisennam*; 12, 14 *procurator Marius Maturus*; 33, 4 *praefectus praetorii Proculus*; (57, 9 *libertum Asiaticum*;) 58, 2 *procuratore Albino*; 74, 5 *praefectus Aegypti Alexander* (ubi Mureto auctore plerique editores *Ti.* addidere); III, 43, 1 *procurator Valerius Paulinus*; 54, 11 *centurio Iulius Agrestis*; IV, 22, 2 *legati legionum Munius Lupercus et Numisius Rufus*; 50, 13 *praefectum castrorum Cetronium*; Ann. I, 8, 27 *dictator Caesar*; 24, 7 *praetorii praefectus Aelius Seianus*; 28, 13 *centurio Clemens*; 39, 17 *aquilifer Calpurnius*; 74, 2 *quaestor Caepio Crispinus*; II, 4, 11 *rector Suriae Creticus Silanus*; (43, 27 *eques Romanus Pomponius Atticus*;) III, 59, 1 *augur Lentulus*; 62, 5 *dictatoris Caesaris*; IV, 15, 8 *procurator Asiae Lucilius Capito*; 34, 21 *dictator Caesar*; (68, 3 *equite Romano Titio Sabino*, non *Tito*, quod typothetae lapsu apud Halmium legitur;) VI, 22, 2 *dictatoris Caesaris*; XII, 45, 9 *centurio Casperius*; 55, 7 *praefecto Curtio Severo*; XIII, 3, 11 *dictator Caesar*; 9, 6 *centurio Insteius*; (XIV, 6, 6 *libertum Agerinum*;) 8, 17 *trierarcho Herculeio*; 12, 16 *praetura functos*

Valerium Capitonem et Licinium Gabolum; (29, 3 *successor Veranius*;) 32, 22 *procurator Catus*; (59, 6 *doctores sapientiae Coeranum, Musonium*; 62, 6 *necis patrator Anicetus*); XV, 11, 4 *centurione Tarquitio Crescente*; 44, 12 *procuratorem Pontium Pilatum*; (54, 7 *liberto Milicho*; 55, 3 *libertum Epaphroditum*;) XVI, 21, 9 *praetor Antistius.*

Ne quis autem mihi obiciat legi in Annal. III, 30, 1 *insignes viri L. Volusius et Sallustius Crispus*; 75, 1 *viri inlustres Asinius Saloninus, M. Agrippa*; IV, 61, 1 *insignes viri Asinius Agrippa et Q. Haterius*; VI, 14, 2 *eques Romanus M. Terentius,* rursus monendum est de solis nunc agi magistratuum appellationibus.

Itaque exemplorum a me compositorum XXXVII auctoritate non dubito Ann. I, 44, 7 *C.* praenomen ex dittographia primae litterae nominis *Caetronium* repetere delendumque censere. — Ceterum de dittographiis codicis Medicei cf. Heraei Stud. crit. p. 37 et 73.

Eorundem Annalium lib. XII capitis 63 initium sic scriptum exhibet Mediceus: *Byzantium in extrema Europae posuere Graeci.* Apertam corruptelam editores praeter Ritterum*) omnes ita sustulerunt, ut cum Rhenano *in extrema Europa* scriberent. Ritterus enim verba illa prorsus eicienda esse opinatus sic ratiocinatur: 'der Zusatz enthält etwas für Leser, wie Tacitus solche voraussetzt, höchst Ueberflüssiges.' Quam sententiam nec probavit quisquam nec ut puto probabit. Rhenani autem correctio cum per se spectata non habeat sane cur displiceat, tamen quaeri potest, num quid forte exquisitius in codicis scriptura lateat, quale etiam credibilius sit a librariis oblitteratum esse. Atque adeo leniore, si quid video, mutatione scribetur potius *in extremo Europae.* Huius autem usus exempla quamquam iam Zernial in 'Selectis capitibus ex genetivi usu Taciteo' p. 29 sqq. et Draegerus de stilo p. 25 collegerunt, tamen cum uterque non pauca omiserit, quae repperi ad unum omnia adscribam: hoc tamen temperamento, ut et pronomina omnia, et adiectivorum ea quae ubique redeunt (ut *multum, plus, plurimum, nihil*), ne sine ullo

*) Musei Rhenani t. XX (a. 1865) p. 520 adn. 3. Idem autem quomodo Tacitum contendere potuerit *in extremis Europae* scribere debuisse, prorsus me fugit.

fructu exemplorum numerus in immensum augeatur, consulto omittam. In promptu igitur haec habeo quae subieci.

asperrimo hiemis Ann. III, 53; — *celeberrimo fori* IV, 67, 22 (cum Draegeri adnotatione); — *certo anni* Hist. V, 6, 17; — *deridiculo corporis* Ann. XII, 49, 2; — *diverso terrarum* III, 59, 10; — *extremum inopiae* Agr. 28, 10; *in extremo Ponticae orae* Hist. III, 47, 8; V, 18, 9; Ann. VI, 33, 4; — *furto noctis* Agr. 34, 4; — *levissimum fastidii* Ann. XI, 38, 11; — *lubrico itinerum* Hist. I, 79, 8; II, 88, 17; Ann. I, 65, 18; *lubricum iuventae* VI, 55, 9; XIV, 56, 3; — *ludicro iuvenum* Hist. III, 62, 9; Ann. XI, 11, 10; XII, 41, 7; XVI, 21, 5; — *medio rationis atque abundantiae* Agr. 6, 17; *medio campi* Ann. I, 61, 10; 64, 17; XV, 18, 1; *medio diei* Hist. I, 62, 7; II, 53, 7; III, 11, 3; Ann. XI, 21, 4; XII, 69, 1; XIII, 28, 10; XIV, 2, 2; 53, 5; 59, 8; — *obscurum noctis* Hist. II, 14, 23; IV, 50, 3; Ann. II, 39, 15; — *in prominenti litoris* Ann. I, 53, 17; — *in proximo Campaniae* IV, 74, 10; — *reliquo noctis* XIV, 10, 2; — *secretum maris* Agr. 25, 13; Hist. I, 10, 5; II, 100, 13; Ann. IV, 41, 9; 57, 12; — *sero diei* II, 21, 13; — *sollemne funeris* XII, 69, 11; XV, 64, 19; — *umido paludum* I, 61, 5.

THEODORVS OPITZ
Dresdensis.

Multis multorum sive curis tractata sive artificiis temptata Taciti verba, quae sunt in Agricolae capite XXV, uterque Vaticanus sic scripta exhibent:

> .... 'portus classe explorauit quae ab Agricola primum assumpta in partem uirium sequebatur. Egregia spẽ cum simul terra simul mari bellum impellitur ac saepe isdem castris pedes equesque et nauticus miles mixti copiis et laetitia sua quisque facta suos casus attollerent ac modo siluarum ac montium profunda modo tempestatum ac fluctuum aduersa, hinc terra et hostis hinc uictus Oceanus militari iactantia compararentur.'

Ibi postquam *spẽ* illud Puteolanus interpretatus est *specie*, mox mutata interpunctione vulgari coeptum est *sequebatur egregia specie, cum simul* e. q. s.: et languidissime subiectis *egregia specie* verbis, et inepta sententia, cum militum laeta iactantia

minime intellegatur quomodo ad egregiam speciem classis pertineat, et vero vitiosa constructione. Nullis enim machinis efficies, ut recte dicta esse *cum . . . impellitur ac . . . attollerent ac . . . compararentur* videantur: quam quidem discrepantiam modorum Wexius affirmat 'nihil miri habere'. Nec profecto a Rhenano parum sollerter substitutum *impelleretur* ullam habet vim persuadendi. Servanda potius est interpunctio codicum: in *spẽ* latere *species* credendum: delenda post *attollerent* verbum *ac* particula ut e proximis errore repetita: ex ipso autem *attollerent* illo *attollere ut* eruendum. Quo fit ut et sententiae et structurae salebrae omnes commodissime complanentur et ad summam orationis concinnitatem sic omnia revocentur:

> . . . . 'assumpta in partem virium sequebatur. Egregia species, cum simul terra, simul mari bellum impellitur! Ac saepe isdem castris pedes equesque et nauticus miles, mixti copiis et laetitia, sua quisque facta, suos casus attollere, ut modo silvarum ac montium profunda, modo . . . . . . militari iactantia compararentur.'

Vertendum autem: 'Agricola liess die Häfen durch die Flotte erkunden, die, von ihm zum ersten Male zur Verstärkung der Streitkraft herangezogen, nachfolgte. Eine prachtvolle Erscheinung' (vel 'herrliches Schauspiel'), 'wie zugleich zu Wasser und zu Lande der Krieg sich in Bewegung setzt' (sive malueris cum Walchio 'fortwogt') c. q. s. Nimium est enim, quod *impellitur* illud Wexius interpretatur 'wird mit Energie, schwunghaft betrieben': quam notionem nec Plautinum *sues impellere* nec Ovidianum *segetes aquilonibus impulsae* aliave exempla similia sustinent.

Laudem autem harum emendationum omnem sciendum est Ernesto Wezelio Limbacensi deberi.

F. R.

INDEX SCRIPTORVM

Rühl, Franz, die Verbreitung des Justinus im Mittelalter. Eine literar-historische Untersuchung. [52 S.] gr. 8. geh. n. 10 Ngr.

Schmidt, Bernhard, das Volksleben der Neugriechen und das hellenische Alterthum. Erster Theil. [VII u. 252 S.] geh. n. 1 Thlr. 20 Ngr.

Schulze, Dr. Ernst, Lehrer am Gymnasium zu Gotha, Beschreibung der Vasensammlung des Freiherrn Ferdinand von Leesen. Mit 3 lithogr. Tafeln. [16 S.] 4. geh. n. 20 Ngr.

Stoll, H. W., Professor an dem Gymnasium zu Weilburg, Bilder aus dem altrömischen Leben. [VIII u. 600 S.] 8. geh. 1 Thlr. 21 Ngr., elegant geb. 2 Thlr. 6 Ngr.

Diese neueste Arbeit des rühmlichst bekannten Verfassers schließt sich ganz den im vorigen Jahre erschienenen und mit allgemeinem Beifall aufgenommenen Bildern aus dem altgriechischen Leben an. Es vervollständigt die Reihe der Stoll'schen Schriften zur Einführung in das classische Alterthum für das gebildete Publikum und die reifere Jugend.

Teuffel, W. S., Geschichte der römischen Literatur. Zweite verbesserte Auflage. 1. Lieferung. [Bogen 1—25.] gr. 8. geh. n. 1 Thlr. 10 Ngr.

Diese neue Auflage erscheint in 3 Lieferungen von je 24—25 Bogen und wird Ostern 1872 vollendet sein. Der Preis des ganzen Werkes wird den der ersten Auflage (4 Thlr.) nicht übersteigen.

Bibliotheca scriptorum Graecorum et Romanorum Teubneriana.

Dinarchi orationes adiecto Demadis qui fertur fragmento edidit Fridericus Blass. [XX u. 80 S.] 8. geh. 10 Ngr.

Historici Graeci minores. Edidit Ludovicus Dindorfius. Vol. II. Menander Protector et Agathias. [XXIII u. 453 S.] 8. geh. 1 Thlr. 7½ Ngr.

Philostrati, Flavii, opera auctiora edidit C. L. Kayser. Accedunt Apollonii epistolae, Eusebius adversus Hieroclem, Philostrati iunioris imagines, Callistrati descriptiones. Vol. II. [LII u. 551 S.] 8. geh. 1 Thlr. 15 Ngr.

Inhalt: Vitae sophistarum — Heroicus — Neró — Epistulae — Gymnasticus — Imagines — Philostrati iunioris imagines — Callistrati statuae.

Früher erschien:

Vol. I. 1870. 1 Thlr. 7½ Ngr.
Apollonii vita — Apollonii epistolae — Eusebius adversus Heroclem.

Leipzig, im December 1871.

B. G. Teubner.